Pázmány Péter.

Cardinalis, Magyarország primása

és esztergomi érsek

HISTORIA

COLLEGII PAZMANIANI

QUAM

EX TABULARIIS CONSCRIPSIT


CAROLUS RIMELY,

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR, COLLEGII EJUSDEM VICE-RECTOR.

VIENNAE.

TYPIS ET SUMPTIBUS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

1865.



CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ORDINARIATUS STRIGONIENSIS.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI BAPT. SCITOVSZKY

DE NAGY-KER

S. R. E. TITULI S. CRUCIS IN JERUSALEM, PRESBYTERO CARDINALI, METROPOLITANAE ECCLESIAE STRIGONIENSIS ARCHI-EPISCOPO, S. SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO, INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRINCIPI PRIMATI, SUMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO, INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI PRAELATO, EJUSDEM, INSIGNIS ITEM ORDINIS LEOPOLDI IMPERATORIS MAGNAE CRUCIS EQUITI, S. C. ET REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS ACTUALI INTIMO, ET AD EXCELSUM CONSILIUM REG. LOCUMTENENS CONSILIUM HUNGARICUM CONSILIARIO, INCLYT. COMITATUS STRIGONIENSIS PERPETUO AC SUPREMO COMITI, AD EXC. TRIBUNAL SEPTEMVIRALE COJUDICI, NOBILI CIVI ROMANO, ACADEMIAE HUNGARICAE DIRIGENTI, QUIRITUM ITEM ROMAE MEMBRO, SACERDOTI JUBILAEO IN ANNUM SEXTUM. A. A. L. L. ET PHILOSOPHIAE, NEC NON S. S. THEOLOGIAE DOCTORI JUBILAEO. COLLEGIATO,

ARCHI-PRAESULI BENIGNISSIMO

IN MONUMENTUM DEVOTIONIS FILIALIS

D. D. D.

Benevolo Lectori.

Tabularium Collegii Pazmaniani docet, dudum jam in votis fuisse, ut historia ejusdem Collegii, quod decursu ducentorum quadraginta et duorum annorum quinque fere millia Alumnorum in spem optimam Ecclesiae hungaricae educaverat, conscriberetur. Nicolaus enim Rauscher, unus e Rectoribus primis saeculi hujus, talem adornare animo decrevit: ast penes praefationem solum mansisse noscitur. Ampliori studio operi huic incubuit Rectorum alter, Josephus Schneider, qui documenta tabularii domestici diligenter collegit, ordinavit et in unum volumen conscripsit. Quia tamen ob hiatus magnos documenta a se collecta in historiam conjungere non valebat, opus aestimandum imperfectum reliquit.

Gratitudo jam erga hocce Collegium, sub cujus alis educabamur, actuque vivimus, stimulabat nos non minus, quam provocatio impellebat virorum conspicuorum, ut adhibitis amplioribus studiis, historiam Collegii Pazmaniani, ab aliis viris, titulis suis dignissimis, alio tempore conscribi coeptam, compleremus, lucique publicae diebus his

traderemus, dum Antiquissima, Celeberrima, Caesareo-Regia Scientiarum Universitas Vindobonensis quintum a fundatione sua saeculum solenniter concludit.

Dignum quippe est, justumque, ut filii Pazmanni, Academiae Vindobonensis totidem condam cives, qui fide in Deum, fidelitate in Regem ac Patriam, gratoque affectu in almam suam Matrem scientiarum enituerunt semper, occasione hac in lucem prodeant, seque qua palmis adepti martyrii, qua scientiarum laureis, qua robore verbi divini, virtutibusque aliis, dignitatibus item ac meritis decoros sistant Matri, quae jubilaei sui solenniis ornata, quos genuit, jucundissimo nunc praesertim vultu suscipit, amplectitur fovetque amantissime.

Favit autem studiis nostris Deus, pro cujus majori gloria historiam apiarii nostri sacri pandimus; favebant benevolentia sua viri quoque amicissimi, a nobis humaniter requisiti, qui partim annales Collegii a Jesuitis conscriptos, diuque in tabulario Officii vicarialis Tyrnaviensis latentes, recentissime autem modo inopinato detectos nobis consignarunt; partim codicem epistolarum originalium Pazmanni, ad Regentes Collegii dimissarum, inter manuscripta Prayiana in Bibliotheca Universitatis Regiæ Pestinensis conservari nobis nunciarunt; partim scripta quaedam Collegium attinentia e tabulario Capituli Metropolitani Strigoniensis, cumprimis vero data maximi momenti e tabulario Cancellariae Aulicae Regni Hungariae eruta, nobiscum communicarunt, quibus omnibus debitas lubenter reddimus grates.

Ex fontibus itaque originalibus, in parte potiori adusque haud cognitis, summa qua licuit diligentia conquisitis ac inspectis, hausimus historiam Collegii Pazmaniani,

quam hisce luci publicae tradimus. Nec tamen diffitemur, nos vel maxime sentire, quod illa longe melius, concinniusque ab aliis, qui operibus talibus insudare solent, scribi potuisset, quam a nobis, absimilibus longe a calamo laboribus distentis. Cum attamen id factum ab aliis non fuerit, nosque, ut hoc faceremus, adjuncta urserint; cum porro cuncta praestiterimus, quae tempus, laborumque nostrorum varietas fieri patiebantur: ideo favorem Lectorum Benevolorum fidenter speramus, etiamsi iisdem res minutas hinc inde nos narrare contingat; tales enim ut non reticeremus, aut contextus svasit narrationis, aut movit persvasio, viros a limine hujus Collegii ad subsellia licet eluctatos minimis etiam continuo delectari adjunctis, quae eis in dulcem revocant memoriam annos juveniles in vestibulo Domini transactos.

Horum, cunctorumque Lectorum Benevolorum favoribus se devovet

Viennae Festo S. Joannis ante portam latinam 1865.

Scriptor.

HISTORIA COLLEGII PAZMANIANI.

PERIODUS PRIMA.

AB ANNO 1623–1761.



ORTUS COLLEGII, EJUSQUE PROGRESSUS VIVENTE FUNDATORE.

Collegium Pazmanianum nomine gloriatur immortali Petri Pázmány de Panasz, S. R. E. Tit. S. Hieronymi Illiricorum Presbyteri Cardinalis et Archi-Episcopi Strigoniensis, Fundatoris sui. Petrus hic, vere petra nutantis aevo suo fidei orthodoxae, patre Nicolao, e perantiqua ac nobili Pazmanianorum familia, matre vero Margaretha Toldy e Comitum Massoviae prosapia, anno 1570. die 4-a Octobris Magno-Varadini natus, fidem catholicam anno primum aetatis 13mo amplexus est, cum antea sectae Calvini addictus fuisset. Animi sublimibus intenti indicia mox ineunte aetate dederat, societati enim Jesu in Hungaria efflorescenti voto conformiter adlectus, dum annum agebat aetatis decimum sextum. Cracoviae novitiatum occepit; quo finito, ut studiis humanioribus ac sacris semet uberius excoleret, Viennam, inde Romam missus, stupenda diligentia sacravit semet scientiis, nec prius quievit, quam laurea romana clarus cursum scholasticum consummaret. Zelo et pietate non secus, ac doctrina excellens, Cathedrae philosophicae postea Gracii praeficitur, fitque Magister ibidem longe celebratissimus. Ast vero ardenti ejus-

dem spiritui parietes scholarum, ornatissimi licet, angusti tamen apparebant, saepiusque animo revolvens dilectam patriam suam, haeresum labe inquinatam, impulsu quodam vehementi, ut huic mederetur, actus, in hanc se pro obeundis missionibus sacris remitti impensius flagitabat. Stupendam viri eloquentiam zelumque penitus singularem perspiciens Ordinis Superior, pro salutari more Ordinis, nullius nisui froenum imponentis, eundem in Hungariam, ut ibidem acie verbi divini contra haereses dimicaret, remisit. Effectus praedicationis ejus mox omnem superabat exspectationem. Dogmata enim fidei jam ex ambone, jam in privatis colloquiis, jam in libris a se divulgatis, modo maxime persvasivo exponendo, pondere argumentorum suorum, ratiocinandi peritia, affabilitate ac prudentia, cultiorique, quam aevum noscebat stylo dicendi — animos plurimorum veritati lucratus est. Pro peculiari conatuum suorum scopo proceres Regni a fide vera devios sibi defixerat, recte dignoscens, eorum exemplo movendos fore plurimos. Fecit autem id tanto cum successu, ut amplius quam quinquaginta familias principales in sinum Ecclesiae reduceret, ac inter hos fratrem etiam Cardinalis ac Archi-Episcopi Strigoniensis Sigismundum Forgách, quem convertere cum impensis studiis fratri haud succederet, Pazmanno per conversationem trium hebdomadarum successit. Hoc facto familiaris Cardinali Forgách redditus, constans in rebus arduis ejusdem Consiliarius evasit.

Quod rarum in vita communi est, ut nempe quis splendore talentorum, acuta mentis perspicacia, sensione item nobili cordis generosi ex aequo emineat: id singulare Pazmanni encomium dici potest; vastissimam ejus eruditionem humilitas, zelum ardentem prudentia, altitudinem dignitatis partium studio libera charitas perungebat; hinc admirabilis conspicitur harmonia in tota ejus vita, quae genuinum speculum est pietatis charitatisque. Talibus ornatus virtutibus, latere diu non potuit vir ille, quem

cuncti admirabantur venerabanturque; partim enim reductorum a se in sinum Ecclesiae Matris principum gratitudo, partim stupenda ejus eloquentia, qua Ecclesiam catholicam contra aggressores tuebatur, causamque Ordinis jamjam collabescentem gravissimo cum pondere argumentorum in comitiis publicis facilitate ac libertate eousque vix audita defendebat; partim alia merita admirationem Regis, Procerumque in se provocabant, qui omnes mature perspexerant, religiosum hunc virum a providentia divina ad id destinatum esse, ut nutantem Religionis ac patriae causam intrepidus sustentaret. Cum igitur intermedio tempore Cardinalis et Archi-Episcopus Franciscus Forgách vitae suae cursum cum aeternitate commutasset: vox fere omnium una evasit, ad subsellium ejus in difficillimis, quibus Ecclesia ac patria premebatur adjunctis, Pazmannum aptissimum inveniri. Mox ergo titulo ornatur e gratia Regis Praepositi Thuróczіensis, eoque vix obtento, votis procerum cum desiderio Principis concurrentibus, Pazmannus per Regem Mathiam in Archi-Episcopum Strigoniensem a Paulo Papa V° enixis precibus postulatur, quo etiam consensum praebente, Pazmannus mense Septembri anni 1616 viduatae per mortem Cardinalis Francisci Forgách Ecclesiae principali Strigoniensi praeficitur, jamque mense Decembri a Pontifice Pallio ornatur, omnibus plaudentibus, omnibus in spem optimam erectis, sola haeresi ex hoc eventu cohorrescente.

Tota nunc difficillimorum temporum moles totaque coeptorum ab antecessoribus suis magnorum moliminum acies in unum Pazmannum, Forgáchii successorem transiit, qui tamen, sive stupendam ejus spectemus mentis facultatem, sive ardentem charitatem, zelum flagrantem, pietatem ferventem, rerum agendarum dexteritatem, prudentiam auctoritatemque plane singularem: totus ad id natus, totus a providentia ad id destinatus fuit, ut patrum religionem, Ecclesiae libertatem, Cleri candorem, Patriae splendorem.

pacemque turbatam instauraret. Totus cum Dei fuerit fide, Caesarisque adhaesione, mox in aditu muneris sui ab infando Gabriele Bethlen, cujus copiae in Regem insurgentes, foede vastarunt Hungariam, in conventu Neosoliensi proscribebatur, atque ob hostem domesticum semper insecurus, variis in locis exul, plurimum in comitatu Imperatoris Ferdinandi II[i] — in cujus electionem fere solus eloquentia conatibusque suis vota Procerum Hungariae confluere fecit — moras nectere coactus, tantum abest, ut curas suas mitteret pastorales: quin potius magna revolvens mente molimina, jam magnificam Tyrnaviae erigere animo concipit Bibliothecam, jam pulsos sedibus suis magno cum damno erudiendae maxime juventutis Tyrnaviam revehere intendit Jesuitas, jam jura tuetur sua apud Imperatorem, totusque medendis vulneribus insudat, quae Ecclesiae ac Patriae undique infligebantur.

Fuere autem vulnera haec ampliora, quam ut dici facile possit. Posteaquam enim prostratam deplorabili clade ad Mohács Hungariam Turca inundasset, moestissimi squalloris, extremaeque exitiei fons saevum ejus per Hungariam dominium exstitit. Plurimis Praesulibus partim bello caesis, partim a facie inimici barbari fugientibus, partim tristi morte ablatis: Ecclesiae statum viduitatis lugentes induebant, nec erat, qui tantae calamitati mederetur. Ut enim Ducatum Transsylvaniae pastore carentem silentio praeteream, circuli Hungariae tibiscani longo tempore vigili Pastorum cura destituebantur; porro ad latus utrumque Danubii amplissimo terrarum tractu solum Strigonium ac Vacium habuere suos Episcopos, Dioecesi Veszprimiensi in pejori, ac viduato statu existente. Ipsa vero Archidioecesis Strigoniensis a morte Antonii Verrantii, seu ab anno 1573 usque 1596 adeoque viginti tribus annis pastore carebat, cui si decem annos viduitatis vastissimae aeque Dioecesis Agriensis post mortem Episcopi Stephani Radéczy 1586 addamus: amplissimus ille terrarum tractus

Dioecesium allatarum per viginti sex et ultra Comitatus extensus sine Episcopo erat!

Quid mirum jam, si orbatae pastoribus oves in praedam inimici cesserint, nunquam satis deplorandam? Acerbus animum subit dolor legentibus in Annalibus aevi illius, tempore hoc e residuis adhuc Archi-Dioecesis Strigoniensis parochiis nongentis, Abbatiisque triginta, vix centum supermansisse, quae non in manus Protestantium aut Turcarum devenissent. Ipse Archi-Episcopus cum Capitulo suo per invasionem Turcarum jam anno 1543 natali sede pulsus, in superioribus Hungariae oris Tyrnaviae mansionem quaerere, ibique saeculorum decursu morari cogebatur.

Auxit malorum, a Turca Ecclesiae superinductorum molem colluvies haeresum, quae se in turbidis rerum politicarum adjunctis ex Germania in Patriam nostram rapido nimis alveo transfundebat, exoptataque venerat viris illis potentibus, qui prius jam avida rapacitate viduatarum Ecclesiarum bona occupantes, tutam rapinae sacrilegae possessionem sibi e concessione novae doctrinae datam viderant; sicque factum est, ut quod e sinu Ecclesiae barbara Turcarum non decerpserat violentia: id sancti juris nescia, asseclis donando raperet haereseos audacia.

Tanta jam inimica Ecclesiae elementa, quae saevo vulnere diu sauciaverant illam, necessario penuriam induxerunt sacerdotum, ac poene suffocaverunt in residuis quoque sufficientem in doctrina ac pietate progressum. Patres Synodi provincialis sub Francisco Forgách anno 1611. Tyrnaviae celebratae amare conqueri legimus, evenire saepe „ut parochia catholica multis annis parocho destituatur, eaque de causa populus vel ad vicinum Acatholicum confugiat Baptismi potissimum suscipiendi et Concionis audiendae causa, vel, ne pecudis instar vivere videatur, ministros acatholicos passim ubique pullulantes conducat; saepe item parochus catholicus ordinatus vel ob

supinam ignorantiam, vel ob corruptos et depravatos mores, tepescere in animis miserae plebeculae Religionis Catholicae ardorem sinat, donec sensim sine sensu fide deficiat" [1]).

Malo huic medelam afferre jam Nicolaus Oláhus immortalis memoriae Archi-Episcopus Strigoniensis studuit, decretum Sessionis XXIII. Concilii Tridentini de erectione Seminariorum in Hungariam quoque inducere adnitendo; quod ut faceret, ipse primus Tyrnaviae Seminarium Clericorum pro decem Alumnis anno 1565 erexit, sicque gloriam erecti in sensu Concilii Tridentini, primi, adeoque antiquissimi in Hungaria nunc Seminarii ipse tulit, ampliorem gloriam erecti omnium per orbem primi Seminarii laturus, ni penuria adjunctorum prohibitus, gloriam hanc Antonio Amulio Rietano Episcopo, Seminario item Romae a Pio Pontifice hoc nomine V. aliisque paucis Praesulibus cedere fuisset coactus [2]). Licet autem Nicolaus Oláhus erectum illud a se Tyrnaviae Seminarium itidem mille auri nummis eo scopu dotaverit, ut in illo juvenes ampliori numero suscipi possint: minime tamen conatus hic quoque ad messem amplissimam suffecit, quae operariis plurimis in vinea Domini multum derelicta indigebat. Hinc Archi-Episcopus Franciscus Forgách in Synodo citata urgentissime provocabat Patres, ad succurrendum tum Seminario jam ab Oláho erecto, tum ad multiplicanda similia saluberrima instituta, in quibus juventus per doctos ac probos viros sub vigili Episcopi oculo in unum collecta in cordatos verbi divini ministros et pastores formaretur, neque cogeretur fine capiendae institutionis in scientiis Theologicis oras exteras magnis sumptibus adire, aut domi vix rudimentis per privatam instructionem imbuta, mox curae animarum, culturam solidam exigenti praefici. Verum enimvero Franciscus quoque Forgách

---

[1]) Péterfy Sacr. Conc. Hung. T. II. p. 204.

[2]) Theiner, Geschichte der geistlichen Bildungs-Anstalten, p. 106. Péterfy II. 184. Cherrier, Magy. Egyh. tört. p. 554.

Cardinalis et Archi-Episcopus dum Seminario Juventuti Orthodoxae erigendo intentus, per restituendas in Dioecesibus parochias vexatam discordiis ac violentiis Haereticorum Ecclesiam componere satagit: obit anno 1615, die 16. Octobris, Haeresisque victricibus Gabrielis Bethlen armis suffulta, Ecclesiam amplius depopulari minatur [1]. Curis sic ac sollicitudinibus non tam pressam, quam oppressam suscepit mitram Pazmannus, dum gubernacula Sedis primatialis Hungariae capessivit. Ut enim ea, quae in fide Regis, et in causa multifariam dilaniatae patriae animo heroico sustinuit praestititque servitia, veluti praefixum nobis scopum propius non attinentia, silentio praetereamus: ipsa facies Ecclesiae Hungaricae nimium tristis apparebat [2]. Uberem tristia haec rerum adjuncta contuendi campum nactus est Pazmannus, dum Sopronio, ubi Reginam Eleonoram diademate cinxit, in Dioecesim suam reversus, eam, pace aliquantulum tutior visitare coepit. Paroeciae, quas lustrabat, multum desolatae, in defectu Ordinatorum curionum multis in locis a licentiatis solum viris laicis administrabantur, quos dira adjunctorum neces-

---

1) Péterfy II. 219. Lányi Egyht. II. 283.

2) Dignum tanti viri biographum agere non valentes, nequidem opus allegare possumus, in quo acta factaque magni hujus Praesulis, Diplomatae, Polemici, Scriptoris, Fundatoris, Paedagogi etc. in unum conscripta reperiuntur; ea, quae in operibus historicis de illo connotantur, fragmenta solum sunt multiplicis stupendaeque ejusdem activitatis. Vitam ejus adumbrare studuit Josephus Podhradszky sub titulo: Pázmány Péter élete. Budán 1836., ast vero gutta est haec solum e mari magno. De illo tractant porro: Schmitth. Hist. Æppatus Strig. Part. II. sub h. t. — Péterfy S. Conc. Hung. II. p. 219. Kazy: Historia Regni Hung. Tyrn. 1737; ejusdem Hist. Univ. Tyrn. Parte I. L. 1—3. II. L. 2. Katona Hist. crit. R. H. L. 29. — Purpura Pannon. 206. Purpura a Szvorényio 30. — Pray: Specimen Hierarch. 1. 183. — Horányi, Memor. Hungaror. Vien. 1777. p. 45. Fessler VIII. Lányi, Magyarföld Egyh. tört. Pest, 1844. II. 194 etc. Epistolas Pazmanni collegit Jac. Miller, ediditque Budae, 1822., ast has novissime magno studio colligit Dr. Vilhelmus Frankl, qui nobis quoque amicitiae obsequia exhibuit; invenitque in variis archivis earum jam plus quam mille. Vide porro Memor. Basilicae Strig. 1856 p. 90. etc. Magyarország Primásai, Pest. 1859. I. p. 170. II. 124. — Bod Péter Magyar Athenás p. 218. — Car. Wagner Collectan. geneal. Hist. famil. Poson 1802 Decas III. p. 64. — Czvittinger Specim. Hung. Litterat. Frankf. 1711, p. 298. — Wallaszky Consp. Reip. Litter. in Hung. Budae 1808 p. 188. — Gyurikovics G. Pázmány Péter Cardinalis in M. tudom. Gyüjt. 1837 V. p. 45. — Pázmány Péter rövid élete in Felsö Magyarorsz. Minerva 1826. I. 521. — Ferenzy Magyar irók I. 357. l. — Aloys. L. B. Mednyánszky Legatio Romana Pest 1830 etc.

sitas in loca induxit talia, ubi parochus ali, haberi aut statui non potuit, quive a locorum Ordinariis, si caeteroquin coelibes, vitaque ac sufficienti doctrina in rebus religiosis probati erant, potestatem accipiebant docendi, baptisandi, sepeliendi, matrimoniis assistendi, aliaque munia, quae ordinis gradum non requirebant, in communitatibus ecclesiasticis exercendi. Haec attamen parochiarum per similes licentiatos administratio non carebat periculis molestiisque; partim enim viri hi concessa sibi facultate saepe abusi, limitesque licentiae suae transgressi sunt, partim cum laici solum fuerint, nec loco per investituram, aut Ordinis religionem ligati: munia sibi concessa negligebant, loca sua deserebant, quodve plurimum erat, in defectu solidioris culturae scientificae populum tenuiter solum verbo divino pascebant, nec viribus ac doctrina pollebant, sophismata circumerrantium heterodoxae doctrinae Praedicatorum sufficienter refellere; sicque evenit, quod fideles nutare, in sententiamque fallaci verborum apparatu passim praeponderantium curiorum acatholicorum transire coeperint [1]).

Cum jam vix ad eas, quae in locis catholicis dote sufficienti provisae erant parochias, debite excultos illocare potuerit sacerdotes Pazmannus: eo minus in locis talibus, qui adhuc errorum tenebris premebantur, novas, prout id ardentissime desiderabat, ob defectum Sacerdotum fundare potuit parochias, in diesque magis perspexerat, inscitiae ac defectui Sacerdotum in plurimis locis vigenti non aliter occurri posse, quam Seminaria Clericorum in sensu Concilii Tridentini, latorumque eatenus in Conciliis provincialibus Hungariae statutorum, multiplicando. Jesuitae enim aliique ordines religiosi, qui defectui tali pro viribus succurrebant, aut persecutione agitabantur, aut cum dispendio disciplinae Ordinis sui curam animarum in

---

[1]) De his Licentiatis Cf. Religio 1859 I. félév 2. febr.

turbulentis illis temporibus obibant. Auxit igitur ante omnia dotem Seminarii Tyrnaviae jam florentis, quodve dudum animo decreverat, erigere nempe in loco tutissimo Metropolis Imperii certum Clericorum Collegium: id anno 1622° literis etiam inflammatus Gregorii Papae XVi in vitam deduxit, erexitque ac munifica manu dotavit Collegium Clericorum, usibus proxime Archi-Dioecesis suae inserviturum Viennae, quod a suo nomine Pazmanianum compellavit, assignando ei domum, quam Viennae habuit propriam, confectoque de facta simili fundatione Diplomate solenni, quod sequentis tenoris est:

Diploma fundationis.

Nos Petrus Pazmany miseratione Divina Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Regni Hungariae, Legatus Natus, nec non Sacratissimi Principis et Domini Dni. Ferdinandi 2^{di}, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, ect. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Comitis Tyrolis, ect. Summus Secretarius Cancellarius, et Consiliarius intimus, ect. Damus pro memoria, Quod nos consideratis quotidianis, ac gravissimis incommodis, quibus ob inopiam Sacerdotum non nra solum Dioecesis, sed tota Hungaria conflictatur, eo curas omnes cogitationesque nras convertimus, ut quantum cum Dei gratia possumus, in hac tanta, ac tam gravi temporum difficultate, pro virium ac facultatum nrarum tenuitate, aliqua saltem ex parte, huic tam damnoso, ac periculoso incommodo prospiciamus, rationemque certam ineamus, ut aliqui continuo alantur, qui ad statum Ecclesiasticum aspirantes, necessariis studiis sese excolant. Magna igitur usi industria, summam centum millium florenorum Rhenensium, nuper in puro auro et Talleris imperialibus (et quidem medio fere valore, quam prout tunc in foro exponebatur similis moneta) in Domo provinciali Viennae ad annuum Censum deposuimus, certis conditionibus, ac clausulis, in ipsis literis Dominorum Deputatorum provinciae specificatis. Ante hac vero, Anno nimirum Domini Millmo Sexcentesmo decimo octavo domino Comiti Nicolao Eszterhassy dederamus florenorum hungaricalium Quindecim millia quadringentos undecim ac denarios sexaginta octo ad censum, sex pro Centum, quam summam una cum Censu ad intertentionem Alumnorum assignaveramus Venerabilibus in Chro Fratribus Capitulo nro Strigoniensi, una cum domo libera, quam in usum Alumnatus Viennae, propriis nostris pecuniis coëmeramus, proxime adjacentem templo S. Annae, ex ea parte, qua Hospitali Civium vicinior est. Quod igitur Deus Optimus Maximus, ad sui Sanctissimi Nominis gloriam, ad conservationem et exaltationem S. Catholicae Romanae Ecclesiae bene feliciterque vertat, totalem praedictam Centum millium florenorum Rhenensium summam, censumque omnem annuum ex ea provenientem, aliumque similiter Quindecim millium qua-

dringentorum undecim florenorum hungaricalium, ac denariorum 68 summam, cum omni censu ex ea proveniente, una cum praedicta domo viennensi libera, ad erigendum et propagandum Alumnatum Clericorum Dioecesi nostrae Strigoniensi, ac Hungariae deservientium, sponte et libenter de consilio, et assensu Venerabilium Fratrum Capituli nri Strigoniensis in perpetuum applicamus, et attribuimus conditionibus infra declarandis. Quia vero Admodum Rrdus Pater Mutius Vitelescius Societatis Jesu Praepositus Generalis, pro sua in nos, ac Ecclesiam Hungaricam paterna benevolentia consensit, ut Patres Societatis Jesu hujus a nobis erigendi Alumnatus curam, et totalem administrationem, tam in temporalibus, quam in spiritualibus suscipiant; quo nomine et nos, et Hungaria tota, multum huic Sanctae Societati debet. Idcirco jus omne, ac Scripturas, tum domum ipsam, quam praedictas Centum millium florenorum Rhenensium, item quindecim millium quadringentorum undecim florenorum hungaricalium, denariorumque sexaginta octo summas, ac jus percipiendi Censum earum Summarum, Rrdis in CHRO Patribus Joanni Argenta visitatori, Gregorio Rumer Provinciali Austriae, et Quilelmo Lamormaini, Rectori Collegii Viennensis, et consequenter Societati Jesu, plane ac totaliter, una cum hocce fundationis Diplomate, de consilio pariter et assensu praedictorum Fratrum nrorum Capituli Strigoniensis, per manus tradimus, et assignamus, absolutamque ac plenam Alumnatus administrationem Patribus Societatis committimus, ita ut a nemine praeterquam a Superioribus Societatis, dependentiam in administratione Alumnatus habeant. Conditiones vero quibus Alumnatum hunc Clericorum Patribus Societatis Jesu assignamus istae sunt. Prima: ut dictam domum vendere, aut Summam Capitalem Centum millium florenorum ex domo Provinciali extrahere non possint. Quinetiam, si quando Domini Provinciales Summam illam deponerent, teneantur rursum ad Censum, vel ad bona fructifera ita convertere, ut Alumnatus continuari possit. Similiter quando Summam apud Dominum Comitem Eszterhassy existentem, idem Dominus Comes juxta continentiam Contractus, deposuerit, in nullos alios usus eadem Summa converti possit, quam rursus ad Censum, vel bona fructifera, pro Alumnorum usu servientia. Secunda, ut pro majori vel minori temporum commoditate, maximum qui fieri poterit Alumnorum numerum alant, nec ullo sub praetextu in ullus alios usus quidquam ex Censu convertatur, quam in Alumnorum alimoniam. Tertia, ut nulli in Alumnatum recipiantur, nisi qui ex regno Hungariae, et partibus illi annexis sint oriundi, quique animum habent ad Statum Clericalem, ac in libro, ad hoc specialiter deputato, juramento sua manu descripto se obligent 1° Quod Sacerdotio initiabuntur, aut si voluntate mutata, Saeculares fierent, expensas in se factas refundent. 2° Quod iis tantum studiis, et eo usque operam dabunt, quousque superioribus videbitur. 3° Quod post Sacerdotium triennio integro in Dioecesi Strigoniensi ubi visum fuerit Archiepiscopo, vel ejus vicario, diligenter laborabunt: Si vero Archiepiscopo vel ejus Vicario Generali videretur opportunum, ut in aliam Dioecesim mittantur, acquiescent. Si qui tamen ex mea Cognatione invenirentur, qui etsi ad Sacerdotium non aspirarent, studiis tamen animum applicarent, ex iis duos, vel ad summum tres absque ulla obligatione in Alumnatu

studere posse volumus. Quarta, ut nonnisi pauci ad Studia Philosophica et Theologica admittantur, cum enim et multis, et potissimum mediocribus Plebanis Dioecesis nra indigeat, difficulterque ad tenues Parochias se demittant doctiores, praestat Casuum et Controversiarum aliqua notitia imbutos, pios tamen ac probos Sacerdotes habere, quam valde doctos. Si quos autem deprehenderit Societas inutiles, refractarios, aut quorum cohabitatio aliis noceat, eos libere poterit dimittere, caute tamen, ac post plurima adhibita remedia. Quinta, Archiepiscopus Strigoniensis pro tempore existens, aut sede vacante, praecise solum Capitulum Strigoniense habebit jus praesentandi Alumnos, qui recipi debebunt: imo etiam existente Archiepiscopo, Capitulum praedictum suo arbitrio, quatuor personas idoneas praesentare possit: ita tamen, ut nemo praesentetur, nisi qui ad minimum Poësim audire possit, sitque annorum ad minimum quindecim. Volumus tamen, ut Transsylvanorum, Siculorum, et eorum, qui ex partibus Turcis subjectis mittuntur, prae reliquis peculiaris ratio habeatur in receptione ad Alumnatum, etiamsi forte, in doctrina vel aetate aliquid desideraretur, dummodo promittant se redituros in Patriam post Sacerdotium. Finitis vero studiis, Sacerdotio initiatos, et in celebratione Sacrificii Missae probe exercitatos tempestive praesentabunt Patres Archiepiscopo, vel Sede vacante Capitulo. Sexta, si ob aliquas mutationes (quod Deus clementer avertat) Patres Societatis dictum Alumnatum regere et administrare non possent, in eo casu Archiepiscopus Strigoniensis pro tempore existens, vel eo non existente, Capitulum Strigoniense, Jus habeat dictam Domum, et utramque Summam Capitalem ad se accipiendi, et administrandi, ita tamen, ut eorum conscientiae oneratae maneant, ne in alios usus, quam Alumnorum educationem quidquam eorum convertant. Atque haec est nra plenaria et ultimata voluntas, et dispositio, hoc Diplomate confirmata. Cujus quidem Diplomatis tria exemplaria confici curavimus, quorum unum Reverendis Patribus Societatis JESu tradidimus, alterum Capitulo nro Strigoniensi, tertium Capitulo Posoniensi asservandum consignavimus. DEUMQUE ac Dominum nostrum summa qua possumus animi submissione oramus, ut sua sancta benedictione, conatum hunc nostrum, soli ipsius gloriae destinatum augeat. Alumnos vero, ut pro nobis, tam dum vivimus, quam ubi mortalitatem exuerimus, DEUm exorent, impense rogamus. Datum Posonii in Curia nostra Archiepiscopali, Anno Salutis Millmo Sexcentesimo vigesimo tertio, die decima mensis Septembris. Petrus Pazmany m. p. Archi-Episcopus Strigoniensis (L. S.). Joannes Törös.

Literae hae fundationales in duplici exemplo adsunt inter acta Collegii originalia. Unum quod inscriptionem diei decimae Septembris fert in charta crassa scriptum sigillum appressum habet, alterum vero in forma diplomatis supra pergamenum subtile exaratum, sigillum flavae cerae impressum e filo sericeo albo-caeruleo-viridi-rubro-pendulum portat, et inscriptione decem diebus posterius

est. Utrumque propria Pazmanni manu subscriptum est, in posteriori tamen nomen Joannis Törös desideratur.

Consensus Capituli Metropolitani Strigoniensis.

Capitulum Strigoniense ad opus magnificum saluberrimumque sequentis tenoris literis dederat consensum suum:

Nos Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Damus pro Memoria. Quod cum Illustrmus Dominus Dom. Petrus Pazmany miseratione divina Archieppus Strigoniensis, locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariae, Legatus Natus, per. Hungar. summus Secretarius Cancellarius, Sacr. Caesar. Rgg. Mattis Intimus Consiliarius etc. Praelatus noster gratiosissimus, superioribus annis, certam quamdam Domum Viennae Austriae, templo S. Annae ex ea parte, qua Hospitali Civium vicinior est, adjacentem propriis pecuniis coëmisset, eamque cum Summa Quindecim Millium quadringentorum ac undecim florenorum, denariorumque 68, quam idem Illustrmus Dominus Praelatus noster Illmo Domino Comiti Nicolae Ezterhassy de Galantha. etc. ex propria pecunia ad Censum numeraverat, sex ad Centum singulis annis computans, ad intertentionem Alumnorum nobis per manus assignasset, et tradidisset: Nos intellecta ejusdem Illmi. Domini alia pia et laudabili intentione, quod nimirum ad Novam Alumnatus erectionem Centum Millium florenorum Rhenensium summam Viennae in Domo provinciali ad Censum deposuisset, Alumnatusque ejus administrationem Patribus Societatis JESu concredere constituisset: matura ac exacta inter Nos deliberatione praehabita, sponte et libere ad id accedendum, assensumque nostrum praebendum judicavimus, ut praeattacta quoque Domus, nec non Summa Quindecim Millium quadringentorum ac undecim florenorum denariorumque 68 una cum Censu apud praefatum Dnum. Comitem Nicolaum Eszterhasy, existens praedictae summae Centum Millium flor. Rhenensium aggregentur, novaque Alumnatus erectio fiat, ac Patribus Societatis JESu ejusdem Alumnatus administratio concredatur, prout in Diplomate novæ hujus erectionis continetur. Imo accedimus, nostrumque benevolum consensum pariter et assensum adhibemus. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Tyrnaviae die nona Mensis Septembris. Anno Domini Millesimo Sexcentmo vigesimo tertio. L. S.

Primi Alumni.

Domo pro suscipiendis Alumnis juxta tenorem diplomatis Pazmanni in vicinia Ecclesiae ad S. Annam, et quidem prout manuscripta Archivi documenta docent, a quodam Joanne Vager, legitimo domus illius prossessore die 6a Julii 1618° pretio quinque millium nongentorum quinquaginta quinque florenorum empta [1]), omnia ita coordinabantur, ut Collegium anno adhuc 1623° mense

[1]) Protocoll. p. 7.

Septembri aperiri potuerit. Quamquam enim a domo Provinciali, ex deposita ibi in alimentationem Alumnatus summa centum millium florenorum, quae die primum 14 Augusti ejusdem anni subsecuta est, Census needum perciperetur. deliberatum tamen erat pio fundatori tum in pecunia, tum aliis in rebus necessaria suppeditare, ut saltim Collegium aperiri queat. Verum furentes per Hungariam Bethlenii turbae adventum alumnis praepediverunt, et tantum anni sequentis 1624 die 25a Maji ceu pervigilio Pentecostes missi tredecim a Fundatore Alumni Collegium subintrare, et vitae ecclesiasticae ibidem initium dare coeperunt. Annales Collegii de Solennitatibus occasione aperti Collegii actis nil referunt, sed nomina solum recensent tredecim illorum electorum juvenum, qui templum illud novum Spiritus Sancti in ejus profesto ingrediebantur, ut vi advenientis in ea domo sacra supra se Spiritus vehementis conversi. tamquam dispertitae linguae, ignem divini ardoris spirantes olim in miseram. haeresis labe infectam remearent patriam suam. fierentque ibi fideles zelatores animarum curae suae credendarum. Erant autem nomina horum alumnorum: Georgius Jurkovics Dobrovodiensis, Rhetor. annor. 22.. Martinus Jurkovics Dobrovod. annor. 23., Martinus Haynik Thapolczanensis an. 24., Jacobus Janesovics Lopassoviensis annor. 22.. Martinus Poëdnik Skaczanensis annor. 22.. Martinus Apáthy Apáthiensis annor. 22.. Hieronymus Gallik Zsolnensis annor. 24., Michaël Fejérváry ex Gyulafehérvár annor. 19., Michaël Antonides Czarensis annor. 22. Joannes Dives e Sancto Georgio an. 22., Casparus Raskovszky Tirnaviensis an. 19.. Gabriel Zavor. Madarasyensis Transsylvanus annor. 25.. Joannes Kasony Transsylvanus annor. 22.

Hunc ultimum si demas, reliqui interjecto trium mensium spatio. dispositioni Fundatoris conformiter professionem Fidei Tridentinae elicientes solenniter spondebant in hunc modum:

Sponsio Alumnorum.

Ego N. N. ex Diocesi N. N. intellecto sancto hujus Alumnatus instituto, ejus me legibus et consuetudinibus libenter submitto, ac Illmi et Rmi Archi-Episcopi Strigon. Domini Petri Pazmany hujus Alumnatus Fundatoris intentionem, in literis fundationis expressam sequuturum, et sacros ordines a meis Superioribus monitum absque ulla contradictione suscepturum coram Deo, et vobis promitto, ita me Deus adjuvet, et sancta ejus Evangelia. Ego idem qui supra N. N. fidem facio hoc meo chirographo postquam rationem et institutum Alumnorum in Archi-Episcopali Collegio Viennae sub cura Patrum Societstis JESu constituto degentium intellexi, libere nullo cogente aut impellente ultro me illud complexum fuisse, in quo quemadmodum in optima disciplina fieri necesse est, spondeo me, ut constitutiones declarant in ejusdem Collegii disciplina tamdiu perseveraturum, donec a superioribus meis, qui mei curam gerent idoneus judicabor, qui vineae Domini, et officiis Ecclesiasticis destiner atque transscribar, item iis studiis me daturum operam atque continuaturum finemque impositurum, quando iisdem superioribus videbitur; si vero humana fragilitate, vel vitio, vel homine quopiam male suadente a sancto hoc et salutari instituto ante tempus a majoribus ordinatum resilirem et deficerem, meam fidem obligo me expensas omnes tum victus, tum vestitus, atque rerum omnium mihi datarum, Gubernatoribus ejusdem Collegii redditurum atque refusurum. Quod etiam intelligi volo, si ob contumaciam aut grave aliquod vitium, quod tale esse judicio bonorum virorum, ob quod e contubernio me jure mei Superiores exturbarent, censeretur. Caeterum non intermittam conari die ac nocte, ut tanto beneficio ac liberalitati Deo bene propitio respondeam. Actum Viennae in Collegio Archi-Episcopali. Anno 1624. 1a die Semptembris. Praesentibus Reverendissimo Dno Stephano Senynyei electo Episcopo Vaciensi, et Aulae Regiae Cancellario. Reverendis P. P. Joanne Argenta Provinc. Austr. Societ. Provinciali, Henrico Lamormaini Collegii Regente, Joanne Horváth Musaei praefecto. Item eodem die et anno tredecim Coalumnis meis suis formulis subscriptis.

Dies haec promissionis, quam Alumni deinceps semper post certum tempus in Collegio transactum, praesentibus spectatissimis viris in manus Regentis deposuerant, et in specialem librum ad id destinatum, qui in archivo Collegii integre adest, propria manu inscripserant, ceu principalis dies Alumnatus habebatur, qua hospites dignissimi convivio etiam in aedibus Collegii excipi sueverunt. — Sic jam de prima hac laeta die scribit Historiographus Collegii: „Placuit Illmo fundatori, qui tunc ob negotia Viennam vocatus erat a Caesare Ferdinando secundo, facere convivium in ipso Collegio Archiepiscopali, cui interfuere Cardinalis Vesing Nuncius Apostolicus, Illmus

Dnus Comes Nicolaus Esterhazy, ipsemet Illmus fundator, R. P. Henricus Lamormaini, Coll. Pazm. Regens" unde simul apparet, primum Collegii Regentem fuisse eundem P. Henricum Lamormaini, cui socii adjuncti sunt, prius quidem P. Joannes Horváth, dein Magister Samuel Pernauer.

A promissione modo solemni facta tum tredecim supra citati, tum alii quinque juvenes, qui uno post illos mense tardius in Collegium advenerant, circa festum nati Salvatoris veste clericali et pallio ex optimo panno, ex Italia allato Zimoson dicto vestiti sunt. — Alumni Collegii Pazmaniani actu caerulea veste induuntur, quae diu signum eorum distinctivum ab aliis fuerat; juvat igitur ea enarrare, quae hoc respectu Annales Collegii referunt. Vestitus Alumnorum.

„Mens Patris Henrici semper fuit, — dicunt citati Annales — Alumnos panno mox memorato vestire, sed de colore inter eum et fundatorem fuit controversia, illo colorem violaceum eligente, hoc autem castaneum: vicit Fundator quoad colorem, retenta panni substantia, et etiam intento a patre Henrico colore quoad collare, pallium". Ex his verbis apparet, alumnos Pazmanni in principio non fuisse vestitos talari coloris caerulei, hujus tamen coloris collaria et pallia deportasse; quod magis confirmatur epistola quoque Pazmanni ad Regentem Collegii 26a Aprilis 1624 Tyrnavia scripta, ubi dicit: „Meis fratribus Canonicis Strigoniensibus aeque ac mihi color violaceus in vestitu Alumnorum displicet. Itaque color, quem ego elegi curandus, vestiendi tamen initio non sunt, sed ubi attriverint, quas ferent nostras" [1]). Confirmatur porro narratione ejusdem annalistae, quam anno 1625. subjungit, ubi ait: „Reverendus Dnus Jurkovics, qui in quatuor temporibus Quadragesimae sacerdos ordinatus fuit, primitiasque suas 9a Martii seu Dominica Laetare in

---

[1]) Codex epistolar. Pazmanni ad Reg. Coll. inter Mansc. Prayiana Libr. XXXIII in bibl. Univ. Pestin.

Collegio celebravit, missus est honeste vestitus in nigris ex materia aestivali ad Illmum fundatorem 13a Martii Tyrnaviam, quem reperit Posonii. Dixi vestitus in nigris, quia illa fere unica causa movit Illmum Fundatorem, ut violaceum colorem noluerit admittere, ne forte sic remissos in Ungariam Alumnos, finitis studiis et alii Clerici imitarentur, vestientes se panno ejusdem Coloris, et hi ipsi Alumni dictum adamatum Colorem nollent dimittere; unde fieret, ut niger color proprius Cleri ab eo in toto regno repudiaretur".

Cum jam verbis his adeo claris in historia Collegii connotatis fides facile denegari nequeat, alumni autem Collegii ab immemoriali caeruleo colore in veste sua Clericali utantur, nec amplius in historia citata mentio alicujus mutationis in vestis colore recurrat: difficultas non exigua oritur in determinando tempore, quo hunc colorem in toto suo habitu Alumni adhibere coeperint. Memorat Annalista, se particulas panni a fundatore electi pro successoribus in librum, in quo haec conscripserat imposuisse, ast particulae hae non amplius adsunt, sicque antiquae solum traditioni fides haberi debet, quae refert, ipsum adhuc fundatorem annis posterioribus colorem hunc caeruleum decrevisse. Caeterum quod color caeruleus, et qui huic coaequatur profundior, seu violaceus genti hungarae semper acceptus, a Clero quoque adhibitus fuerit, tam supra allata narratio indicat, quam acta testantur Synodi provincialis anni 1611. Tyrnaviae sub Cardinale Forgách celebratae, ubi Cap. IIo de Honest. ac Stud. Clericorum Nro. 1o praecipitur: „Clerici omnes habitum Clericalem et tonsuram decenter gerant: nec novum ac ad saecularem habitum accedentem inducant: neve coloribus aliis quam nigro et violaceo utantur, pallia tamen solum nigra habeant" [1]. Quae prohibitio si cum mente

---

[1]) Péterf. II. 208.

Pazmanni supra allata conferatur, lucem capit haud exiguam. Clerum in hunc colorem vestium multum eo tempore inclinasse, atque ideo a P. Henrico hunc colorem fuisse propositum, ut juvenes etiam per hoc alliceret ad statum Clericalem; narrat enim ultro annalista . . . „pannus hic et Alumnos praesentes ad vocationi suae solidius incumbendum excitat, et futuros aliquando ad id vitae genus eligendum provocat: quod cum apud omnes nationes evenire necesse sit, tum maxime apud Ungaricam, quae honestatis admodum amans est. . . . Unde indicatum et hoc motivo ad Statum Ecclesiasticum in tanta Ecclesiasticorum in tam vasto regno penuria provocari debere.“

Domus Ecclesiae S. Annae vicina, quam Pazmannus pro alumnis suis primitus emerat, ob angustiam loci, obque magnam ab Academia distantiam fini intento non respondebat; hinc Pazmannus de alia commodiore et viciniore domo comparanda meditari coepit. Opportuna mox altero ab erecto Collegio anno semet offerebat occasio ad planum Pazmanni effectui mancipandum. Exstitit nimirum domus quaedam in foro Praedicatorum inter Collegium Croatarum, et domum ad album bovem dictam locata, quae hodie diversorium Civitati Londinensi inscriptum est. quam Patres Jesuitae, velut ad Universitatis jurisdictionem spectantem cum pluribus aliis similibus aedificiis sub certis oneribus a se praestandis transsumpserunt, posteaquam cura Universitatis sibi concredita fuisset. Domus haec nomen „Bursae Liliorum“ ferebat, ac ex opposito stabat Ecclesiae Sanctae Barbarae. Hanc domum anno 1465 Burchardus quidam Krebs Licentiatus, et passaviensis Decanus pro pio more illius aetatis decem juvenibus e regno Würtembergico oriundis eo fine destinavit, ut hi, si animum ad studia literarum haberent, ibidem alerentur, seque in scientiis uberrime penes Universitatem excolerent. Licet autem eadem Bursa serius piis legatis Henrici Neuhard parochi Ulmen-

Alumni in aliam domum transferuntur.

sis, et Domini de Leutschau adaucta fuerit: tamen ob juvenum scopo praefixo eo confluentium paucitatem destinatione frustrabatur, et jam anno 1595. domus illa typographo Francisco Kolb in censum elocata legitur [1]). Jesuitae, sub quorum curam serius domus haec transiit, eam nunc, velut fine destinato privatam Pazmanno pro Alumnatu obtulerunt, et pretio 4000 fnorum vendiderunt, prout literae venditionis testantur hujus tenoris:

Ego Guillelmus Lamormaini e Societate Jesu fidem facio, me ab Illustrissimo, et Reverendissimo domino domino Petro Pazmany Archieppo Strigoniensi etc. in pretium Domus, quae hactenus Bursa liliorum fuit nuncupata accepisse quater Mille florenos Rhenenses bonae et currentis monetae, et in ejus accommodationem alios mille. Quam Domum juxta facultatem plenam et specialem scripto mihi ab Rndo Ptre Joanne Argento Praeposito Provinciali Austriae factam, praefato Illmo et Rmo domino dno Archieppo Strigonien. etc. cum Sacrae Caesareae Majestatis consensu vendidi, pro Alumnis Strigonien. et in Collegium Pazmanianum, ea conditione expressa, ut ea nunquam alienari, et in alios usus converti possit. In horum fidem praefato Illmo ac Rmo dno dno Petro Pazmany, Archieppo Strigonien. etc. tria hujus Chirographi mei exemplaria, manu propria subscripti, et Sigillo, quo de Superiorum meorum licentia utor confirmati, ut unum in Archivo Collegii Pazmaniani, cum literis fundationis asservetur, alterum in Capitulo Strigonien., tertium in Capitulo Posonien. habeatur. Actum Sopronii trigesima die mensis Octobris. Anno Dni Millmo Sextmo vigesimo quinto. Guillelmus Lamormaini. L. S. [2]).

Posteaquam Pazmannus domum Bursae Liliorum modo legali emisset: Alumnos suos in eam, sequenti desuper emisso diplomate transtulit:

Diploma, quo Pazmannus novam domum Collegio assignat.

Nos Petrus Pazmany Miseratione Divina Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Regni Hungariae, Legatus Natus, summus Secretarius et Cancellarius, nec non Sacratissimi Principis ac Domini Domini Ferdinandi secundi, Dei gratia electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae Hungariae Bohemiae etc. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. Intimus Consiliarius etc. — Damus pro memoria. Quod licet annis superioribus Domum nostram Viennensem prope Templum sanctae Annae ex parte Hospitalis Civium sitam, et propriis nostris

---

[1]) Geisau Geschichte der Stiftungen Wiens. Wien 1803 p. 119.

[2]) Ex Orig. Archivi Collegii.

pecuniis emptam pro Collegio Alumnorum nostrorum dederamus. Quia tamen et ob angustias Domus illius et ob nimiam ab Academia distantiam incommoda deprehensa est Domus illa pro Alumnatu. Idcirco nos ad laudem Dei Omnipotentis, ac Catholicae Religionis propagationem aliam ampliorem, et Academiae propinquam domum coëmimus, a Patribus Societatis Jesu accedente etiam Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Ferdinandi secundi gratioso Consensu et Confirmatione. Itaque pro domo illa, quae olim Bursa Liliorum nuncupabatur, Quatuor Millia Rhenensium florenorum, pro melioratione vero alios Mille numeravimus Reverendo Patri Guillelmo Lamormaini Societatis Jesu tamquam ad hoc negotium concludendum Plenipotentiario per Societatem constituto. Hanc itaque Domum pro Collegio Pazmaniano Alumnatui nostro Viennae jam antea erecto, ac Patrum Societatis Jesu administrationi commisso juxta literas Fundationis antea per nos erectae Jure perpetuo damus et conferimus ea sub expressa conditione, ut nunquam in alios usus praedicta Domus converti possit, sed perpetuo juxta tenorem Fundationis ante per nos factae pro Alumnatu Clericorum conservetur. Domum etiam liberam Templo Sanctae Annae annexam pro eodem Collegio Pazmaniano relinquimus, ita ut eam alienare aut vendere nunquam liceat, sed censum annuum inde provenientem Collegium percipiat. Vita tamen nostra durante Jus diversandi in tota vel in aliqua parte Domus istius nobis reservamus. In quorum omnium robur ac firmitatem has literas nostras Patribus societatis Jesu dedimus, ac earum authentica exempla penes Venerabiles Fratres nostros Capituli Strigoniens. et Posoniens. extare volumus. Datum Sopronii die Trigesima mensis Octobris Anno Domini millesimo Sexcentesimo Vigesimo Quinto. Petrus Pazmany Archiepiscopus Strigoniensis. L. S.

Consensus Caesareo-Regius, cujus tum in literis Petri Pazmany, tum in illis Guilelmi Lamormaini supra citatis mentio fit, sequenti diplomate ab Imperatore Ferdinando II° fuit datus: Consensus Caesareo-Regius.

Ferdinandus Secundus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae etc. Rex., Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirtembergae, Comes Tyrolis et Goritiae etc. Notum facimus tenore praesentium quibus expedit Universis, Cum Majestati Nostrae expositum fuerit, qualiter Reverendissimus in Christo pater Dominus Petrus Pazmany Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariae, Legatus Natus, summus et secretus Cancellarius, et Consiliarius noster fidelis nobis et sincere dilectus, a devotis nobis dilectis Patribus Societatis JESu Viennae domum unam olim Bursam Liliorum in Academia Viennensi nuncupatam quatuor Millibus florenorum ad exstruendum Collegium et Alumnatum Pazmanianum emerit, pro cujus aedificii melioratione alios item Mille florenos adjecerit et numeraverit; insuper etiam Domum suam Liberam Viennae

Templo Sanctae Annae vicinam in usum ejusdem Collegii Pazmaniani sub certis conditionibus consignarit, prout majore hujus rei firmitate et certitudine, Literas superinde emanatas, dictis Patribus Societatis dederit in hunc qui sequitur modum (Nos Petrus Pazmany etc ut supra) Idcirco a Nobis tam dictus Archiepiscopus, quam etiam praelibati Patres Societatis JESu humillimis precibus efflagitarunt, ut ad praedictam emptionem et Contractum nostrum consensum gratiose praebere eundemque ratum, gratum ac firmum habere, nec non Nostra Auctoritate Caesarea et Archiducali approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Considerantes itaque, quod haec emptio et venditio Domus supradictae ad promovendum Dei Omnipotentis Cultum et honorem, Religionisque Catholicae incrementum cedat, Animo bene deliberato mature accedente Consilio et ex certa nostra scientia, hanc antedictam emptionem et venditionem nostro Consensu ratificamus et approbamus, simulque praeinsertas Literas seu Contractum superinde emanatum in omnibus suis clausulis, punctis et articulis Auctoritate nostra Caesarea et Archiducali roboramus et confirmamus praesentium per vigorem. Statuentes insuper, ut haec omnia modo uti pfertur ab utraque parte et Successoribus suis inviolabiliter observentur; mandantes praeterea universis et singulis nostris Principibus, ecclesiasticis et saecularibus Locumtenentibus Comitibus, Baronibus, Nobilibus Praesidentibus Capitaneis, Vice Dominis Praefectis Consulibus, Communitatum Rectoribus ac Omnibus aliis nostris Subditis, serio et expresse, quatenus predictum Archi-Episcopum Strigoniensem una cum Patribus Societatis JESu Viennae in hac nostra Concessione, confirmatione, et ratificatione non impediant, nec quemquam cujuscunque conditionis vel praeeminentiae is sit transgredi, aut violare permittant; si quis autem eam infringere seu quovis ausu temerario contraire praesumpserit, praeter nostram gravissimam indignationem, et poenam viginti Marcarum Auri pari, pro medietate Aerario Nostro, reliquam vero partem injuriam passo applicandam, irremissibiliter se noverit incursurum: Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, Sigilloque Nostro Caesareo communitarum. Datum in civitate Nostra Regia Sopronii die Sexta Mensis Novembris, anno Millesimo Sexcentesimo vigesimo quinto, Regnorum nostror. Romani sept. Hung. octavo Boh. vero nono. Ferdinandus m. p. L. S. depend. Ad mandatum Sacr. Caes. Majestatis proprium Tobias Gertinger.

Domus Montis Aurei Collegio donatur.

In vicem igitur domus templo s. Annae vicinae, quae originaria sedes Alumnorum Pazmanni fuerat, piissimus Fundator novam eamque commodiorem emerat, prius Bursam Liliorum dictam, prout ex mox allatis Diplomatibus constat. Domus autem illa Templo s. Annae vicina modo tali destinatione destituta est. — Biennio post quippe anno 1627 penes Templum s. Annae Patribus Societatis Jesu jam prius traditum, hi Novitiatum pro Ordine

suo erigere cupiebant, precibus Pazmannum vehementius exorantes, ut domum vicinam, unde Alumnos suos aliorsum transferebat, sibi pro erigendo Novitiatu cederet. Pro suo jam optimo affectu, quo erga Patres Societatis Jesu ferebatur, detulit precibus eorum, et quamvis prius census domus hujus Alumnatui suo ad Bursam Liliorum translato deputasset: nunc editis novis tribus diplomatibus, domum Patribus Jesuitis cessit, eam in primo diplomate sub conditione se cedere asserens, si Novitiatus reipsa erigeretur, ast in secunda jam absque conditione eam cedit, facta vi tertii diplomatis commutatione domus hujus cum alia domo, quae domui Bursae Liliorum contigua e regione stabat Claustri et Ecclesiae Monialium s. Laurentii, cujus etiam domus censum Alumnatui in perpetuum addidit. — Quantum ad domum hanc, quae Mons aureus, vulgo Goldberg vocabatur, juvat referre, eam non secus, ac Bursam Liliorum piam fundationem constituisse antea. Deo quippe juncta vidua condam Pauli Kurz nomine Barbara anno 1469. binas in dicta regione possidebat domos, quarum minorem cum duabus tertiis unius vineae extra urbem in Alszeg — Hernals — sitae erga offerendum pro se per honorabiles Artistas septem artium liberalium Collegii archiducalis in Templo Claustri Monialium S. Laurentii S. Missae Sacrificium legavit. Primus dein Beneficiatus, Magister Theologiae, tardius 1479 Rector Universitatis Joannes Goldberger in domo hac studentibus, qui cantando et mendicando victum suum quotidianum quaerere cogebantur, liberum hospitium assignavit, reliqua parte domus in censum locata. Ab hoc jam Beneficiato domus haec Goldberg fuit nuncupata, quae montem aureum latino sermone significat, transiitque anno 1622 vi sanctionis pragmaticae, quam Ferdinandus II. Jesuitis dederat cum aliis Bursis piisque ac beneficis institutis in possessionem Jesuitarum, qui cum eam Petro Pazmany Archiepiscopo in vicem evacuati Collegii

primitive pazmaniani in vicinia Templi s. Annae siti vendidissent: pro pauperibus domus Montis Aurei studiosis aliam domum tradere debuerunt, prout etiam tradiderunt domum a quodam Scholtz denominatam, ac in platea Joannis sitam [1].

Consensus Cesareo Regius in donationem domus Montis Aurei

Pazmannus facta donatione, vel rectius commutatione domus suae liberae in vicinia Templi s. Annae sitae cum domo mox descripta Montis Aurei, triplex de illa edidit diploma, quorum cum duo solum in Archivo Collegii deprehendantur, commodius esse videtur solenne Ferdinandi II. Imperatoris diploma hicce describere, qui tria Pazmanni diplomata authentice transsumendo, ea sequentem in modum confirmat:

Nos Ferdinandus II. Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Würtembergae etc. Comes Tyrolis et Goritiae etc. Tenore praesentium notum facimus, quibus expedit Universis: quod Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Petrus Pazmany Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique ejus Comes perpetuus, Primas Hungariae, Legatus Natus, Summus et secretarius Cancellarius, et Consiliarus Noster intimus, fidelis nobis sincere dilectus demisse nobis exposuerit, qualiter annis superioribus ad laudem Dei ter Optimi Maximi, Religionisque nostrae Catholicae incrementum, liberam suam Domum in civitate Nostra Viennae, juxta templum S. Annae, ex parte illius plateae versus hospitale civium sitam, pro Alumnatu Hungarorum deputaverit, postea vero ob angustias domus illius, et nimiam ab Academia Viennensi distantiam aliam domum, olim Bursae Liliorum nomine nuncupatam, Nostro accedente Consensu, certis sub conditionibus, et numerata quinque Millium et quingentorum florenorum Summa pro dicto Alumnatu emerit, domum priorem juxta Templum s. Annae Alumnatui eidem nihilominus reliquerit, ut ex annuo Censu locationis plures alerentur; deinde praefatam liberam domum jam antea quidem Alumnatui Hungarorum applicatam, ob singularem erga Patres Societatis JESu affectum, pro Novitiatu Viennae erigendo commutarit cum alia domo, quae vulgo Mons Aureus dicitur; tandem de Monte Aureo hanc fecerit dispositionem, ut vita durante usum sibi reservet, dominium vero et fructus post mortem spectet ad Alumnatum, nisi contingat aut dictum Archiepisco-

[1] Ampliora apud Geisau Gesch. der Stiftung. p. 123. item Kink Gesch. der Wien. Univ. I. 359 A. 366.

pum, aut alios Hungariae Praelatos aliud ibidem Seminarium instituere et fundare pro quindecim adminimum Alumnis; ac superinde certas quasdam literas testimoniales propria manu subscriptas, ac Sigillo suo communitas dederit, in hunc ut sequitur modum:

„Nos Petrus Pazmany Miseratione Divina Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariae, Legatus Natus, Summus Secretarius et Cancellarius, nec non Sacratissimi Principis ac Domini, dni Ferdinandi secundi, Dei gratia Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Styriae, Carinthiae etc. Intimus Consiliarius etc. Damus pro memoria. Quod licet nos annis superioribus, domum nostram Viennensem liberam, juxta Templum Sanctae Annae ex parte Hospitalis Civium sitam propriis nostris pecuniis emptam, pro Collegio Alumnorum nostrorum dederamus, quia tamen et ob angustias domus illius, et ob nimiam ab Academia distantiam incommoda deprehensa est illa domus pro Alumnatu nostro, nos ad laudem Dei Omnipotentis, ac Catholicae Religionis propagationem, aliam domum Academiae viciniorem, quae antea Bursa Liliorum nuncupabatur, a Patribus Societatis Jesu parata pecunia coëmimus, Sacratissimae Caesareae Majestatis, Domini nostri Clementissimi, Ferdinandi Secundi gratioso assensu ac Confirmatione accedente. Itaque pro Domo, quae antea Bursa liliorum nuncupabatur, ejusque melioratione quinque Millia ac quingentos florenos, bonae currentis ac usualis monetae numeravimus; hanc igitur domum, antea Bursam liliorum nuncupatam, ex nutu Suae Majestatis, tanquam supremi Domini provinciae mihi venditam, Alumnatui nostro Viennae jam antea erecto ac Patrum Societatis JESu administrationi commisso, jure perpetuo damus et conferimus, ea sub expressa conditione, ne unquam in alios usus praedicta domus, olim Bursa Liliorum dicta converti et applicari possit, sed perpetuo pro Alumnatu, per nos fundato conservetur. Quamvis igitur caeteras omnes clausulas et Conditiones literis fundationis nostrae praedicti Alumnatus Viennensis insertas, integras et inviolatas in perpetuum servari omnino velimus, ea tamen quae de domo adjacenti Templo Sanctae Annae in literis fundationis statueramus, vigore praesentium literarum nostrarum ad aliam domum, olim Bursam Liliorum dictam transferimus, eamque in perpetuum pro Alumnatu nostro applicamus, sub iisdem omnino Conditionibus, quibus antea domus adjacens Templo Sanctae Annae eidem Alumnatui per nos applicata fuerat. Et quoniam praedictam domum Templo Sanctae Annae adjacentem pro Novitiatu Patrum Societatis Jesu dedimus vigore aliarum literarum nostrarum, idcirco si praedictus Novitiatus realiter et effective erectus fuerit, volumus ut Alumnatus Noster nullum omnino jus in eam praetendere possit ac valeat. Si vero Novitiatus illic erectus et continuatus non fuerit, in illam quoque domum Templo Sanctae Annae adjacentem jus suum integrum, juxta tenorem Literarum fundationis nostrae Alumnatus noster retineat. In quorum omnium robur perpetuo valiturum, has literas nostras sigillo nostro, ac manus subscriptione munitas, eidem Alumnatui nostro dedimus. Datum Posonii in curia nostra Archiepiscopali die vigesima prima Mensis Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo

vigesimo septimo. Petrus Pazmany Archiepiscopus Strigoniensis mp. (L. S.)«. — „Nos Petrus Pazmany Miseratione Divina Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariae, Legatus Natus, Summus Secretarius et Cancellarius, nec non Sacratissimi Principis ac Domini Dni Ferdinandi Secundi, Dei Gratia Electi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. Regis etc., Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Styriae, Carinthiae etc. Intimus Consiliarius. Memoriae mandamus, Quod nos annis superioribus, pro honore Dei, et Sanctae Catholicae Religionis promotione, domum nostram liberam, in civitate Viennensi sitam, ac Templo Sanctae Annae vicinam, propriis nostris pecuniis emptam, pro Alumnorum nostrorum habitatione in perpetuum assignaveramus, postea vero, et ob angustias domus illius et ob nimiam ab Academia distantiam, ut Alumnos nostros ad locum commodiorem transferremus, coëmimus persolutis primum quinque Millibus florenorum Rhenensium, ac postmodum quingentís aliis superadditis, et nihilominus ita de domo illa Templo s. Annae adjacente disposueramus, ne unquam abalienari ab Alumnatu nostro posset, sed ex annuo illius Censu, numerus Alumnorum augeretur. Quia tamen posteriora consilia sapientiora esse solent, nec per hujusmodi fundationes viam nobis praeclusimus meliorandi ea, quae semel statuimus, accedente praesertim consensu eorum, in quos jura fundationis nostrae transtulimus. Idcirco ut et singularem nostrum affectum erga Societatem Jesu magis magisque testatum faceremus, et divini obsequii incrementum pro virium nostrarum tenuitate augeremus, praedictam domum nostram Templo Sanctae Annae vicinam et jam antea Alumnatui nostro applicatam, nunc vigore harum nostrarum literarum ex certa scientia, et animo bene deliberato pro novitiatu Patrum Societatis Jesu illic erigendo in perpetuum damus et applicamus, ita ut si realiter novitiatus illic erigeretur et continuabitur, neque nos, neque Alumnatus noster, in aliam ut praefertur domum a nobis emptam transferendus ullum jus, ullumve censum ab ea domo exigendum praetendere possimus, aut velimus, in perpetuum, quin potius literas omnes ac literalia instrumenta illam praecise domum Templo Sanctae Annae vicinam concernentia, una cum reali domus assignatione, patribus Societatis pro Novitiatu assignamus. Illud unice rogamus, ut Patres Societatis nos quoque orationibus Novitiorum commendatos habere velint. In horum omnium fidem ac perpetuo valiturum testimonium literas nostras manu nostra, ac sigilli munimine roboratas praedicto Novitiatui Patrum Societatis JESu dedimus ac concessimus. Datum Posonii in curia nostra Archiepiscopali die vigesima prima mensis Septembris Anno Domini millesimo sexcentesimo vigessimo septimo." — „Nos Petrus Pazmany Miseratione Divina Archiepiscopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariae, Legatus Natus, summus Secretarius et Cancellarius, nec non Sacratissimi Principis ac Domini Domini Ferdinandi Secundi Dei gratia Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. Regis etc., Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Styriae, Carinthiae etc. Intimus Consiliarius. Memoriae commendamus tenore praesentium. Quod cum nos domum Viennen-

sem, quae olim vulgo Mons Aureus nuncupabatur, et ex opposito Templi Sancti Laurentii sita esse dignoscitur aquisiverimus facta commutatione cum domo nra, quae in eadem Civitate Viennensi Templo Sanctae Annae proxime adjacet, ex ea parte, qua civium hospitale respicit. Idcirco talem perpetuis semper temporibus valituram dispositionem de domo illa, olim Montis Aurei nomine insignita facimus, onerantes conscientias eorum, quibus Dominium dictae domus hisce literis nris transscribimus, ne unquam ullo sub colore, etiam praetextu majoris boni in alios usus eam converti patiantur. Dominium itaque totalis ac integrae domus, olim Montis aurei nuncupatae Alumnatui nostro Viennae per nos, primo in domo Templo Sanctae Annae adjacente fundato, deinde ad domum, quae olim Bursa Liliorum nuncupabatur translato damus et conferimus ita quod Jus ac proprietatem omnem ejus domus, habeat dictus Alumnatus noster, his tamen subsequentibus sub Conditionibus. Primo, ut vita nostra durante usus illius domus noster praecise sit, nec praedictus Alumnatus quidquam in ea disponere possit. Secundo, quod nunquam praedictam domum alienare vel vendere possit Alumnatus, sed elocare, et ex Censu numerum Alumnorum augere teneatur. Tertio, Quodsi vel nos, vita nostra durante, vel post nostrum decessum, alii praelati Ungari, Seminarium, seu Alumnatum Ungarorum Ecclesiasticorum, vel Saecularium fundare, erigere ac dotare proventibusque ad minimum quindecim Juvenibus alendis necessariis instruere decrevimus, in eo casu domus illa ad usum praedicti Alumnatus, vel Seminarii ita applicetur, ut nullum exinde censum modernus Alumnatus Noster Jure Dominii per nos ei collati praetendere possit, sed plenum ac perfectum usum fructum, absque ullo onere noviter erectum Seminarium vel Alumnatus sub cura Patrum Societatis JESu habeat in perpetuum. In quorum omnium fidem ac testimonium, has literas nras manu ac Sigillo nro firmatas Alumnatui per nos Viennae erecto dedimus et consignavimus. Datum Posonii in Curia nra Archi-Episcopali die 21. Mensis Septembris Anno Dni MDCXXVII. Petrus Pazmany Archi-Episcopus Strigoniensis m. p. (L. S.). – Ideo Majestati Nostrae humillime supplicavit, ut praedictas ipsius Dispositiones, in literis praetactis uberius expressas non modo ratas et gratas haberemus, verum etiam omnia et singula in iis contenta authoritate Nostra Caesarea et Archiducali confirmaremus et ratificaremus. Cum igitur hanc dispositionem et donationem a dicto Archiepiscopo factam in summum Religionis nostrae Catholicae bonum evenire intelligamus, ejusmodi pios Conatus assensu et favore Nostro gratiose non potuimus non promovere. Animo itaque bene deliberato, maturo accedente Consilio, deque certa Nostra scientia antedictam Dispositionem et Donationem in literis praeinsertis contentam, approbamus, ratificamus et confirmamus. Volentes, et Authoritate nostra Caesarea et Archiducali expresse statuentes, ut illa omnia perpetuis omnino temporibus suum robur obtineant, et ab omnibus quorum interest, sincere, candide, ac inviolabiliter observentur. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Harum vigore literarum manu propria subscriptarum et Sigillo Nostro Caesareo communitarum. Datae in Arce Nostra Pragae die vigesima octava Mensis Octobris, Anno supra Millesimum Sexcentesimum vigesimo septimo, Regnorum Nostrorum Romani nono, Hungarici

decimo, Bohemici vero undecimo. Ferdinandus m. p. (Sigill. depend.) Ad mandatum Sacr. Caes. Majtis proprium. Tobias Gertinger mp. [1]).

Protestatio Universitatis Viennensis propter domum „Bursa Liliorum" et „Mons Aureus."

Domus Bursae Liliorum impigro labore usibus Alumnorum Collegii Pazmaniani adaptari et repurgari coepit. Inscriptio et insignia Pazmanni, quae domum ornabant, simul novam ejus destinationem in fronte ferebant. Quaenam haec inscriptio fuerit, in documentis Collegii nuspiam indicatur, credi tamen facile potest, illam titulo insignitam fuisse illo, quem Rudolphus Kink in historia Universitatis Viennensis adducit: „Seminarium hungaricae juventuti altioribus disciplinis excolendae" [2]). Titulo autem ac insigniis domum ornatam fuisse, literae testantur Consistorii Academici, quas hocce Consistorium die 26. Februarii Anni 1628. ad Pazmannum exaraverat, in quibus illud contra alienationem Bursae Liliorum et domus Montis Aurei a Patribus Societatis Jesu Pazmanno factam excipit, eamque illegali modo factam queritur. Literas has, cum eae Collegium Pazmanianum proxime concernant, multave memoratu digna contineant, non abs re erit hoc loco referre; Consistorium itaque sequentem in modum scribit Pazmanno:

Illustrissime, Reverendissimeque Princeps, ac Domine Domine gratiosissime! Etsi hactenus viderimus aedificium Bursae Liliorum, jure proprietatis ad Universitatem spectans, renovari, nunquam tamen aliter cogitare potuimus, quam hoc ipsum fieri pro antiqua fundatione, at vero certa nunc relatione, fidem etiam faciente super portam posita inscriptione, et insigniis, accepimus, eam ipsam Liliorum Bursam Vestrae Illmae Celsitudini P. P. RRdos Societatis JESu pro certa pecuniae Summa vendidisse, et sic absque scitu et voluntate nostra, a natione, a fine, et titulo piorum Fundatorum (quod ipsi nos facere non potuisse-

---

[1]) Omnia tria diplomata in unum Ferdinandi II. confirmatorium transsumpta eodem anno, eademque die, i. e 21. Septembris anni 1627. exarata cernuntur. Primum et ultimum in originali adest in Archivo Collegii; ast secundum desideratur. Cum autem in serie trium horum diplomatum supra descripta, in primo provocatio fiat ad mutatam Pazmanni mentem circa aedem templo S. Annae adjacentem jam prius subsecutam, et haec mutatio in diplomate loco secundo descripto apponatur: apparet errore describentis diploma primo loco ponendum, loco secundo descriptum fuisse, in quo nomen etiam Pazmanni subscribere intermisit.

[2]) Geschichte der kais. Univ. in Wien. Viennae 1854 I. p. 366.

mus) domum ab Universitate putative abalienasse. Notum enim est hanc Bursam a Canonico Viennensi fundatam atque ab eodem Ducibus Würtembergicis (a quibus et stipendium hucusque missum est) eum in finem commissam esse, ut Würtembergici, ac deinde alii etiam Germani Studiosi sine Obligatione ad Statum Ecclesiasticum ibidem perpetuo alerentur. Et licet Rector et Consistorium aedificia Universitatis nostrae almae Societatis P. P. ut unitis membris, per nuperrimam Caesaream Incorporationem tantum ad usum tradi permiserit (proprietas enim ac directum Dominium semper reservatum est Rectori et Consistorio Universitatis tanquam Capiti, utpote cum illud nec potuerit, nec voluerit unquam abalienare) ut nimirum Collegium, Schola, et Templum construerentur, reliqua vero aedificia Universitatis juxta antiquam fundationem in Seminario ita converterentur, quo pii fundatores suae intentioni copiose satisfactum esse experiantur, prout hisce verbis eorumdem P. P. repromissio declarat. Ideo pro conscientia, Jurisdictioneque nostra salvanda, facere minus non potuimus, quam Illmae Rmaeque Vtrae Celsitudini hisce praesentibus condigna reverentia insinuare, emptionem dictae Bursae Liliorum, similiter et Domus Aurei Montis pro habitatione pauperum studiosorum fundatae subsistere non posse. His sapientissimo Illmae Vtrae Celsitudinis judicio expositis, nobis omnino persuademus, Vtram Illmam Celsitudinem in dicta emptione et reparatione domus pro fundatione Alumnorum suorum (de qua alias uti piissima tantoque Antistite dignissima summopere toti Ecclesiae, et nostrae etiam Universitati gratulamur) tum pro Conscientia propria, tum Fundationis suae Securitate ulterius non modo non processuram, verum etiam id, quod hucusque nobis insciis actum est, deserturam. Quodsi vero praeter omnem spem nostram secus factum fuerit, stimulante Conscientia omittere non poterimus nos et illud facere, quod pro conservando jure Universitatis, atque piorum Fundatorum intentione Jus, Ratio, et Justitia postulaverit. Deus ter Opt. Max. Illmam Celtnem Vestram (Cui nos subnixe commendamus) ad utriusque Reipublicae augmentum, Religionis ac Fidei praesidium, multis Annorum spatiis Clementissime conservet. Viennae Austriae ex Consistorio Academico 26ª Februarii Anno 1628. Illmae, Rdissimae Celsitnis Vrae obsequiosissimi Rector et Consistorium. Joannes Baptista Lindenberg mp. a Bruckenbruck AA. et Phil. D. pt. Universitatis ibidem VNotarius. P. S. Quod tardius hae exarentur literae, in causa est obitus nostri Notarii.

Pazmannus acceptis Consistorii literis, nullus morabatur responsum eidem referre, justam aedium controversarum possessionem demonstrando; copiae harum literarum propria manu Pazmanni, ut scriptura arguit confectarum in Archivo Collegii adsunt, et sequentem in modum sonant:

Magnifici, Generosi, Clarissimi ac Doctissimi Domini Amici, ac Vicini obsequentissimi! Quas ad me Dominationes Vtrae 26ª Februarii Responsum Pazmanni.

scripsere literas, hodie primum accepi, quae non modicam admirationem mihi attulerunt. Ego enim tertio ab hinc Anno Bursam Liliorum olim vocatam bona fide emi, persoluto justo pretio, sicut et alteram Aurei Montis vocatam domum commutatione facta, pro Alumnatu acceptarum a Patribus Societatis Jesu, quos integritate ac conscientia praeditos certo sciebam, quod rem alienam et extra limites sui juris positam vendituri non essent. Quin etiam Sacratissima Sua Caesar. Majestas D. N. Clementistimus, tanquam Supremus ac Haereditarius Austriae Dominus peculiaribus suis diplomatibus utramque hanc emptionem confirmavit, ac perpetuo valituram sanxit. Id quod Monarcha tantus nullo modo facturus erat, si venditio harum jure fieri non potuisset. Quocirca nunquam mihi in mentem venit, de hujusmodi Emptionis firmitate dubium ullum admittere, hocque vero minus de Jure harum Emptionum inquirere, vel illud disputare, an fundatio per Canonicum Viennensem facta ad alias aedes transferri certis rationibus potuerit, illud solum dico me domos illas, praedictis Rationibus bona fide possidere. Atque ideo licet in rebus omnibus, quae integro officio praestari a me possunt libenter V. V. Dnationibus et communiter omnibus, et singulis separatim gratificaturus, hac tamen in re integrum mihi non est ab Emptione facta recedere. Et ea dicendo DD. VV. feliciter valere ex animo cupio. Posonii 2. Junii 1628 DD. VV. Amicus et vicinus addictissimus PP. Archiep. Strigoniensis.

Quaestio haec controversa non videtur cito soluta fuisse, adest enim conceptus aliarum quoque literarum, in quibus Pazmannus Suam Majestatem enixius orat, ut emptionem hanc controversam, edendo ocyus diploma altissimum, suo judicio decidere velit, scribit enim Pazmannus:

Literae Pazmanni ad Imperatorem in eodem merito.

Sacratissime! etc. Superioribus diebus repraesentaveram Majestati Vestrae, quid Magnificus Dnus Rector et Consistorium Inclytae Universitatis Viennensis ad me scripserit ratione domorum olim Bursae Liliorum, et Montis Aurei, quas Ego ex benigno Majestatis Vestrae assensu et consensu pro Alumnis ungaris emeram. Rogaveramque demisse, ut Controversiam hanc Majestas Vtra clementer terminari faciat. Nam etsi litem hanc de domibus meam facere nolim, cum Venditores ad Evictionem obstringantur, Tamen mihi valde incommodum est domos illas vacuas servare, nec Alumnos illuc migrare posse. Quocirca Majestatem Vtram iterato demisse rogo, velit quamprimum Controversiam hanc decidi, ut si Jure domus vendi potuerunt, Alumni illuc migrare possint. Sin autem venditio fieri non potuit, Evictores mei pretium acceptum refundant. Quidquid autem hac in re M. Vtra clementer decreverit, id Augusto suo diplomate pro futura Collegii securitate cautum velit. Servet Deus M. V. diutissime incolumem.

Expositio tituli possessionis, quo Jesuitae dictas domos tenebant.

(Subscriptio et datum desiderantur).

Ut uberius ea, quae de domibus Bursae Liliorum et Montis Aurei dicta sunt, intelligantur, necesse videtur expo-

nere, quod dum Collegium Jesuitarum Universitati incorporatum fuisset, decretum Caesareum hanc incorporationem approbans, atque sub titulo Sanctionis pragmaticae Anno 1623. die 13ª Octobris publicatum, inter caetera de Bursis, quarum plures fuerant, aliisque idmodi aedificiis hoc statuerit, ut illa, quatenus ad Universitatem spectant, societati dentur, et tradantur fine erigendi eorum loco Collegia societatis, scholas, et templa (§. 8). Quae autem aedificia fabricando Collegio Societatis, scholis etc. necessaria non essent, Societas in seminaria convertat studiosorum. De literis autem Bursarum statuit, ut eae quantum fundationem et stipendia concernunt, in Universitatis archivo asserventur, quae autem domos ipsas Societati traditas respiciunt, Rev. patri Rectori consignentur. Quamvis jam statuta hoc diplomate caesareo comprehensa talia fuerint, super quibus prius inter Universitatem et Patres Jesuitas solenniter conventum fuerat: tamen simultates, quae ante hanc conventionem ortae, huic decreto originem dederunt, deinceps quoque inter Universitatem et Patres Jesuitas perdurarunt. Atque in hocce tempus graviorum contentionum incidit etiam praeallata protestatio Universitatis ob venditas domos Bursae Liliorum et Montis aurei, quae quidem duae domus non ejusdem conditionis erant in manibus Patrum Societatis Jesu. Domus enim Bursae Liliorum stipendiatos complectebatur, qui in illa alebantur, domus econtra Montis Aurei non bursa, sed coderia erat, i. e. hospitium solum pro miseris studiosis, qui vitae media non e stipendio fixo, verum e cantu, mendicatione, famulatu etc. percipiebant. Jam juxta allatam pragmaticam sanctionem fundatio Bursae Liliorum alienari non potuit, potuit tamen domus, cum Jesuitae Bursarum incolas in unum Seminarium studiosorum a se apertum collegerint; non eadem erat ratio Montis Aurei, dum enim hanc domum vendiderunt, hospitium miseris studiosis ademerunt, ut adeo obligati fuerint de nova domo prospicere, ubi hi men-

dicantes studiosi habitatione provideri potuerunt. Quid caeterum in controversa emptione et venditione Bursae Liliorum et Montis Aurei Imperator Pazmanno ad literas supra descriptas responderit, notum non est; res attamen nova conventione inter Universitatem et Patres Societatis Jesu inita, caesareoque decreto confirmata Anni 1653[1] initio finita est in illum modum, ut stipendiati, qui antehac in Bursis Universitatis alebantur, deinceps et futuris perpetuis temporibus, in domo S. Ignatii a Patribus Jesuitis de novo constructa commodam habitationem et sustentationem habeant, utve loco domus olim Montis Aurei nuncupatae eadem societas aliam commodam et aptam domum emat, ubi mendicantes studiosi habitare possint, et ubi una cellarium et torcular esset pro reponenda illarum Bursarum vindemia, quae vineas vi fundationis possident. Haec domus a Societate in hunc finem empta, omnibusque oneribus libera in platea S. Joannis erat sita, ac prout alibi dictum iam erat, Scholziana compellata, quae attamen cellario destituebatur, ob quod Patres Universitati instar recompensae 1800 florenos sibi in Provincia legitime debitos cedere debuerunt [1]).

Domus Montis Aurei memorabile insuper objectum gaudii fuerat Patribus in Synodo Nationali Tyrnaviensi anno 1630 congregatis, ubi cum de conflando ad erigenda Seminaria aere inter Patres ageretur: „Illmus D. Cardinalis Petrus Pazmany pro ardentissimo suo erga Deum et Ecclesiam zelo, et effusa liberalitate, statim libenter et sponte obtulit, deditque domum suam Viennensem olim Aurei Montis vocatam e regione monasterii ac Templi S. Laurentii sitam pro instaurando ac fundando quamprimum Clericorum Alumnatu“ [2]). Seminario tamen tali ob adjuncta temporum in piis solum propositis permanente,

---

[1]) Kink II. 448—483

[2]) Péterfy. II. p. 309

nec erecto, domus Montis Aurei proprietas Collegii Pazmaniani mansit ad hanc usque diem [1]).

RES PECUNIARIA COLLEGII.

Pazmannus testibus literis fundationis summam Centum Millium florenorum Rhenensium in puro auro, et Talleris imperialibus instar summae Capitalis in domo provinciali Viennae eo fine deposuit, ut ex ejus censibus Alumni in Collegio suo alerentur. Praeter hanc notabilem summam alios quindecim mille quadringentos undecim florenos, et sexaginta octo denarios apud Comitem Nicolaum Esterhazy in censum locatos eidem fini assignavit, ut adeo originaria fundatio Pazmanni summam **115411.** fnorum et 68 denariorum effecerit.

---

1) Domus haec anno 1627. periculo incendii fuit exposita, prout e literis sequentibus ad Pazmanum directis apparet hujus tenoris:

Illustrissime ac Reverendissime Princeps, Domine Domine colendissime! Pax Christi. Civitatem Viennensem visitavit Deus in igne, die 21. huius. Ante decimam matutinam flante austro vehementissime, ortum est incendium prope S. Nicolaum, et contra aquilonem tanto perrexit impetu, ut nulla vi, nulla industria debachantiae grassanti obviari potuerit. Corripuit aedes tam in civitate quam in suburbio trans danubiano, (nam eo ignem vis venti deportavit) centum quadraginta sex. Circa Collegium et Conventum, circa utramque Illusrissimae D. V. domum omnia vorax flamma devoravit. Servatum est Dei beneficio et incredibili nostro labore Collegium totum, cum Auditorio, Convictus, Scholae, Mons Aureus integre nisi quod magna pars tecti sit dejecta. Dum laboro ut servem Collegium cum Patribus, Collegium Pazmanianum, cui nihil tam cito metuere potueram, correptum est. Hujus rei ignarus posito nostro Collegio utcunque in tuto vado cum P. Hack Regente Olomucensi ut revisam dictum C. V. Collegium, et provideam ne quid patiatur detrimenti, et ecce invenio horrende correptum, ut P. Hack exclamaverit esse impossibile incendium extinguere. Injicio Agnum cereum quanta potui fide, et solus cum se donec accurrant alii manum appono, et feliciter Dei beneficio. In omni mea vita non ita laboravi. Nullus Alumnorum adfuit, neque P. Regens quia per incendia ubique grassantia et undique, penetrare non potuerunt. Universum damnum tecti in Monte aureo dejecti ex parte, et laesi aliquantum ex una parte Collegii, quingentis Rhenensibus potest reparari meo judicio. Si vel unus Alumnus adfuisset, omnino Pazmaniano Collegio non nocuisset incendium. Contra nissi illud servassemus, peribunt aliae aedes 50 et Monasterium S. Laurentii. Deus omnia bene fecit, et spero hoc nomine Deum nos a majoribus malis liberaturum. Mirabile illud in tanto incendio, quod tenuit horas decem eoque amplius non modo nullam conflagrasse Ecclesiam, sed nequidem correptam aut tactam, imo scio domum conflagrasse, et in ea servatam Capellam consecratam, et per illam plures domos. Dum has scribo reconciliatur Ecclesiae Dominus Ladislaus Révai. Me C. V. demisse commendo. Servus in Christo Viennae 23. April 1627. Guilelmus Lamormaini. Mss. Prayian. XXXII. 31.

Quantum ad centum mille florenos in domo provinciali depositos attinet, illos fundator benignissimus Anno 1623 14a Augusti penes status inferioris Austriae erga stipulatos quinque florenos post centum in censum locavit; evolutis tamen vix quatuor annis, jam Deputati Dominorum Statuum Inferioris Austriae in suis 1. Augusti 1627. exaratis literis semet solvendis stipulatis censibus pares non esse Pazmanno referunt, exhaustumque penitus pluribus titulis fiscum suum querulantes Pazmannum ceu creditorem precibus flagitant, ut ad normam aliorum Creditorum, quorum aes statui mutuo datum, hujus fisco in aestimatione, intrinsecum aeris valorem superante inferebatur, nunc ipse quoque tam capitalis summae, quam et censuum aliquam portionem remittere velit [1]).

Renuit hoc facere Pazmannus, qui pro suo maximo, quo in augmentum Cleri hungarici inflammatus erat zelo, numerum eorum augeri potius, quam imminui unice optabat, quod posterius necessario sequi debuit, si cum summa Capitali etiam census decrescere debuissent secundum vota Dominorum Deputatorum. Ad Caesarem igitur, quo semper maximo protectore gaudebat, recurrit, piae suae causae obices querulatur, medelamque orat. Caesar per Commissionem eo fine deputatam negotium inquiri ac componi jussit, fotisque hinc inde consiliis, cum Status inferioris Austriae maxima rei pecuniariae perplexitate premerentur, nec solvendo pares essent, Pazmanni autem maxime interesset, ut Collegium suum tandem efflorescere incipiat: moras, quas e contentione oriri oportebat, pro majori ac falcidiam aeris sui reputans detrimento, votis cessit Deputatorum Statuum, ac ex Summa capitali, quam eo, quod in puro auro et argento deposuisset, Status in aestimatione florenorum triginta millium supra Centum susceperunt, ad rotundos centum mille, censum autem ex quinque ad qua-

---

[1]) Archiv. Coll. Act. orig. N. 8.

tuor post Centum florenos remisit, ut saltem deinceps census ordinate pendantur. Haec autem omnia sequenti suo diplomate complexus est:

Nos Petrus Pazmany etc. Notum facimus per praesentes. Quod cum nos Annis Superioribus Centum Millia florenorum Rhenensium Viennae in Domo provinciali deposuerimus: quam quidem Summam Inclyta Provincia Austriae Inferioris in bona moneta pro perpetuo Censu, quatuor per centum computando acceptavit, atque ex reditibus octodecim compatientium Civitatum per earundem perceptorem annuatim in duobus terminis, certo ac infallibiliter persolvendum deputavit, ac pro more solito certas super ea Summa et Censu litteras Obligatoriales ad manus nostras assignavit. Nos mature considerantes, quanta sit in Hungaria penuria Sacerdotum, erecto ac fundato Viennae certo Alumnorum Clericorum Seminario, praefatam Summam una cum Censu ex ea annuatim pendendo, ad intertentionem dictorum Alumnorum Nostrorum Patribus Societatis Jesu administrandum una cum literis obligatoriis dedimus et concessimus. Conditionibus ac Modis in literis Fundationalibus expressis. Prout damus et concedimus praesentium per vigorem, nullum jus, nullamque proprietatem in praedicta Centum millium Summa, ejusque annuo censu nobis reservantes. Datum Viennae Austriae octava die mensis Maji Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo nono. Petrus Pazmany mp. (Sig. pend.) Joannes Törös mp.

Conventione hac facta sperare licuit, Status inferioris Austriae obligationi suae responsuros. Quod tamen nec modo quidem factum est; cogebatur enim Pazmannus mox anno sequente Status hos denuo provocare, ut censum debite solvant, quorum etiam die 22[a] Martii anni 1630. responsum tulit, in quo hi Status restantis census causam eam assignant, quod octodecim civitates inferioris Austriae, quibus solutio census a summa capitali Pazmanni demandata fuit, huic suo officio respondere tergiversentur; fidem tamen Pazmanno faciunt, se compatientes has octodecim civitates coram se ad Comitia citaturos, eisque exactissimam hujus sibi impositi officii observantiam impositiuros fore. Tandem vero ultima die Martii ejusdem anni solennes literas Deputati Statuum saepe fati Pazmanno transmiserunt, in quibus pollicentur spondentque, quod census annui quatuor florenorum a centum in duobus terminis, hoc est quoad dimidiam partem ad festum S. Mar-

tini. et quoad aliam dimidiam partem ad festum purificationis BMV. singulis annis e tributis provincialibus, pensionibusque octodecim Civitatum illarum irrefragabiliter et infallibiliter in manus Rectoris Alumnatus Pazmaniani per perceptores Civitatum dictarum deposituri sint; quodsi Civitates hae id praestare intermitterent, ad censum decem florenorum post Centum, omniumque damnorum emergentium compensationem obligari possint. Tenore hujus Contractus una edicitur, quod summam illam centum millium florenorum nec Pazmannus, nec ejus Cessionarii repetere possint; e contra Status Inferioris Austriae illam post viginti annos, si illis ita visum foret, reddere possint, quo attamen in casu uno anno citius simile consilium suum via legitima iis, quorum intererit, notum reddere obligentur.

Pazmannus Regentem Collegii Posonium evocat, eique in cista certam aeris summam consignat.

Durantibus his contentionibus Archi-Episcopus Petrus Pázmány, orante id Caesare, a Pontifice Urbano VIII° purpura ornatur 1629. solennesque Legati Caesarei vices Romae fideliter non secus ac viriliter sustinet 1632°. Galero ac Titulo Ecclesiae S. Hieronymi Illyricorum clarus dum jam jam grandaevus ex itinere longo domum reversus est, palam affirmabat foetus sui immortalis nec sub curis splendidae Legationis suae, nec trans regna et aequora se oblitum, imo illum maxima qua fieri potuit sollicitudine prosecutum fuisse. Affectus enim sui, quo Alumnatum suum complectebatur, aliquod externum editurus argumentum, Regentem Vienna Posonium per epistolam evocavit, eique post unius alteriusque diei conversationem praemissam, 26. Octobris hunc in sensum animum suum patefecit:

„Mors est — verba sunt Eminentissimi — mi Pater mirabile monstrum, quod homini, quem semel extendit, non dat recolligendi se potestatem. Adverto manifeste vires corporis mei sensim minui, et certus sum, post obitum meum non omnia juxta dispositionem a me jam alias factam expedienda. Constitui proinde, dum adhuc in vivis

sum, certam aliquam pecuniae — R. Vrae eam non indico — summam Alumnatui meo Viennensi, Causa Donationis mortis per R. Vtram eo fine transscribere, ut bona aliqua stabilia pro Alumnatu illo meo post mortem meam emantur, et auctis annuis Fundationis proventibus major numerus juvenum ad curam animarum suo tempore in Ungaria suscipiendam idoneorum in eo sustentetur."

Quam providam et in totius Regni bonum intentam Eminentissimi mentem ne productior aliqua dilatio in executione redderet inutilem, 28. die mensis praeattacti pridem ante conceptam voluntatis suae ultimae clausulam annulari suo sigillo communit, et tam manus propriae, quam eorum, qui tum in Aula ipsius ad hoc perhumaniter invitati comparuerunt, subscriptionibus firmatam, sine ullo alio Arbitro in cistam ferream, colore viridi a foris tinctam conjicit, ipsam vero cistam una cum Summa illa legati, quae in ea continebatur, Posonio Viennam avehendam die sequenti Patri Regenti consignat, quam P. Regens die dicta Viennam advectam in Archivo Domus professae Soc. Jesu ex Testatoris dispositione deposuit.

Obitus Pazmanni ejus laus, et munificentia.

Atque haec dispositio immortalis memoriae Cardinalis Petri Pázmány circa Collegium a se fundatum prout tenerrimae ejus sollicitudinis documentum novum, ita amplissimorum circa illud benefactorum ultimum erat. Vix enim ac hyems transiit, die mensis Martii 19 anni 1637. Sancto Josepho sacra, ex humoribus in pectus ejus refluentibus in lethali, quod petere cogebatur strato, pie ut semper vixit obdormivit, mercedem exantlatorum pro Deo laborum recepturus in coelo. Ingemuit ad viri tanti obitum Hungaria, proceres omnisque populus maximo, imo inexplicabili opprimebantur ob ejus decessum dolore, nec describi potest immensitas desiderii, quod in animis illustrium virorum, patriae civium et exterorum, et vel maxime ecclesiasticorum vita functus Pater hic Patriae reliquerat! Vir pius, fata anni hujus citati in historia Collegii refe-

rens, maesto corde haec ex ore coëvorum suorum de magni hujus Antistitis morte consignavit: „Post obitum Eminentissimi Fundatoris Collegii hujus hae voces a maximis et sapientissimis usurpatae passim edi audiebantur: Orbata est Ungaria anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo Patriae Patre. Cardinalis Pazmany fatis hoc anno cessit, cui parem alterum Ungaria nec ante suo gremio complexa est, nec facile post est visura. Non a paucis succlamatum: Utinam saecula singula aliquem Pazmanno similem edant. Convenerat me unus eorum, qui sensim deficienti ac elanguescenti adstiterant Cardinali. Fuit is vir primarius e Camera Posoniensi, et ante hac non paucorum annorum decursu a Secretis Cardinali eidem; qui existimationem suam, quam de rarissimo hoc viro pridem conceptam fovebat, his verbis me coram fuit auditus eloqui: Mi Pater, non paucorum spectator fui, qui animam agebant, nullius tamen e vita hac migratio, ac funus Pazmanni in singultus nec non lacrymas pectus meum tam potenter resolvit; quo cum sapientiam raram, rerum agendarum tractandarumque peritiam exquisitam, multiplicium scientiarum thesaurum exstingui spectabam ac quodammodo emori. Communis regnicolarum sensus fuit Cardinalem Pazmany e rarissimis ingeniis fuisse non postremum, ac inter sapientissimos Europae non ultimo loco censendum. Reliquit porro sapientiae suae non obscura monumenta, partim in excitatis ac bene dotatis pro Juvenum ad regimen Animarum aliquando admovendorum educatione Seminariis; partim in instauratis et a fundamentis non modico sumptu exaedificatis Religiosorum ac Religionem professarum Virginum domiciliis; et certe quid fundata Patribus SS. Jesu Tyrnaviae Studiorum Universitas, quid iisdem Patribus erecta Posonii domus aliud sunt, quam nunquam exstinguenda sapientiae Petri Pazmany vestigia? Persuasissimum vir hic singularis habebat, Hungariam ab erroribus eam defoedantibus ad splen-

dorem pristinum duobus posse mediis vindicari: bona videlicet ac recta Juvenum Sacerdotii cupidorum institutione, tum literaria filiorum Regni a teneris annis assuefactione; quam in rem auri argentique sumptus non tam destinavit, quam profudit" [1]).

Quid cista viridis continebat?

Erepto sic e vivis Fundatore Collegii Pazmaniani, Cardinale Patre Pázmány, cista quam in tesseram suae omnimodae sollicitudinis, reclusam tamen, Patri Regenti Collegii Viennam abducendam tradidit, voluntati ejus conformiter aperienda erat. Peractis igitur Posonii solemnibus super exuviis denati piissimi Cardinalis exequiis, die 8ª Aprilis ejusdem Anni comparuit Viennae Georgius Lippay, Episcopus Agriensis et Regni Hungariae Aulae Cancellarius, cistamque ferream colore viridi a foris tinctam ex dispositione Eminentissimi piae memoriae Cardinalis Pázmány ope P. Joannis Hmira Posonio Viennam advectam, et in Archivo domus professae 29. Octobris 1636. depositam, tanquam Testamentariorum principalis, aperuit, ac

[1]) E plurimis Pazmanni munificentiis majora solum hic adferre liceat; pro juvenibus, qui scopo ulterioris culturae Romam ad Collegium Hungaricum mittebantur 1333 aureos fundavit; Tirnaviae pro Seminario s. Adalberti 20000 fnos dedit; ibidem Universitatem 100000 fnis erexit, convictum item Juvenum 49000 fnis. Posonii Academiam scientiarum fundavit 50000 fnis. Ordines religiosos, cumprimis Jesuitas plurimo aere juvit. Caesari insuper anno 1629. mutuo 30.000 fnos dederat, e quorum censu annuo partem Sacerdotibus sub jugo Turcarum constitutis, 200 autem florenos dilecto sibi Collegio Viennensi addixit. Census pendendus arci Hainburgensi a Caesare imponebatur, quae etiam illum Collegio diu dependit; ab anno tamen 1670. non amplius ejus recurrit mentio. Caetera quis enarrabit? ut adeo jure assentire possimus Oratori illi docto, qui occasione solennis dedicationis Universitatis Tirnaviensis sic Pazmannum affatus est: „Caetera tua in rempublicam Hungaricam merita sunt multa et magna ac plane talia, ut mihi in mentem venerit cogitare tuam istam manum aut Divi nostri Stephani fuisse, aut illius in hac tua revixisse ad benefaciendum Hungariae". Sepultus autem est nunquam satis deplorandus hic Antistes Posonii in Ecclesia S. Martini. Diu credebatur coram reliquiis S. Joannis Eleemosynarii, quas vivus argentea theca et perpetuo lumine ornavit, venerandas ejus exuvias jacere, donec anno 1859. ductu quorumdam documentorum in sanctuario ad pedes altaris majoris investigatione facta, depositus fuerit inventus. In simplici tumba, vestibus ordinis Soc. Jesu indutus, barba integra cum bireto nigro requievit vir hic immortalis, qui tutus exspectat resurrectionem mortuorum; emortuam enim paene per Hungariam fidem resuscitavit; zelo, pio ardore ac munificentia excelluit, convertit plurimos ad viam justorum, erudivit ad justitiam multos, ob id fulgebit non muneribus solum, sed eruditissimis operibus quoque, quorum 28 typis etiam procusa sunt, velut stella in perpetuas aeternitates! — De inventis ejus exuviis cf. Religio 1859; et Pázmány Péter sirja. Pest. eod. anno. Opera ejus scripta lege inter Scriptores Provinc. Austr. Soc. Jesu a Joanne Stoeger Vienn. 1856 p. 256.

quae in ea fuere reperta, praesentibus e Societate Jesu Patribus, Patre Jacobo Rampelio Domus professae praeposito, Guilelmo Lamormaini, Georgio Dobronoky, Alberto Wilpenhofer, Collegio Pazmaniano per P. Joannem Hmira Collegii Pazmaniani Regentem integre consignavit. Inventi autem erant in cista duo sacci continentes decem millia Aureorum, et alii decem sacci, continentes thalerorum argenteorum millia decem. Praeterea duas chartas papyraceas continebat cista haec, quarum prima, auro gemmisque pretiosior, beneficae illius dexterae piissimi Fundatoris continet characteres proprios. Propria enim manu consignavit summas illas notabiles, quas donatione mortis causa dilectissimo suo Collegio servituras in cistam hanc reposuerat, quarumve valorem praeter se vita durante nullus mortalium sciverat. Tenor pretiosissimarum harum literarum, prout illae in Archivo Collegii hodiedum conservantur est sequens:

CHRISTE JESU PRO TE.

Anno 1636. Cum die 28. Octobr. In festo Simonis et Judae, donatione causa mortis, Collegio Viennensi Pazmaniano, hanc cistam consignavi per manus Patris Joannis Hmira Regentis dicti Collegii, Haec in illa cista continebantur.

In minore cistula ferrea interiore duo sacci, in quovis aureorum novorum Körmöcziensium quinque millia. In toto Decem millia Aureorum.

In reliqua cista Decem sacci, in quolibet mille Talleri imperiales. In toto: Decem millia Tallerorum.

Petrus Cardlis Pazmany manu pr.

Altera charta papyracea, a Pazmanno solum subscripta hujus tenoris est:

Ego Petrus Sanctae Rom. Ecclesiae Prbtr. Cardinalis Pazmany, Archieps. Strigonien. etc. Siquidem Collegium pazmanianum Viennae sub cura Patrum Societatis Jesu per nos erectum, velut jugiter manentem bonorum Sacerdotum fontem augere et ornare semper in optatis habuimus: eo solo et unico fine prae oculis habito, ut ad Dei gloriam, et sanctae Fidei Catholicae incrementum succrescerent Hungariae Sacerdotes idonei, quorum doctrina, ac pietate timor et amor aeternae Bonitatis in animis hominum augeretur. Idcirco notabilem paratae pecuniae summam in unam cistam ferream, viridi colore a foris tinctam conjecimus. Eam vero cistam cum omni pecunia de facto in eo contenta, atque etiam in posterum per nos in eandem cistam reponenda DONATIONE CAUSA MORTIS per Rndum Patrem Joannem Hinira, tamquam Regentem Collegii Pazmaniani, per manus tradimus eidem Collegio. Retentis tamen apud nos Clavibus Cistae. Volentes, ut dicta Cista in archivo Domus professae Societatis Jesu Viennensis deponatur. Quamobrem si Necessitas aliqua nos non coëgerit, ut pecunias in ea Cista habitas, vita durante in toto, vel in parte consumamus; omnis pecunia in ea Cista reperta Collegii Pazmaniani sit. Ea tamen conditione, et non aliter, ut sub quovis praetextu in nullum alium usum dicta pecunia insumatur, sed Bona stabilia fructifera pro Collegio pazmaniano coëmantur: eaque in perpetuum eidem Collegio incorporentur; ac ex bonorum hujusmodi proventibus majori numero clerici Hungariae deservientes alantur. Super quo Conscientias eorum oneramus, qui Collegii praedicti curam habebunt. Volumus autem, ut post obitum nostrum Claves ejusdem Cistae unus ex nostris Testamentariis Dominis Viennam deferat: Et in praesentia Patris superioris Domus professae Viennensis Societatis Jesu aliis gravibus Patribus adstantibus Cista aperiatur, et pecunia juxta Signaturam, quam in cista invenient, Collegio Pazmaniano integre assignetur: ut hac ratione cognita summa pecuniae, constare possit, qualia Bona stabilia coëmi possint. Nam volumus, ut Domini Testamentarii nostri, imo etiam Archi-Episcopus Strigoniensis, vel Sede vacante Capitulum Strigoniense efficaciter procurent, ut tota pecunia, in dicta cista existens ad Bonorum emptionem utiliter insumatur, ac pro quantitate redituum auctorum numerus etiam Alumnorum multiplicetur. In horum omnium fidem ac firmitatem Donationem hanc in forma patente praesentibus testibus infrascriptis, ad hoc specialiter vocatis, manus nostrae Subscriptione, ac Sigilli annularis impressione roboravimus. Posonii 28. Octobris Anno 1636. Petrus S. R. E. Cardlis Pazmany, Archi-Ep. Strigon. m. p. (L. S. annularis). Georgius Jakusics m. p. Bielavius m. p. Canonicus Posoniensis. Blasius Szentkereszty C. et C. Eccliae Posoniensis. Daniel Eszterhazy m. p. Emericus Berchényi m. p. Paulus Kállay de Nagy Kallo m. p. Georgius Kürtössy m. p.

Tenore hujus dispositionis Pazmanni summa illa 45.000 fnorum in cista viridi superius descripta in casum mortis instar donationis Collegio Pazmaniano data, in coemendos fundos immobiles converti debuisset; quia

tamen noverca nimis tempora, continuis belli strepitibus insecura, non facile sinebant emere stabile quoddam bonum: ideo ne pecunia tanta sine fructu haereret, Patres Jesuitae curam Collegii habentes, summam illam cum approbatione Superiorum penes civitatem Augustae Vindelicorum erga pendendos sex a centum florenos titulo census anno 1638. die 1. Julii deposuerant ea sub conditione, ut census a duabus tertiis summae praefatae in auro, a reliqua vero parte in argento, stato tempore et sine diminutione redderentur. Serius haec summa a dicta civitate repersoluta penes Status Austriae inferioris erga quinque a centum florenos deposita est [1]).

Quantum ad summam 15411 fnorum et 68 denariorum penes Comitem Nicolaum Eszterhazy existentem, et vigore literarum fundationalium Collegii Pazmaniani huic instar dotis assignatam attinet: cum juxta tenorem prioris contractus censuum perceptio Collegio molestias non leves creasset: rescisso illo contractu, novus Anno 1635. 4ª Maji erectus est contractus, vi cujus obligatio in Judices Comitatus Frakno transiit, census correspondentes in binis per annum terminis Regenti Collegii Pazmaniani sine ulla hujus molestia rite et ordinate Viennae consignandi. Sicque factum est, ut fundatio totalis immortalis Pazmanni, Collegio ejus anno 1639. prima vice 7624. fnos Rhen. fuderit.

INTERNA COLLEGII PAZMANIANI COORDINATIO.

Regula pro Seminariis a S. Ignatio confecta.

Haereses, quae inde a saeculo duodecimo Ecclesiam divinitus stabilitam vehementius impetebant, nidumque in Italiae ac Galliae oris figebant, saeculo decimo sexto in

[1]) Lit. contr. in Arch. Colleg.

unum grandem alveum confluentes, totam qua late patebat, Germaniam incredibili fere velocitate in maximum Ecclesiae detrimentum inundabant. Etsi jam tantus tamve rapidus haereseos successus, praepotens moliminum suorum auxilium in perturbatis rerum politicarum illius temporis adjunctis quaereret inveniretque: negari tamen nequit, illam ipsius etiam Cleri desidia, ignavia, ac inscitia ad horrendam altitudinem exurrexisse, factum, quod in historia alias quoque evenisse cernimus, etiamsi saecula contuendo usque ad persecutionem Ecclesiae ascendamus. Dum sic fallacia haereseos decipi, atque in profundum errorum, prono volatu ruere cernebat Ecclesia integros fidelium suorum ordines, dum reges et principes avide salutabant nova dogmata, quae corrupto eorum genio licentiositatem, dominandi pruritui uberem campum, rapacitati tutamen tribuere videbantur, dum portae inferi per organa sua uno ore ruinam Ecclesiae conclamabant: Deus, ut omnipotentia sua sustentatam coram universo mundo ostenderet Ecclesiam sanguine Filii sui in salutem generis humani partam, infirma hujus mundi elegit, ut confunderet fortia.

Infirmus, quem bello vulneratum in aciem praeliorum suorum vocabat Deus, ut pugnaret contra unitos errore principes tenebrarum, utque portaret nomen suum, ceu alterum vas electionis coram gentibus, Sanctus Ignatius erat, Societatis sub nomine potentissimo Jesu fundator, vir cui pietate, fervore, sagacitate, prudentia, humilitate, spiritu et corde similem saecula non peperere, et quem Deus suo afflatu perungens in antemurale constituit templi impio ausu jam jam quassati, quique postquam lapis angularis factus fuisset et signum contradictionis gentium, illisos a saeculis fortiter, quia divinitus in sua societate adjutus sustinet impetus inimicorum.

Atque ad virum hunc vere admirabilem redeundum est nobis quoque, si modum quo Pazmannus Collegium

sub suo nomine erectum coordinabat, genuina in luce contueri volumus.

S. Ignatius mox ut societatem suam collegerat, primum avido suo pectori campum Germaniam invenit, haeresis labe nimium infectam; nec moratus est praestantissimos sociorum eo delegare, ut collabescentem ibidem sustentarent Ecclesiam, erigerent ac confirmarent nutantes in fide sua Ecclesiae Catholicae filios. E relationibus enim suorum sociorum intelligens maximum novae doctrinae fulcrum in defectu culturae scientificae ac moralis Cleri consistere: mature consilium animo coepit, malo huic mederi. Pro sua qua maxima pollebat sagacitate mature perspexit, novam educandam esse generationem, quae sensim reduceret incredulos ad viam justorum; hincque educatio juventutis deinceps principale objectum evasit activitatis ejusdem. Verum animus magnus requirebatur, ut planum perturbatis illis temporibus fini optato in effectum deducendo conveniens mente concipiatur, et heroica resignatio inflammare debebat pectus ad planum simile in vitam transferendum. Omnibus his praeditus erat S. Ignatius. Considerans mente, quantopere partim collapsae, partim corruptae sint illae scientiarum Academiae, ad quas juventus imbibendarum scientiarum causa saeculis prioribus confluebat: ideam magnificam de erigendis Seminariis concipit, quae in Concilio Tridentino amplius evoluta, successive communem illam opinionem firmavit, quod concilium Tridentinum vel unico de erigendis Seminariis decreto multum emolumenti mundo attulerit.

Collegium germanico - Hungaricum.

Idea de erigendo instituto, ubi selecta juventus seclusa sub moderamine virorum aptorum in athletas fidei formaretur, semel mente concepta, non amplius quievit s. Ignatius, verum omni modo illam in vitam etiam deducere satagebat, et quia maxima necessitas morali ac intellectuali cultura praeditorum sacerdotum in Germania

apparebat, Seminarium pro Juvenibus germanis Romae erigere animo decrevit. A Cardinale Morono e legatione Germanica Romam reduce coram Julio III. Pontifice potenter adjutus, Pontificem in studia sua convertit, mediisve necessariis sufficienter pro tempore in unum collatis, ut sub sua sociorumque suorum cura Collegium erigeret a Pontifice mandatum obtinuit, moxque juvenes e Germania intra decursum anni Romam mitti fecit, pro iisque leges concinnavit sub tribus rubricis comprehensas, quarum prima ingressum, altera commorationem, tertia egressum horum juvenum e Collegio respiciebat. Regimen Collegii Andreae Frusio, Societatis suae praeclaro membro, nătione Gallo commisit, juvenesque in omnibus philosophicis ac theologicis scientiis sublimioribus erudiri curavit. Anno igitur 1552. veluti fundati Collegii primo, viginti duo juvenes germani appulerunt studiisque initium datum est ita, ut omnis in aditu Collegii juramentum stabilitatis, obedientiae, et regressus in patriam suam ad obeundum munus Sacerdotii elicere debuerit. Cum vero in societate missorum ex Germania juvenum alii quoque inde Romam venerint, hospitiumque Collegii efflagitaverint, S. Ignatio horum adventus ansam dedit Convictores etiam ad Collegium suscipiendi, quo facto, cum plures e stemmate quoque nati juvenes, nec tamen Sacerdotio semet addicere volentes illuc confluxerint, splendor Collegii non parum augmenti coeperat. Dies eliciti juramenti primi, dies festiva mansit Collegii, quae 21. Novembris 1552. fuit, ipsique Alumni diem juramenti sui instar festi postea recolebant. Collegium hocce potenti succursu principum Germaniae, cumprimis Ferdinandi I. adjutum, serius a fatis S. Ignatii, et qui eum mox sequebatur Andreae Frusii, influentibus inimicis temporum adjunctis non parum a primo splendore remisit, donec per indefessos conatus successoris s. Ignatii, Praepŏsiti Generalis Jacobi Lainez, studio item ac favore S. Caroli

Borromaei sustentatum, tandem in Gregorio XIII° Pontifice alterum suum fautorem ac fundatorem inveniret, qui Collegium illud non solum omni cura fovit, verum pro Hungaris etiam Collegium adolescentum Hungarorum erexit, e suis et Camerae Apostolicae pecuniis sustentavit, eique dein Ecclesiam et Hospitale a S. Stephano Romae fundatum, nec amplius a Hungaris frequentatum addixit[1]). Collegium hoc cum Germanico serius in unum conjunctum est 1580. atque sic quasi de novo erectum, novas etiam ordinativas leges a Pontifice Gregorio XIII° fundamento tamen legum Ignatianarum semper adhuc innixas obtinuit, quae leges pro Collegio Pazmaniano quoque maximi momenti sunt ideo, quia tota Constitutio Collegii a Pazmanno erecti ac curae Patrum Societatis Jesu concrediti his legibus innititur, iisque fere per extensum, si locorum respectus demas, convenit. Prout enim aditus et commoratio Juvenum in Collegio, ita eorum egressus inde consonis cum Ignatiana legibus determinantur.

Leges fundamentales Collegii Pazmaniani.

Constitutionem igitur Collegii Pazmaniani a fundatore adhuc vivo firmatam adumbrare volentes, a susceptione Alumnorum ordimur. Circa hanc diploma fundationis statuit, ut Alumni maximo quo fieri potest numero ad illud suscipiantur, ibique alantur; dein ut solum Hun-

---

[1]) Bulla erectionis sequentia inter caetera de statu regni Hungariae continet: „Caeterum inter varias horum temporum calamitates cum menti nostrae obversaretur nobilissimi atque quondam opulentissimi Hungariae Regni deploranda conditio, quod partim vi partim dolis Turcarum misere subactum, partim haeresibus pollutum et deformatum reperitur pari cum perditione Animarum et Corporum, ei nos pro debita omnibus gentibus sollicitudine nostra ac praecipue erga insigne et amplum Christiani orbis Membrum charitate subvenire quantum in nobis est, omni studio cupientes: peculiare Collegium pro natione hungarica his duximus instituendum, existimantes hac potissimum ratione posse sanctam Religionem fidemque Catholicam, unde vera salus atque etiam omnis spes redemptionis pendet, in Regno eo fulciri ac restaurari. Proinde ad Dei Omnipotentis gloriam, sanctaeque fidei Catholicae incrementum et ad totius nationis hungaricae utilitaten ac salutem motu proprio ex certa scientia nostra et de appolicae potestatis plenitudine unum Collegium Adolescentum Ungarorum vocandum in hac urbe . . . . . erigimus" etc. — De fundatione ac fatis hujus Collegii Germanici et Hungarici legere juvat opus Julii Cordara, S. J. „Collegii Germanici ac Hungarici Historia." Romae 1770 Libr. quatuor; item Dr. Aug. Theiner: Geschichte der geistl. Bildungsanstalten. Mainz 1835 p. 81 Seq. Fundationales S. Jgnatii leges vide in appendice. ibid. Bullar. Rom. Taurini 1863. Tom VIII p. 250.

gari nati et pro Hungaria suscipiantur; tandem ut solus Archi-Episcopus Strigoniensis, aut sede vacante praecise solum Capitulum Strigoniense habeant jus praesentandi; Capitulum tamen praedictum vivo etiam Archiepiscopo quatuor personas idoneas praesentare possit. Quoad aetatem praesentandorum fundator praescripsit annum aetatis decimum quintum; quoad studia saltim tantum, ut neosuscepti Poësim audire possint. Peculiarem autem rationem et reflexionem habere voluit eorum, qui ex Transylvania, aut ex partibus Turcis subjectis praesentarentur, quos a defectibus etiam qualitatum praescriptarum facilius dispensare statuit.

Praesentati ac suscepti ad Collegium, qui debuerant esse sano ac integro corpore, lingua expediti, legitimo thoro nati, bonae famae, tractabiles et humani, commendatione bonorum virorum gaudentes: mox cum adventu suo semet Patri Regenti sistere, exercitia octiduana subire, conscientiam purgare, ac dein tempus trium mensium instar probae in Collegio exigere obligabantur; post cujus temporis lapsum, si vitam in Collegio sibi minus arridere deprehendissent, illud libere absque ullo onere relinquere poterant; si autem animo firmo permanserant, idoneosque se ad amplectendum statum sacerdotalem exhibuerant: ad solennem sponsionem superius descriptam, coram Patre regente atque in praesentia reliquorum Alumnorum spectatorumque hospitum eliciendam provocabantur, eamque in librum ad hoc destinatum propria manu inscripserant. Spondebant autem, quod Sacerdotio initiari velint, aut mutata nefors mente saeculum repetere volentes sumptus in se factos Collegio refusuri, quodve studiis solum iis et eousque operam daturi sint, quousque Superioribus videbitur; quod item si Sacerdotio initiati in patriam revertentur, triennio integro in Dioecesi Strigoniensi, ubi visum fuerit AEppo vel ejus vicario, diligenter laborare velint; quibus si ita visum foret, ut ad

alias Dioeceses mittantur, huic quoque dispositioni acquiescent; quod omnia, quae ad domesticam disciplinam legesque Alumnatus ac consuetudines usu laudabili receptas, et quae ad obedientiam Superioribus ac Praefectis praestandum pertinent, servare parati sint. Et haec omnia ad normam legum ab Ignatio pro Collegio Germanico exaratarum constituta sunt [1]).

Dispositiones singulares Pazmanni — de feriis, de Alumnis ad Ordinem religiosum transeuntibus, et de communi disciplina.

Prout autem leges has Ignatii Gregorius XIII. Pontifex, dum Collegium Germanico-Hungaricum de novo fundavit, ob mutata intermedii temporis adjuncta partim uberius evolvit partim alteravit: sic vivente adhuc Pazmanno evenere in Collegio casus, qui novas frequentesque Fundatoris dispositiones exigebant. Talis casus evenit anno 1624. dum lues contagiosa Viennae grassari coepit. Pater quippe Regens pluribus juvenibus copiam dedit ad lares patrios sub feriis autumnalibus discedendi ea sub conditione, ut testimoniis de qualitate commorationis suae domesticae instructi reverterentur. Licentia haec non optimos tulit fructus, ansam enim dedit Fundatori ad scribendas Patri Henrico Lamormaini, Regenti Collegii Pazmaniani literas, quae pro omni educatione ecclesiastica hodie etiam momento non carent: „Intelligo — scribit Pazmannus 2a Novb. 1624. — Reverentiam Vtram aliquos ex Alumnis per has Vacationes vagatum misisse; salvo meliori judicio, nisi ad loca valde probata nollem ego eos mitti. Plus detrimenti mensis unus facere potest, quam annuus labor emolumenti, hinc vel omnino non mittantur Alumni, vel si eos causa urgente mitti contigerit, ad loca mittantur probata“.

Alter casus erat, quod Alumnus quidam post datam in Collegio sponsionem exactosque ibidem aliquot annos, insalutato Collegii Regente, modo furtivo e Collegio egressus fuerit, habitumque ordinis Cisterciensium in

---

[1]) Leges a Pazmanno pro Collegio praescriptas vid. ad calcem hujus libri.

Sancta Cruce induerit. Re ad Aeppum delata, Pazmannus Alumnum repetiit, quem tamen Abbas Ordinis remittere recusabat, et ad demulcendum Pazmanni animum, servitia etiam sua, circa Capitalia Collegii penes Status inferioris Austriae praestita allegabat; — binis eidem idcirco respondit literis Pazmannus, in quarum posteriore edixit: „se juvenem Abbati libenter cedere velle, ni magna quae hinc sequi possent incommoda animo ejus obversarentur; si enim res haec in exemplum traheretur, jurisjurandi religio, qua Alumni obstriguntur, facile evanesceret". Juvenem ergo ad Collegium remitti indispensabiliter voluit, quem tamen ibi a juramento suo solutum, Abbati condonavit. Similiter alium quoque Alumnum ad Ordinem S. Dominici inscio Regente transeuntem reddi, et juramento prius post gravem objurgationem solutum illuc transire sivit.

Sedibus episcopalibus in Hungaria sub jugo Turcarum gementibus, complures Episcopi dioecesani, qui sedes suas adire non poterant, nec proventus bonorum suorum percipiebant, praebendas Canonicales Capituli Metropolitani Strigoniensis tenebant, ac Tyrnaviae, in loco Capituli morabantur. His jam Pazmannus permisit, ut unum alterumve alumnum pro sua Dioecesi in Collegio Pazmaniano sumptibus propriis alere possint; tales anno 1631. Pazmanno adhuc vivente inter 40 Collegii Pazmaniani Alumnos erant 6; qui externi, Alumnis Pazmanni permixti, Maecenatum suorum protectione freti diversas prae aliis Alumnis sibi immunitates a Superioribus extorquere nitebantur, quas dum sibi denegari viderunt, unus alterve eorum discolum animum praeseferre coepit, quos Regens ob auctoritatem Maecenatum non facile eliminare potuit.

Pazmannus Patri Regenti binis vicibus circa hanc materiam propria manu scripserat, disposquitue in literis primis: „Ne Alumnorum, qui Pazmanianis in domo Collegii permixti vivunt, differentia vivendi disciplinae com-

muni daret injuriam: Legum, Ordinationum, receptarumque consuetudinum observatio omnibus, sine discretione personarum suadeatur, a qua suasione si indicio aliquo se hi, vel illi ostenderent alieniores, Alumnorum eis consuetudo apte denegetur, nam — verba sunt ipsius Pazmanni de 15. Januar. 1631 — „Mi Pater disciplina Collegii pluris est, quam duorum triumve Alumnorum profectus. Quocirca R. V. sine ullo respectu personarum severissime castiget scandalosos et inobsequentes. Ac si excludendi videantur cum infamia, nos moneat. Quia omnibus aliis commodis praefero integram disciplinam domus et obedientiam exactam".

Pazmannus jus praesentandi Alumnos Capitulo metropolitano tributum limitat.

Praeter casus allatos adhuc unus provocavit peculiarem Pazmanni dispositionem. Permiserat quippe ille qua fundator Capitulo Strigoniensi in literis fundationalibus jus praesentandi quatuor personas ad studia idoneas, quae ad hoc Collegium receptae more aliorum loci hujus Alumnorum institui, et ad bonum Ecclesiae educari possent. Permissionis hujus occassione Capitularium aliqui inconsulto Patre Regente praesentatorum huic Juvenum dispositionem usurpare, eos a studiis amovere, ad sacros ordines deputare occeperunt. Quae Capitularium molitio Eminentissimo Cardinali fuit per Superiorem manifestata, ut malis, quae hinc suo tempore nasci poterant, mature aliquid statueretur in adversum. Super hac re, prout et super punctis disciplinam attinentibus Pazmannus in perpetuam rei memoriam duplicis generis edidit literas, cuncta quae annorum decursu apparebant novitus coordinanda, complectentes, et pro futuris quoque temporibus decidentes. Literarum harum prima de attactis disciplinae punctis agit, sequentiaque continet:

Nos Petrus miseratione divina sanctae Romanae Ecclesiae tituli Sancti Hieronymi Presbyter Cardinalis Pazmany Archi-Episcopus Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis etc. Ad abolenda incommoda, quae temporum decursu directioni Juvenum Collegii Nostri Pazmaniani Viennae fundati detrimento esse possent, haec paucula subjectis nume-

ris expressa, a Superioribus Collegii omni cura custodiri, et in Libro Alumnatus exstare volumus. Primo. Jus et auctoritas designandi, qui in hoc Collegium accipi debeant, penes Nos solos, et Successores Nostros, Sede autem Archi-Episcopali vacante, penes Capitulum Strigoniense erit. Proinde ad nullius importunitatem ullus recipiatur sine expressa et scripto obtenta nostra, vel eorum, quos designavimus licentia. Et licet ex speciali nostra benevolentia Dominis Praelatis in Capitulo Strigoniensi existentibus indulserimus, ut soluto pro Alumnorum suorum sustentatione pretio, aliquos in Collegio nostro Alumnos educare possint pro suarum Ecclesiarum subsidio. Volumus tamen, ut sine consensu nostro vel Successorum, vel sede vacante Capituli Strigoniensis nemo istorum recipiatur, nec quaternarium aut quinarium numerum excedant Praelatorum Alumni. Ne autem Regens Collegii cogatur debita pro praedictis Alumnis Praelatorum laboriose exigere, volumus, ut in primo hujusmodi Alumnorum ingressu solutio integri anni deponatur, et anno expleto, singuli Alumnorum ad Patronos suos anticipatam anni sequentis solutionem allaturi, remittantur. Hujusmodi vero Alumni Praelatorum, in Collegium admissi nullas omnino exemptiones habeant, sed per omnia statutis et consuetudinibus Collegii uniformiter se accomodent. Nulli vero Alumni ad ullius instantiam alio transferantur, nisi Nobis, Successoribus, aut sede vacante Capitulo Strigoniensi cum aliquibus dispensandum videretur, ut ad Collegium romanum transmitterentur. Secundo. In Juramento Clericorum Collegii hujus, de reditu in patriam, nequidem occassione ingressus in Religionem dispensari possit, nisi a Nobis et Successoribus Nostris Archiepiscopis, vel sede vacante Capitulo Strigoniensi. Quae tamen dispensatio et rarissime et gravibus ex causis fieri debebit, praesertim quoad Ungaria tanta Parochorum laborat inopia. Nam si Dei benignitas tot animarum periclitantium saluti, sufficienti Parochorum numero providerit, nobis quidem volentibus, Religiosae vitae studia sequi poterunt, quos eo vocaverit Dei gratia, non fuga laboris, aut quietae Contemplationis voluptas. Tertio. Ad studia Philosophica, atque etiam ad scholasticam Theologiam ii omnes applicentur, quos Examinatorum Censura idoneos pronunciarit; non obstante illo paragrapho, qui literis Fundationis insertus fuit, ut pauci ad haec studia admittantur. Illum enim paragraphum extrema quae tunc erat Parochorum paucitas expresserat. Paulatim vero, excrescente operariorum numero, non videntur selecta ingenia suffocanda. Quarto. Si successu temporis aliqui Alumni dissoluti invenirentur (quod Deus nolit), Arbitrio Patris Regentis severe puniantur. Secundum mensuram delicti poenae modus esto. Ita ut quidquid ad disciplinae conservationem necessarium videbitur, id exequi Patres Regentes libere possint. Habita tamen semper ratione humanae imbecillitatis, quae interdum impetu abrepta, aliquid repentine facit, quod factum nollet meditate. Quinto. Quantum fieri poterit deinceps ad Alumnatum non alii, quam Rhetores, qui Logicae auscultationi applicari possint, recipiantur. Sexto. Majoribus ordinibus initiandi, ad titulum Mensae Archi-Eppalis ordinentur. Tempore autem Vacationum, ne Alumni temere hinc inde vagari permittantur. Ad Parentes tamen et Cognatos vicinos aliquando in vacationibus excurrere poterunt arbitrio

Regentis. Quae omnia in Collegio nostro observari volumus. Datum Posonii in Curia Nostra Archi-Episcopali die vigesima secunda mensis Julii. Anno Salvatoris MDCXXXIII. Cardinalis Pazmany mp. (L. S. maj. appress.).

Literae Pazmanni superius loco secundo memoratae de praesentandis per Capitulum Strigoniense Alumnis sonant, et sequentis sunt tenoris:

„Petrus Miseratione Div. S. R. Eccl. tit. S. Hieronymi Illiricor. Presbyter Cardinalis Pazmany etc. Quod nos in quinta conditione fundationis Collegii Pazmaniani anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo tertio per Nos factae, ex singulari affectu, quo Capitulum Nostrum Strigoniense complectimur, statuimus, non solum vacante Archiepiscopatu praesentationem Alumnorum Capitulo competere, verum etiam Archi-Episcopo existente, quatuor personas idoneas praesentari per Capitulum posse. Quod ipsum nos omnino inviolate servandum nunc quoque volumus. Caeterum quia difficultates nonnullae exortae fuerunt, ex quibus temporum decursu errores suboriri possunt. Idcirco hoc nostro authentico Scripto declaramus. Imprimis per Jus praesentandi Capitulo concessum non intendisse nos praejudicare substantialibus punctis fundationis, et praesertim iis, quae Alumni in ingressu Jurejurando promittunt. Quocirca per hoc, quod aliquos Capitulum praesentet, Capitulum non acquirat jus, pro arbitrio avocandi, ad Ordines suscipiendos adigendi, his illisve studiis applicandi Alumnos; sed juxta formam Juramenti Alumnorum, iis studiis, et eousque operam dare debebunt, quoadusque Moderatoribus Collegii, videbitur; sed nec a Capitulo praesentati Alumni Capituli nominentur, aut ulla exemptione a caeteris Alumnis distinguantur: Quin potius omnes et singuli, a quocunque fuerint praesentati, sine ullo discrimine cum caeteris degant, Obedientiae, Consuetudinibus ac Regulis Collegii Pazmaniani aequaliter subsint. Hanc igitur declarationem nostram perpetuo valituram, et Capitulo nro et Collegio Pazmaniano peculiariter ac authenticis Diplomatibus nostris intimandam duximus. Datum Posonii die sexta mens. Decembr. Anno MDCXXXV. Cardinalis Pazmany mp. (L, S.)“

Regimen Collegii.

Regimen Collegii in principio sustinuerunt: unus Regens, qui semper a praeposito provinciali Societatis constituebatur, vir gravis, atque in aliis muneribus insigniter gestis probatus, sicque ad munus hoc idoneus. Ei adjungebantur duo Praefecti, qui raro presbyteri, passim Clerici erant Theologiae studentes in Classibus altioribus. Directorem Spiritualem Collegium usque ad annum 1706 non habuit; ob intimum enim nexum, in quo Collegium Pazmanianum ad vicinum Collegium Jesuitarum constituebatur,

quoties id necessitas exigebat, patres Jesuitae pro exaudiendis Confessionibus ad Collegium venerant; reliqua autem pietatis exercitia Pater Regens cum Alumnis obibat.

Pazmannus Confirmationem apostolicam pro Collegio suo exorat.

Atque haec erat Constitutio prima Collegii a Pazmanno determinata, cujus etiam literas, velut pro Collegio fundamentales ubique in contextu narrationis nostrae allegavimus ex Archivo Collegii excerptas, leges primas reliquave documenta, quae Collegii historiam propius attinent, post haec ad calcem relegantes. Hic tamen loci adhuc tres literas adferre liceat, quibus Pontifex maximae memoriae aevi illius Urbanus VIII. tum consilium Pazmanni de erigendo Viennae Cleri junioris hungarici Collegio probat, tum erectum Collegium confirmat auctoritate sua apostolica, tum illi privilegia impertitur. Gloria enim et robore carens apparere deberet Collegium Pazmanni, ni auctoritatem pro se haberet illius summi orbis Sacerdotis, qui Christi in hac terra vicaria potestate erigit et firmat omnia vitae spiritualis momenta et molimina, cui solum superstructa crescit omnis aedificatio in Domino, et vel maxime, unde ut initia sumat omnis ad vitam ecclesiasticam et religiosam institutio educatioque, necesse est; qui enim cum domo illa, cui ille divina potestate praeest, non colligit, ille dispergit; a quo si quis alienus sit, catholicus, Christi verus fidelis non est; cujus benedictione si quis non fruatur arescit; cujus fulcimento si quis non utatur vacillat; cui si quis non conjungatur, perit mox regnante diluvio, quo spiritus nequam continuo inundat orbem. — Quid mirum jam, si devotissimus quoque Ecclesiae suae fidelis ac filius Pazmannus, mox ut ideam de erigendo Alumnatu mente conceperat, ad visibilem Christi Vicarium confugerat, ejus consilio doctior, ejus annutu animo fortior, ejus incitamento promptior in coepto grandi opere futurus! Urbano igitur Pontifici magno, qui diu provide regebat tempore illo Ecclesiam, mentem suam et desideria aperit Pazmannus, describit deplorandum Ecclesiae hun-

garicae statum, penuriam maximam sacerdotum queritur, haeresis incrementa deflet, inscitiam pastorum ob belli strepitus excusabilem confitetur, omnibusque malis ingravescentibus se obicem ponere velle, pio ac filiali humilitate Pontifici communicat, per erigendum a se Collegium juvenum Sacerdotum in Metropoli Imperii, ubi non tale ac tantum aedibus his sacris imminere praevidetur periculum, ubi magistris et educatoribus probatis concredere potest seligendos a se juvenes, divino ministerio mancipandos.

Literae Urbani VIII. quo studia Pazmanni laudat.

Animi tam heroici tamve pii planum maximo cordis sui jubilo suscepit orbis Pater, nullusque tardabat datis ad Pazmannum literis, eum in proposito salutari confirmare sequentem in modum:

Urbanus Papa VIII. Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Religioni arcem, atque impietati ruinam struit Fraternitas Tua, cum Viennensis Collegii exstructionem meditatur. Sane et totius Ecclesiae laudes et Pontificiam voluntatem mirifice Tibi comparasti iis beneficiis, quibus illud locupletasti. Religiosa Fraternitatis Tuae munificentia docuit Germaniam, quinam usus debeat esse auri quod Ecclesia possidet. Collegium Viennense erit non solum turris fortitudinis et Dominicae istius Vineae propugnaculum, sed etiam sacerdotalis liberalitatis monumentum, cum Caesarea magnanimitate certantis. Tanti beneficii memor Hungarica Nobilitas, Archi-Episcopi Strigoniensis pietatem, tanquam coeli munus istud praedicabit. Hoc tantum decus Fraternitati Tuae gratulantes, Collegium istud Apostolica auctoritate munimus; ut ex pontificio diplomate patebit: Deum misericordiarum oramus, ut super haereticorum ruinas jaciat istius sancti operis fundamenta, et coelestibus premiis remuneretur liberalitatem Fraternitatis Tuae; cui Apostolicam benedictionem peramenter impertimur. Datum Romae, apud Sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die XIV. Novembris. MDCXXIII.

Idem Pontifex Max. Collegium erectum confirmat.

Pazmannus quidem Brevium pontificiorum ab Urbano VIII° pro Collegio pazmaniano editorum memoriam in suis diplomatibus non facit: ast Brevia illa in Archivo Collegii adsunt sub Nr. 18 et 19. Breve jam, ad quod ipse Pontifex in literis superioribus provocat, hujus tenoris est:

Urbanus P. P. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti Sedis Apostolicae specula, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex literarum studio Catholica fides augeatur, divini Numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac justitia colatur, ad ea, per quae litera-

rum studia hujusmodi ubilibet, praesertim vero in regionibus, ubi major necessitas urget, excitentur, libenter intendimus, atque in his Sollicitudinis nostrae partes propensius impertimur, prout Catholicorum Praesulum vota exposcunt, Nosque locorum qualitate debite pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte Venerabilis Fratris Petri Archi-Episcopi Strigoniensis Nobis nuper expositum fuit, quod ipse, quo fidei catholicae, tum in Sua Dioecesi Strigoniensi, quam etiam in universo Hungariae Regno Conservationi et propagationi melius consulere valeat, unum Collegium in civitate Viennensi, in quo suae Dioecesis, ac Regni hujusmodi Adolescentes in christiana pietate ac fide sincere instituantur per Nos erigi, ac pro hujusmodi erectione, nec non Rectoris ac Alumnorum et aliarum personarum ipsius Collegii sustentatione et Manutentione, onerumque ejus incumbentium supportatione, quosdam redditus, ad summum sex vel septem millium Tallerorum ascendentes, Mensae Archi-Episcopali Strigoniensi per Cameram imperialem restitutos, ab eadem mensa dismembrari eidemque Collegio applicari, summopere desiderat, ut desuper oportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ac laudabilibus ejusdem Petri Archi-Episcopi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Negotio propagandae in universum mundum fidei praepositorum, consilio, in praefata Civitate, in qua ut asseritur ob studii generalis Universitatem ibi erectam, Professorum copia habetur, et aedibus per ipsum Petrum Archi-Episcopum ad hunc effectum acquisitis, seu acquirendis unum Collegium cum Capella seu Oratorio, ac Refectorio communi, Sigillo, Bibliotheca, Archivo, caeterisque Collegialibus insignibus, ac membris, et Officinis necessariis, et opportunis receptione, usu et habitatione unius Rectoris ac competentis Numeri Ministrorum, et Alumnorum, sive scholarium, qui inibi christianis moribus, bonisque literis et ecclesiastica disciplina imbui deberent, apostolica Auctoritate, tenore praesentium, sine tamen alicujus praejudicio perpetuo erigimus et instituimus, illoque sic erecto et instituto, pro ejusdem dote, ac Rectoris et ministrorum Alumnorum sive scholarium sustentatione et onerum ejus incumbentium supportatione, tam praefatos sex vel septem Millium Tallerorum hujusmodi reditus, dictae mensae a Camera Imperiali, ut praefertur restitutos, quos ad hunc effectum ab eadem mensa separamus et dismembramus, quam alia et singula Bona, per ipsum Petrum Archi-Episcopum, et quoscunque alios Christi fideles, eidem Collegio donanda et assignanda ex nunc, prout postquam donata et assignata fuerint, ita quod liceat Rectori ac Ministris et Alumnis sive scholaribus praefatis ipsorum Bonorum omnium, corporalem realem et actualem possessionem suo, et dicti Collegii nominibus propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensum perpetuo retinere, fructus quoque reditus, proventus,

jura, obventiones et emolumenta quaecumque ex eis provenientia percipere, erigere, levare, recuperare, locare, arendare ac in communes dicti Collegii usus et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita auctoritate et tenore praefatis perpetuo applicamus, et appropriamus. Decernentes praesentes literas validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscunque Judices Ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingent attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die X. Maji MDCXXIV. Pontificatus Nostri anno primo. — Sumptum ex minuta originali Brevium Secretorum fel. rec. Urbani VIII. collatum concordat Sf. Cardlis Albrani.

Idem Collegio privilegia impertitur.

Adnectimus tandem tenorem Brevis illius quoque, quo Papa privilegia Collegio Pazmaniano ad preces per fundatorem hoc fine interpositas impertitur, indulgetque, ut Alumni penes testimonium solius Regentis Collegii, nec servatis interstitiis, temporibusque Ordinationum, si necessitas id exigat, ab Aeppo Viennensi ordinari possint. Tenor. ipsius Brevis est sequens:

Urbanus P. P. VIII. Ad futuram rei memoriam. Dilectos filios Alumnos Collegii Hungarici per venerabilem Fratrem modernum Archi-Episcopum Strigoniensem in Civitate Viennensi Austriae fundati, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus aliquando innodatae existerent, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum Nomine, nobis super hac humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum SRE. Cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum, consilio eisdem Alumnis, ut de licentia Protectoris ac Consensu Rectoris dicti Collegii et examine praecedente, etiam extra tempora, ad id jure statuta, ac interstitiis a Sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex Sacris Ordinibus, antequam ad alium promoveantur, se non exercuerint, sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo, nec non absque Ordinariorum suorum literis dimissorialibus, cum sola attestatione dicti Rectoris de vita et moribus, in infra attactis tamen casibus duntaxat, si videlicet ob fines Dioecesium Hungariae, per Turcarum invasiones confusos ignoretur, ex qua sit Dioecesi Alumnus ordinandus, vel si Alumnus sit ex Dioecesi, cujus Sedes Episcopalis vacat, et in ea non adsit Capitulum Cathedralis Ecclesiae, sive etiam si Episcoporum Hungariae Electorum, seu transla-

torum subditi Alumni non possent a suis Praelatis dimissorias habere, quia ipsi Praelati nondum Confirmationem Apostolicam obtinuerunt, et postremo, si Episcopus Alumni Ordinandi sit in partibus valde remotis, ut in Hispania vel alibi, ad omnes etiam sacros et Presbyteratus Ordines, ab Ordinario Viennensi, servatis aliis servandis, promoveri, et promoti in illis et in Altaris ministerio ministrare, eidemque ordinario, ut Alumnis praedictis Ordines hujusmodi conferre, libere et licite quoque possint ac valeant, cum hoc tamen, ut dicti Alumni praesenti indultu parce, et pro iis tantum, qui fructus in illis partibus laturi sunt, utantur, apostolica auctoritate, tenore praesentium licentiam, et facultatem impertimur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIII. Junii MDCXXV. Pontificatus nostri anno secundo. V. Beatini.

PROFECTUS ALUMNORUM.

Collegium ab Archi-Episcopo Strigoniensi immortalis memoriae Petro Pázmány Viennae erectum, auctoritate Summi Pontificis Urbani VIII. confirmatum, Diplomate Imperatoris Ferdinandi II. munitum, larga munificentia dotatum, legibus organicis provisum: sub sedula Patrum Societatis Jesu cura finem, ob quem erectum erat, impigro conatu prosequi in dies magis magisque satagebat. Ab anno enim 1623., quo initia coeperat, plures semper Alumnos ex Hungaria intra aditum suum susceperat, ita ut Eminentissimus fundator anno, quo supremum obierat diem, 1638. duos supra sexaginta Alumnos in Collegio suo numerare potuerit, quorum profectus tantus erat, ut jam quarto anno a fundatione Collegii Eminentissimus Fundator Athaeneum hocce splendidissimum immortalis nominis sui coram lustrans, in exuberantis solatii verba proruperit palamque edixerit, nunquam se toto eo, quo in dignitatis fastigio sedebat temporis intervallo majorem sensisse dulcedinem, quam dum jacti ante quadriennium in hac fundatione sementis primos viderat fructus, doctrina maturos, spiritu vegetos, moribus amoenos ac decoros, in spem erigentes. Stupebant viri Universitatis doctissimi, ex

inserto sibi splendido Collegio vix tribus ab ortu elapsis annis, fortes laboribus ac scientia in arenam concertationis scientificae condescentes juvenes athletas hungaros, qui dum patres eorum, ceu totidem antemuralia ob belli strepitus trepidantium Musarum Occidentis per latas Hungariae oras pro Deo et Patria dimicabant, ipsi horum filii primas ludorum literariorum laureas ad antiquissimam ac celeberrimam Universitatem reportarunt. Nec enim silentio premere convenit, unum e tredecim, qui primi semet in Collegio Pazmaniano sacratioribus studiis solenni sponsione devoverunt, Martinum Apáthy, jam anno 1626. inter illos triginta, qui eodem cursu bravium philosophici honoris primi obtinere contendebant, omnibus palmam praeripuisse; quem exiguo solum intervallo duo adhuc alii Alumni in eodem curriculo inter applausus et admirationem Judicum certaminis sequebantur. Nec ullus postea elapsus est annus, quo quini aut seni [1] e numero Alumnorum diversis gradibus honorum partim philosophicorum, partim theologicorum ornati non fuissent [2];

---

[1]) 1636 jam Baccalarii 16, Magistri 11.

[2]) Gradus academici in Universitate erant: Baccalariatus, Licentiatus et Magisterium, respective Doctoratus. Baccalarium unde proprie nomen trahat, materia disputationis inter Doctores est; alii et verosimillime nomen a „bachelier“ vocabulo gallico derivant, quo nomine juvenes nobiles in aulis Principum, sodales in Consociationibus opificum etc. compellabantur aevo medio, quod nomen maxima verosimilitudine ad Universitates quoque transiisse videtur in eos, qui in consociatione illa doctorum semet in magistros efformare nitebantur; alii a „Baculario“ derivant nomen hocce, ideo quod ad gradum primum honoris academici elevatis die examinis, respective approbationis suae baculus Facultatis illius, ad quam pertinebant penes laetum sociorum convivium praeferri sueverit; alii alias adhuc etymologias consulunt; id certum est, nomen et grandum, Bacalariatus quem significat ad Universitatem Viennensem e Gallia transiisse, vocemque „Baccalaureus“, quo hodie Baccalarii compellantur, originariam non esse, longe item tardius hoc nomine Baccalarios vocatos fuisse, ex transumpta in Facultates compellatione laureae, qua poëtae cingi sueverunt. Vocabantur autem Baccalarii e juvenibus scholaribus illi, qui decursu duorum triumve annorum pro diversitate facultatum Magistros legentes audiebant, super materiis, vulgo sophismatibus dictis, juxta prescriptum ordinem disputabant, atque e magistrorum judicio apti habiti sunt, ut a doctoribus quatuor, praeside Decano e certis partibus scientiae, cui se addixerunt, examinarentur. Sic probati, deposito juramento, a facultate sua in numerum Baccalariorum sunt suscepti, ac sub inspectione ac praesidio Doctoris, libere a se seligendi, super materia certa disserere sunt jussi; sicque medium locum tenebant inter Magisterium et Scholares, quos instruebant, exercebant, qua correpetentes in Bursis fungebantur etc. Examina pro Baccalariis quatuor anni temporibus, vulgo „Angariis“

qui etiam splendidus Collegii successus ad preces Patris Regentis, ansam dedit Fundatori Alumnos talentis praepollentes non ultra arcendi a studiis altioribus philosophicis theologicisque; hincque vivente adhuc Fundatore ille in Collegio quoad studia invaluit usus, ut relicta libertate iis, qui rhetorica absoluta talentis suis non fiderent, juxta tenorem literarum fundationis semet in casibus solum theologicis ac controversiis exercendi, reliqui studiis altioribus semet applicare potuerint, in quibus si profectus ampliores non fecerant, ad classem Casistarum redire cogebantur. Zelo attamen et aemulatione, non secus ac honoris studio, genti suae proprio, juvenum horum pectora inflammantibus, pauci Collegio relicti sunt Casistae, nam ii

dictis asservabantur. Si Baccalarii iterum fixo aliquo tempore in disputationibus e tota scientia cujus sodales erant. semet exercebant aptique ac digni habiti sunt, ut licentiam docendi acquirant: tunc ad initium cujuslibet anni determinata quadam die Cancellario Universitatis per Decanum praesentabantur, a cujus nutu pendebat eos denuo sua forma adjuratos licentia donare nec ne? ii quibus licentia data est, in praesentia omnium doctorum, per quemlibet e numero horum objectionibus impetebantur libere, in qua disputatione si semet dexteritate et scientia sufficienter probarunt, licentiam docendi acceperunt in omnibus Universitatibus, ita tamen ut licentiam incipiendi lectiones a facultate petere, seque Doctori cuipiam, sub cujus regimine stabant, deinceps adjungere debuerint, et Licentiati vocabantur. Ad ultimum gradum Academicum, seu Magisterium, alias Doctoratum a docendo, ut adeo qui non docebat, Magister, qui docebat, Magister Doctor vocaretur, sola promotio solennis, i. e. Collatio omnium jurium, insignium et titulorum Magisterii restabat; quae promotio solennis in Ecclesia S. Stephani, duplici per intervalla Campanae pulsa, et deductione Promovendi per alios Doctores. Licentiatos, Baccalarios e domo sua inter festivos concentus tubarum ad nominatam Ecclesiam fiebat, ubi e suggestu Promovendus in laudes Facultatis suae decentem dictionem ad praesentem doctam illustremve concionem proferebat atque ad preces humillime a se prolatas, insigniis doctoralibus, bireto, pallio ect. decorabatur. Quantum ad facultatem Philosophicam Theologicamque speciatim attinet: temporibus erecti Collegii Pazmaniani Imperator Mathias anno 1617. in favorem Patrum Societatis Jesu statuit, ut Alumni et Convictores Societatis, Patres in Universitate profitentes audiant, disputationes Baccalariorum et Magistrorum asserventur temporibus statutis; Baccalarii a quatuor Magistris examinentur, quorum duo Jesuitae sint; aetasque ad obtinendum Magisterium Philosophiae annorum 18 sufficiat. — Haec omnia a Patribus observata sunt, processumque est ad obtinendos gradus academicos ita, ut qui talentis sufficientibus gaudebant, subirent sic dictos „Actus parvos“ seu examen ex una parte scientiae quam tractabant, atque post talia examina disputarent publice ex universa illa scientia, seu ut subirent „Actus magnos“ ac tandem praemisso uno rigoroso examine „punctura“ dicto, ritu solenni promoverentur; occasione cujus promotionis Promovendi pro ratione Maecenatum suorum aut dissertationes typis expressas, aut icones aere incisas, aut utrumque praesentibus offerre sueverunt. Modus sic ad gradus Academicos perveniendi duravit usque ad annum 1786. quo decreto Imperatoris Josephi Baccalariatus et Licentiatus sublati, novusque ordo introductus est. Cfr de his omnibus Kink Geschichte der k. Universität zu Wien 1851. Tom. I. et II.

quoque, quibus noverca manu natura concessit talenta, ferrea diligentia valentiores aemulabantur. Par autem studiis pietas morumque disciplina primos Collegii Alumnos ornabat; in precibus assidui, modestia sua et vitae clericalis devota compositione sibimet mutuo aedificationi fuerunt; et ii quidem, qui e voluntate Fundatoris eo fine, ut in peragendis officiis sacris piam dexteritatem consequantur, ante finita studia saltim medio anno Ordinibus majoribus initiati in Collegio vivebant, junioribus tum exemplo optimo praefulgebant, tum ardens desiderium in animis horum excitabant ad Ordines similes non tam ocyus ascendendi, quam ad illos digne suscipiendos semet omni meliori modo praeparandi.

Ante obitum suum immortalis Fundator jam 63 Sacerdotes e Collegio suo egressos, velut totidem zelosos animarum pastores in vinea Domini laborantes laetus numeravit; plures quoque futuros, ni altiori spiritu perfectionis ducti aliqui ex indultu Fundatoris partim Ordini Jesuitarum, partim Franciscanorum, Capucinorum, Dominicanorum, Cisterciensiumve semet addixissent, et ni inimica vitae mors, infensusque pietati spiritus mundi e gremio Collegii aliquos rapuisset.

Quid praestitit Pazmannus Seminaria et Collegia Clericorum erigendo?

Ea quae de fundatione, dotatione, coordinatione Collegii Pazmaniani, quaeve de primaeva evolutione ejus adusque per decursum narrationis relata sunt, tempora respiciunt, quibus immortalis Fundator ejus adhuc vixerat. Fata posteriora, quae ab obitu Pazmanni Collegium hocce saeculorum decursu manebant, antequam narrare continuaremus, provocat nos pietas non minus ac aequitas, ut inquiramus, quantum qualeve meritum Pazmanno tribui debeat propterea, quod Collegium pro educandis tyronibus ecclesiasticis erexerit in loco Monarchiae principali, a bellorum incursibus utplurimun securo, culturae scientificae adquirendae ob viciniam Universitatis maxime accomodo, excitandis ideis ad altiora vitae ecclesiasticae

charismata summopere idoneo; cur item studia Pazmanni indefessa, sacrificia plane stupenda in educationem Cleri hungarici per erecta ac dotata alibi quoque Clericorum Seminaria, Juvenumque convictus impensa, prae plurimis actis factisque magnificis nomen ejus tradiderit aeternitati?

Quaestio quae nobis semet primo offert, est illa, quidnam sint Seminaria Clericorum? Seminarium est locus Deo sacratus, in quo futuri Altaris ministri mente et corde familiari modo formantur in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut ipsi olim parare possint Domino plebem perfectam; est locus educationis ad normam illam, quam exigit Ecclesia, quive format ecclesiasticum hominem ita, ut haec formatio sit ejus quasi altera creatio. Seminarium est locus celsior, cujus atmosphaera vegetativa totum replere, totum pervadere debet Alumnum, ut ille ex aëre mundi turbido non cito, imo nunquam per vitam suam haurire cogatur; est illud apiarium, ad quod Alumnus, si maria licet transvolet, aut spiritualium nutriatur dulcedine florum, sudoribus prematur in vinea Domini laborum, de tempore in tempus alis desideriorum suorum in sera etiam aetate revertitur; est locus ille sanctus transactae aetatis innocentis, cujus reminiscentia, cujus tenera somnia in extremo etiam vitae mortalis agone Sacerdotem recreant; Seminarium est regula directiva totius vitae sacerdotalis! In Seminariis evolvitur harmonia inter timorem et scientiam Domini, quae columnam efficit Sacerdotii; hic creat salutaris disciplina obedientes Ecclesiae ministros; hic praemunitur virtus intacti pectoris contra illecebras mundi; hic vigilat cura pastoris super pretiosis fidei gemmis, super studiis, ac docentibus, ac super omnibus iis, quae vitam Alumni futuram determinant; hic educantur ac praeparantur athletae fidei, zelatores animarum, futuri Martyres, si non sanguine, saltim patientia.

Educatione autem formatur homo ex communi omnium mundi sapientum calculo; educationis influxui tribuenda

est futura prolis conditio omnigena. Maximam autem vim in subsequam hominis vitam illa educatio exerit, quae prout naturae optime convenit, ita optima quoque est, familiarisque vulgo vocatur. Educatio in sinu familiae etsi non semper decisivum, indelebilem tamen exerit in totam prolis futuram vitam influxum, qui nunquam amplius penitus supprimi potest; imo animo prolis ita inhaerent conceptus primi, in sinu parentum evigilantis conscientiae, ut ii in omnibus ejus vitae adjunctis, saepe ab iisdem parentum suorum longe diversis, cum jam jam obliterati putantur, repente reviviscant. Aut hoc negato, quis explicare valebit aenigma illud, in characteribus hominum saepe latens, ut dum ex eorum affectibus, repetitis actibus, dudumque assuetis vivendi modis, ad actiones rationesque cogitandi statui eorum praesenti conformes conclusio justa formanda esset: difformes in patulum prodeant sensiones, cogitationes, agendique modi, qui nos stupere faciunt. Certe in casibus his, omni qui haec scrutari vult psychologo, momenta patebunt evigilantium primarum vitae puerilis impressionum; ut adeo non errabimus, si asseramus, talem futurum esse hominem, qualis a teneris formatur, educationisque in familia nactae lineamenta nunquam perfecte deleri, imo stigma characteristicum familiae, e qua quis in publicam mundi scenam egreditur, animo firmissime inhaerere adeo, ut etsi adjuncta, tempusque ac spatium illa delevisse videantur aliquando, tamen ea in imis animi latibulis de memento in momentum reviviscant, semetque saepe inopinate exerant.

Momentum igitur veritatis, quod primitivae impressiones educationis in familia nactae perennare soleant, statuta item et decreta Conciliorum, quae mundo in pejus ruente, cura sollicita collectas Ecclesiae plantulas in loco secluso incorruptas conservare, finibusque Ecclesiae conformiter educare praeceperant, obversabantur menti Pazmanni quoque, dum toto pectore educationi juventutis in

Seminaria collectae intentus fuit. Quod dum magno animo praestitit, immortalitatis nomen sibi distinctim emeruit. Si etenim jam cuilibet parentum cordi esse oporteat educationem suarum ad honorem Dei, salutemque suam genitarum prolium, ut eas integras utilesque in vita sociali conservent posteritati, quo sic in iis ac per eas honorificetur Deus: quanto magis cordi esse oportet educationem subsequae generationis iis, qui sancto munere vocati sunt parare Domino plebem perfectam per idoneos ad tantum negotium electos viros. — Sensit profecto Pazmannus vir hic ac Episcopus magnus, se unum eorum esse, qui in sublimi Ecclesiae specula constituti, pastores, successoresque sunt gentium Apostoli, tuta conscientia de se profitentis: „Ego vos genui in Christo“, quorum onus est dignos pro ministerio Evangelii, Altarisque viros de plebe segregare non solum, sed illos in viros perfectos formare, gratiis sacramentalibus ungere, eos conservare, ampliare, eos docere ac instituere, eos a mundo segregatos ceu totidem, gemmas pretiosas thesaurario Ecclesiae illocare, eorumque cordibus talia principia inserere, ut iisdem muniti non solum in magnis Domini praeliis stare, sed ire, fructus abundantissimos afferre, fratribusque in periculosa miseriarum valle luctantibus panem vitae, potum salutis afferre, afflictisque remedium tribuere valeant aliquando; utque bene edocti artes inimici subdolas, intrepidi subsistere queant, dum sancta fides nostra apertis, tectisque, violentis non minus ac fallacibus armis impugnata viris indiget sanctis, divini Spiritus afflatu roboratis. Hos jam viros ductu decreti Concilii Tridentini optimo consilio in talibus aedibus educari voluit, quae institutioni pubis ecclesiasticae sacratae, ob sparsa in iis sanctae vitae Sacerdotalis semina Seminaria compellantur, ubi aetas ab adolescentia in malum prona, incertaque in progressu suo juvenum vita in uno conclavi atrii sancti lubricae aetatis annos in disciplinis ecclesiasticis ageret,

viris deputata senioribus probatissimisque, quibus et magistris disciplinae, et testibus vitae uteretur [1]), ubi adolescentes hi normas Domini edocerentur directivas commodius, ubi juvenilia eorum corda Domino praeberentur efficacius, ubi spiritum vitae familiaris Ecclesiae imbiberent profundius.

Instituta educationis ecclesiasticae talia dum animo excelso partim erexit, partim ampliavit immortalis Pazmannus, rem moliebatur sane saluberrimam, una tamen difficillimam etiam. Neque enim negari potest educationem subsequam priori longe difficiliorem esse, arduam maxime tunc, si educatio posterior animis inserere debeat cogitandi vivendique principia ab illis educationis primae principiis longe saepe diversissima, imo contraria. Et tamen haec est utplurimum ratio educationis ecclesiasticae, quae alumnos in formam vitae ecclesiasticae suscipit e sinu familiarum, quae typum non semper exactum praeseferunt vitae subsequae, quam Alumnus in servitio Domini eligit. Cor tenerum prolis in sinu familiari parentum nullis adhuc passionibus captivatum, influxui parentum facile cedit, dum educatores ecclesiastici cor illud saepe imaginibus sensibusque longa consuetudine induratis referta suscipiant talibus, quae omni studio eliminanda ex iis sunt, quod attamen negotium educationis ecclesiasticae vehementer saepe aggravat, nam corda taliter jam affecta, sinceritate, ac sensibilitate aetatis tenerae jam jam exuta, verba amoris de ore educatoris saepe frigide, aut plane non suscipiunt, omnique occasione patulum reddunt: praecedentis educationis suae ab illa posteriori difformia lineamenta animis eorum profundius inhaerere, nec facile obliteranda fore; quae lineamenta si defectum sensus pietatis in priori nexu familiari occurrentem, aut imbibitas in mundi theatro cogitandi sentiendique formas

---

[1]) Conc. Tolet IV. C. 23.

arguant, probatissimorum saepe paedagogorum conatus irritant.

Difficile jam cum sit negotium juvenes e saeculo in ministerium Ecclesiae segregatos exigentiis Ecclesiae, statusque clericalis convenienter efformare, difficillimum sane aetate Pazmanni evasit negotium educationis ecclesiasticae. Familiae enim, unde tyrones sacri sumebantur, per incursiones muhamedanorum, cohortes factiosorum, molimina haereticorum vehementer saepe conturbabantur; vis seductionis late triumphabat, sensualitas ac passiones commovebantur, sparsa per orbem nova circa res religionis principia, fermento suo pernicioso patriam quoque nostram inundabant, fallacibusque adeptae libertatis alis raptata, transvolabant spiritualem, ut negari nequit, meliorum pastorum soporem, citiusque extinxerunt micantia in cordibus fidelium Religionis verae lumina, quam ut praepediri potuisset; quin imo inferebant fallacias nefarii spiritus sui in ipsam sacratam cellarum requiem, quae adusque fidei rectae, scientiarumque sacrarum asyla erant. Tempora si contueamur illa, prostrata cernimus millionum pectora, sanctioribus pietatis, morumque characteribus vacua, auctoritatem omnem respuentia, fidei fidelitatisquae oblita, et inter haec, proh dolor! haud pauca ex acie Deo sacratarum personarum quoque, quas non seducere modo, sed in apicem moliminum impiorum collocare successit genio aevi illius multum perverso.

Quid jam aevo illo, quod obedientiam vix de nomine novit; quo nutantia rerum politicarum adjuncta, bellique strepitus continuus sophismatibus doctrinae novae obcoecatos, feritate morum infascinatos, falsa libertate effrenatos in devium rapiebat populos, quid Pazmannus erectis sacratioris vitae asylis Ecclesiae profuisset, ni generositati huic stupendae perspicacem junxisset curam, instituta educationis a se erecta talibus educatoribus concredendo, quarum in re paedagogica splendidum ubique successum

ipsi adeo inimici vel inviti agnoverunt? Patres hi erant Societatis Jesu, qui soli fere erant ejus temporis bajuli scientiarum, sustentatoresque fidei nutantis, jurium Ecclesiae dirum in modum conculcatorum defensores, antemuralia templi, ruina haereseos, ipsos fanatico furore persequentis, exempla fidelitatis in Regem et Ecclesiam! His ergo Pazmannus concredidit regimen Seminariorom a se erectorum aut neo fundatorum, sicque par Sacrificiis educationi sacrae generoso animo oblatis tradidit sapientiae suae documentum omni retro posteritati. Justitia et aequitas urgent nos, ut haec animo grato agnoscamus; forti enim ac docta manu ad florem perduxerunt viri hi apiaria illa sacra educationis ecclesiasticae, in quibus ni profunde semina figantur vitae sacerdotalis sancta, interitus plurimorum paratur; ad florem perduxerunt Collegium illud quoque, quod Pazmanni nomine gloriatur, quodve Eminentissimus Fundator ipse „domum Sanctitatis" appellavit.

Tenera Pazmanni circa Alumnos suos sollicitudo.

E pluribus igitur moliminibus grandibus, quae Pazmanno merito nomen magni peperere, nulli veremur munificam Seminariorum et Collegiorum Clericalium erectionem, horumquae curam Patribus Societatis Jesu concreditam, inter principalia ejus merita collocare; sive enim naturam educationis spectemus in abstracto, sive indigentias educationis ecclesiasticae in concreto, tempora item aevumque Pazmanni, splendidam porro seriem virorum, qui ex his institutis prodivere: impensos hos Pazmanni in regenerandam vitam ecclesiasticam heroicos labores nunquam sufficientur celebrare possumus. Ast totus ipse etiam beatus vixit Pazmannus in idea hac tam sublimi effectui mancipanda; testes hujus rei sunt curae sollicitudinesque tenerrimae in epistolis suis copiosis ad Regentes Collegii sui Viennensis exaratis expressae, quae mirum plane spirant zelum dilatandi regnum Dei in quassatis haeresi Hungariae oris per pios animarum pa-

stores. In his pagellis, potissimum sua propria manu exaratis jam moerorem queritur ob unum aliumve in Collegio suo amato juvenem disciplinae impatientem; jam exuberantis animi gaudio Regenti solatia sua pandit ob fructus, quos novelli sui Alumni in vineam Domini expositi ferre incipiunt optimos; jam ad instar amantis matris nummos resque victui necessarias dilectis suis Alumnis cum egestate instructionis primae colluctantibus Viennam mittit; jam rem familiarem, disciplinamve coordinat, totusque interdum adeo Collegio suo intentus vixisse videtur, quasi nullas alias curas habuisset, licet mole harum in Ecclesia et Patria opprimeretur. Totus pia in suos teneritudine, ardoreque pastoralis sui officii diffluens, scribit biennio ante mortem suam die ipsa 19. Martii anni 1635 ad Regentem Collegii Posonio: „O si boni illi Juvenes cognoscerent gratiam Dei, ad tam altum et salutarem gradum eos vocantem, ut in animarum salute procuranda coadjutores Christi fierent! Certe in portu felicitatis se constitutos intelligerent. Nullus enim status Deo gratior est, quam animas Christi sanguine redemptas, et Apostolici laboris sudoribus pastinatas ad aeternam beatitudinis messem praeparare . . . Absurdi et praeposteri sunt, qui aliud quam Deum et ejus gloriam pro meta sibi figunt, quales ego illic in domo sanctitatis esse omnino non cogito.“ Dumque prius vice quadam Regens Collegii Pazmanno natura asperiores queri videbatur juvenes e diversis Hungariae oris in Collegium confluentes, Pazmannus eidem condolet, additque: „Res mundi sine difficultatibus non geruntur, praesertim ubi cum Juventute agitur. Nec tamen ob id animo frangi convenit, multo minus affectum deponere. Nam ut agros, ita Juvenes curare convenit.“ — 29. Junii 1633. — Ipse unum Alumnorum discolum ad se Posonium mitti voluit, ut „eundem ceu arborem evangelicam circumfoderet coleretque“ dein post mensium spatium sub paternis suis curis emollitum remisit, cum tamen in

exemplum aliorum castigare praecepit. Dum autem primos Collegii progressus a Regente audivit, cum exultantis animi sensu eidem respondit: „Laudo industriam Reverentiae Vestrae. et Alumnorum in studiis felicem progressum cum magna mea satisfactione intelligo. Deus det suam gratiam, ut recenter plantata illa arbuscula uberiores in dies proferat fructus.“ Posonii Sept. 1627. — Anno vero 1630. 16a Dec. Regentem Collegii stimulat. ut in coepto alacriter progrediatur itinere; „hucusque enim“ — ait — „magna pietatis et bonitatis exempla dederunt omnes. qui ex illo Collegio prodiere. Cupio caeteros non degeneres. Certum est, magnam ab omnibus laudem habere, qui illinc prodiere ita. ut norma sint et exemplar caeterorum“ Non absimiliter scribit anno 1631. 11. Maji Sellya „Certe quicunque inde prodierunt, admirabili satisfactione laborant in agro Domini.“ Quantus in his, similibusque plurimis effatis apostolici ardoris zelus, quanta quamve paterna vineae dominicae cura, quam celsus in teneris his plantulis Pazmanni animus, quanta in educando prudentia, quantus in stimulando affectus, in parcendo benignitas quanta! Mater, quae enixa est infantem. majori amore non fovet illum, quam Pazmannus Collegium suum. Saecula transierunt, et semen tenerum, quod viva fides plantavit Ecclesiae, spes destinavit Patriae, amor cordis maximi munivit valide, in arborem excrevit amplam, quae plurimis errantibus a via recta tutamen facta est salutis frondibus suis in requiem. qua nunc in coelo perfruuntur, sempiternam.

FATA COLLEGII PAZMANIANI

POST OBITUM FUNDATORIS

AB ANNO 1637. USQUE AD ANNUM 1700.

Singulari Providentiae divinae nutu factum est, quod viri, qui intercapedine temporis hujus Pazmanno in sede Ecclesiae hungaricae principali successerant, totidem quasi novellae Olivarum prius in circuitu mensae ejus fuerint. Emerico enim Losy, immediato suo successore, vita durante Vicario utebatur; Georgius autem Lippai, quinque lustrorum meritis in Sede Archi-Episcopali Strigoniensi grandaevus Losii successor, amicus, ac requisitus Testamenti Pazmanni executor fuerat; qui dein hunc sequebatur, Georgius Szelepcsényi, curis Pazmanni fuerat educatus Romae, prout hujus iterum successor Georgius Széchényi Antistes per eminentiam „sanctus, dives, et doctus" e primis erecti Collegii Pazmaniani Alumnis, singulari Pazmanni patrocinio gloriabatur; tandem qui Agmen Archi-Episcoporum Strigoniensium saeculi decimi septimi clauserat Leopoldus Kollonics, a Pazmanno fuerat ablutus fonte sacro Comaromii [1]). Viris his in historia tum sacra tum profana Hungariae maximi nominis Ecclesiam Hungariae principalem gubernantibus, Collegium magni eorum condam amici ac patroni Pazmanni, Alumnos, numero, pietate, doctrina ac zelo minime degeneres in dies amplius donaverat Hungariae. De primis quidem tribus decadibus annorum, quae mortem Pazmanni sequebantur, nil uberius referre possumus, ob defectum fontium; quasi enim luctus tricennalis atro moerore captivatas tenuisset manus annalistarum Collegii, paginas Historiae domus vacuas reliquere. Nec aliunde ad hiatum tantum complendum suc-

[1]) Memor. Basil. Strig. p. 92.

currunt Archiva, ut adeo pauca solum, cum fingere facta veritatis studium vetet, de temporibus his referre valeamus.

1637—1667. Pazmanitae Missionarii.

Quantum quidem ad profectum Alumnorum attinet: hunc optimum fuisse, docet id, quod ex Collegio egressi ad ardua missionum munera copiose appliciti fuerint. Cum enim in Collegio frequenter juvenes hi presbyteri nutu altiori ad se inviatos suscipere debuerint pro instructione homines non haereticos solum, sed plures adeo muhamedanos ad veram fidem converti volentes: singularem in Collegio jam ad convertendos errorum asseclas aquisiverunt dexteritatem. Narrat Biographus Georgii Lippai Archi-Episcopi, quod vir hic vere apostolicus, inter caeteras suas curas pastorales singulari studio in id intentus fuerit, ut labantem in Transylvania sub haeresum vastissima mole rem Catholicam erigeret. Viris indigebat ad tam arduum negotium omnino probatissimis, hosque in Collegio Pazmaniano quaesivit, reperitque. Michaelem enim Fenessy, qui anno 1646, et Martinum Kászony ceu socium, qui anno 1652° ea cum jurata sponsione semet Albo Collegii inscripserant, ut ad fidem firmandam, doctrina sacra exculti, in patriam remeare parati sint, Lippaius in Transylvaniam delegabat, Domino cooperante, et sermonem horum duumvirorum confirmante gratia sua! [1]) Similis casus annis etiam posterioribus saepius occurrit.

Disciplina circa transitum ad ordinem religiosum, et immorigeros.

Quantum ad disciplinam domesticam adtinet: Literae quaedam de anno 1650 et 54 ejusdem Archi-Episcopi edocent nos: non infrequenter evenisse casus, ubi Alumni ad suscipiendam animarum curam olim semet in Collegio Pazmaniano juramento obligantes, serius mente mutata, aut ad Claustra extra Hungariam sita convolaverint, aut disciplinam domus laxare inceperint eo fine, ut eliminarentur, sicque ab onere restituendi sumptus Collegio in se factos, liberarentur. Nec carebant suis fautoribus; mona-

---

[1]) Schmitth Æpisc. Strig. s. h. tit.

steria enim quaedam integra dissertatione Archi-Episcopo oblata demonstrare conabantur, sponsionem Alumnorum juratam per professionem religiosam in consilium converti de bono meliori; patroni autem discolorum suos humano magis, quam sacerdotali affectu tuebantur. Lippaius Alumnos ab onere remeandi in patriam non absolvit, indulsit tamen, ut in patrios ordines transire possint, manente obligatione, ubi fieri poterit sponsionem in Collegio datam in servitio Ecclesiae Hungariae implendi. De discolis autem statuit, ut si Theologi forent, culpa expiati ordinentur, nec tamen promoveantur; si autem philosophiae studiosi essent: excludantur, ad ordines non promoveantur, sumtusque Collegio refundant. — 16. Maji 1654. Posonii. — Quae tota dispositio manifeste ostendit, quod ob magnam sacerdotum in Hungaria penuriam Archi-Episcopus acriorem hunc procedendi modum adhibere debuerit.

Quaestiones agitantur inter Capitul. Strigon. et Regentem de susceptione Alumnorum.

Penuria haec Sacerdotum per totam, qua late patebat Hungariam sensibilis, studium item Antistitum, piorumque quorumdam Procerum eidem modo quam optimo medendi, causa exstitit, quod complures horum, Alumnos pro Dioecesibus, aut parochiis, patronatui suo subjectis, sumptibus propriis in Collegio Pazmaniano educari curaverint. Cujus rei fama sinistro nuncio in Capitulum Strigoniense perlata ansam dedit Capitularibus, Regentem Collegii Joannem Pissinger in quaestionem vocandi, cur hic in obversum juris, soli Capitulo Sede Archi-Episcopali vacante potestatem tribuentis praesentandi Alumnos, auctoritate propria tales Capitulo nec interrogato in Collegium suscipiat? Respondit Regens, seque ab impactis sibi reprehensionibus ultro purgavit, demonstrando, se neminem ad rationes fundationis suscepisse praeter eos, quos Archi-Praesul, aut Capitulum Metropolitanum ad Collegium miserat, Alumnosque, de quibus quaeritur, privatos Aliorum clientes esse sumptibus propriis sustentatos. — Habuere

autem Alumnos tales in Collegio aevo isto Emericus Losy, qua Ep. Varadinensis; Georgius Lippay, Praepos. S. Steph. et Canon. Strigoniensis qua Ep. Agriensis; Joannes Pyber Æppus Agriensis. Nicolaus Eszterházy R. Hung. Palatinus; Catharina Pálfy, vidua Comit. Sigism. Forgách Palatini; Georgius Draskovics, qua Ep. Jaurinensis; Capitulum Agriense; Joannes Drugeth Judex Curiae; Joannes Pisky Archi-Episcopus Colocensis et Episcopus Jauriensis et alii. Singularem autem considerationem merentur illae Regentis fati ad Capitulum directae preces, quibus ille rogat, ut ad Collegium mittere velint probatos ac bene examinatos, quos magis juvenes saeculares, quam Clericos esse cupit propter certas et plurimas causas, quas Archi-Praesuli solum se exponere velle nunciat. Preces hae singulares nimis esse videntur, ast tempora posteriora solvere valebunt aenigmata priorum coram iis, quibus de natura educationis penitius constat [1]).

Fabrica Collegii ampliatur.

Crescente in spem maximam Ecclesiae numero Alumnorum in Collegio Pazmaniano, illud anno 1638 iam 58 Alumnos numeraverat, e quibus anno sequente 22 ad curam animarum exmissi sunt. Fabrica Bursae huius olim Liliorum, ad tractus quidem tres exurgens, quatuorve fenestris versus forum Praedicatorum in singulo frontis suae tractu ornata, capessendis tantis juvenibus non sufficiebat. Mature igitur Patres Soc. Jesu de amplianda domo cogitare coeperunt. Conquisitis undique benefactoribus, auctisque industria maxima Collegii reditibus, mox occasionem nacti sunt fabricam Collegii ampliandi. Vicina quippe domus, ternas in tribus tractibus fenestras complectens, circa annum 1646 venui exponi coepit. Domus haec inter Bursam Liliorum, et domum Laurentii quondam Pezl e regione Ecclesiae S. Barbarae sita, anno 1579 proprietatem effecit

---

[1]) Exstat epistola haec in Archiv. Capit. Strig. Lad. 67. fasc. 8. Nr. 23. de anno 1658. 27. Octobr.

Joannis Springer, anno autem hoc inter haeredes ejus divisa fuit; qui tamen usque ad annum 1620 partes suas successive Wolfgango Springer fratri suo cesserant, a quo domus civi cuidam Joanni Stachel, ab hujus autem fato per Judicium cuidam Joanni Hold vendita fuit. Hic Joannes Hold debitis pressus adhuc anno 1633. Simoni Kisling [1]) Consiliario Caesareo eam denuo vendidit, a quo in possessionem Collegii devenit anni 1646. die 9. Martii. Domus illo tempore sub Catastro Statuum inferioris Austriae constituebatur, unde tardius exempta. Civitati Viennensi tributum dependebat; et quia fere per integrum saeculum in manibus talium erat, qui solvendo passim impares erant vectigalia sibi imposita: hinc dum Regens Collegii Pazmaniani ejus temporis Joannes Hmira domum emere consensu Superiorum suorum voluit, plurimas difficultates ob restantias priorum possessorum expertus est non minus in emendo, quam empta dein domo, in retinendo. Magistratus enim domum cedere non facile voluit, veritus, ne domus tributo obnoxia civico, per Collegium liberum absorbeatur, tributumque Civitati pendi solitum cesset, ut adeo dum Pater Regens domum emere voluit, scripto cavere debuit, se omnia onera civica domui huic incumbentia supportaturum, omniaque acturum fore, quae tum generalia Imperatoris decreta de possessionibus corporationum, tum specialia civitatis jura possessoribus bonorum civilium imponunt. — Quaestione hac superata, quominus Regens Collegii Alumnos in domum hanc neoaquisitam transferre posset, obstabant tibicines caesarei ibidem cum uxoribus filiabusque suis illocati; annique spatium elapsum est, donec ipsius Augustissimi Imperatoris de translocandis his mandatum effectui mancipari potuerit. Tibicinibus tandem aliam in domum transpositis, copiosus Alumnatus se

---

[1]) Familiam hanc inter celebriores Urbis familias refert Hormayr Wien's Geschichte IV. p. 101.

in domum illocavit, nec tamen securam ibi mansionem nanciscebatur, moles enim aedificii ruinae proxima fuit. Sigismundus Rukel Anno 1668. Collegii Regens a Superioribus facultatem obtinuit domum diruendi, atque a fundamentis de novo educendi, Collegioque Pazmaniano inaedificandi ita, ut deinceps duae hae domus unam fabricam constituerent. Res haec non carebat difficultatibus iisque maximis, magistratu civico semet consilio huic toto pectore opponente ob causas superius iam attactas, ne nimirum domus tributaria civica per domum liberam absorbeatur, sicque ab oneribus tributorum semet eximat; octodecim praeterea annorum census solvendi restabant. Omnes attamen has difficultates superabat prudentia ac dexteritas Regentis, Magistratusque civicus tandem non solum e restantia octingentos florenos remisit, verum indulsit una, ad lineam rectam servandam, aedificandam domum in duas palmas protendere. Vicissim Regens Collegii, partim ut fiscum Magistratus ob domum civicam Collegio inaedificandam indemnem redderet, partim ut ab annuis civilibus praestationibus semet ac Collegium liberaret: deposita summa 2000 florenorum, domum hanc Kislinghianam ab omnibus oneribus in perpetuum exemit, manente solum obligatione juxta non pridem facta generalia edicta Suae Majestatis Caesareae de fundis ecclesiasticorum, novam omni decennio sic dictam Quaeram, seu transcriptionem fundi procurandi erga certam, incirca duorum florenorum dependendam taxam. Haec attamen obligatio Regentes Collegii pluribus implicabat subseque processibus, quos, licet Archivum Collegii repleant, referre piget, nec enim quemquam delectant quaestores tributorum. Vicerunt Regentes.

Rebus taliter compositis, die 28. Maji 1668. Alumni cum superioribus domo excedentes, in aliam, Montem aureum nuncupatam, migraverunt, murique veteres dejici coeperunt. Manibus operariorum impigre agilibus factum est, ut in profesto S. Apostoli Bartholomaei primus jam

lapis novae fabricae supponi potuerit. Inclusa tenebat saxum hocce excavatum in pyxide ad id parata sacra Lypsana, nominaque Patrum Societatis atque Alumnorum eo tempore in Collegio degentium, membranae inscripta. Non contemnendos dein tota aestate, totoque autumno exhibuit fabrica progressus, lugubres tamen nonnihil ideo, quod mense Majo exortus repente turbo duos asciarios e tecto praecipites egerit, quorum uno exspirante, alter impensis Collegii omni cum charitate fovebatur, cujus etiam crura fracta iterum sanata sunt. Pariter agricola calcem advehens eadem aestate trabis decidentis ictu graviter vulneratus, arte Chirurgi Collegii sanitati restitutus fuit.

Hyems progressum laborum stitit, ast vere vix orto, solertissimae manus coeptum continuavere opus, Aulae etiam Caesareae Vice-Domino in bonum fabricae subsidium animo gratioso conferente per id, quod arenam e flumine vicino absque omni pretio advehere indulserit. Prosperis mox inamoena successerunt fata; etenim dum domui Collegii dirutae nova fundamenta ex parte areae supponere perrexissent operarii: domus vicina ad album bovem dicta, ruinosa, inclinare, ejusque parietes hiare coeperunt; qui eventus aliquot diebus stitit progressum aedificii novi; omnia tamen mox optime composita sunt, molesque aedificii altius surgere coepit, ut ad Sacras nascentis Dei ferias ad novum Triclinium licuerit jam transire, ubi non in divisas mensas ac Lances majores assessum, verum more regulari frugali decentique ordine postea accubitum est, amandatis etiam saecularium juvenum ministeriis, ipsi Alumni mensis inservire coeperunt, cui initium Magistri bini cum Patre Regente fecere; placuitque plurimum tam decorus ordo modusque religiosus sese reficiendi [1]).

[1]) Antea in triclinio mensae Alumnorum a mensa Regentis diversae erant, et mensa Regentis ac Magistrorum, cui per patronos aliquando Alumni etiam adscribebantur e stemmate nati, Convictoresque, mensa prima vocabatur, huic assidebant hospites quoque, qui non raro Collegium sua praesentia condecorabant; Pazmannus ipse scripsit Sellya 22a Octobris 1629 ad Regentem Collegii, de quodam cognato

Tandem anno 1670° mense Julio singulari Dei beneficio novum aedificium eousque fuerat exstructum, ut

---

suo huic mensae aplicando: „Mitto duos supernumerarios ...... mitto et alium Stephanum Ladányi etiamnum Calvinistam ad studia Viennam. Rogo Rtiam vestram, commendoque illum P. Regenti, habeat curam ipsius. Sit in prima mensa. Etsi enim valde remote, nec mihi ipsi explorato gradu, sanguine tamen majores meos attingere dicitur. Ego vero nihil aliud exspecto, quam ut Catholicus sit et pius. Adjicio 25 aureos pro mensa." — Alium etiam cognatum, nepotem suum misit Pazmannus, de quo scribit „Vellem nepotem meum Viennam mittere, ut germanicum idioma percipiat, eo fine nollem, ut in domo mea diversetur; prospiciat Rv. Vstra ..... ut honesti cujusdam viri hospitio utatur ... . Nec nepos nec praeceptor vinum bibant, sed cerevisiam ... volo eos honeste tractari. Poson. 11a Oct. 1636.— Caeterum ab inducto more hoc non ad divisas mensas sedendi, iterum recessum est, e causis ut credi facile potest sonticis, sufficientibusque. — Sub mensa secunda dein intelligebatur illa, quae finita refectione secundo sternebatur, communiter pro fratribus, studentibus, servitoribus etc. Exstant in eodem Archivo Collegii adhuc duo libri Acceptorum, ab annis 1625—1652, dein 1656—1666, qui ad Collegii statum materialem magnam lucem afferunt; in iis enim consignantur summae, quas octodecim fatae compatientes civitates, minutim, si ita loqui fas est, in fiscum Collegii inferebant: Fuerant autem hac compatientes civitates Krembs, Claustroneoburgum, Langelois, Mödling, Gumpoldskirchen, Petersdorf, Stams, Tuln, Recz, Bruck ad Laitam, Vadthoff, Badenae, Zwettl, Stein, Egenburg, Korneuburg, Ibbs, Laa, quae dum debita sua in aere parato solvendo pares non fuissent, illud vino, frumento, lignis, aliisque productis naturalibus suppleverunt, quae Regentes Collegii magna saepe molestia vendere, sicque aes paratum procurare fuere adacti. Exstant in uno horum librorum rationes Collegii de Anno 1660—61, e quibus tum status personalis, tum perceptio, tum erogatio Collegii dignoscitur, quas etiam hic adnotasse forsitan quibusdam lectorum libri huius non vile videbitur. Numerabat autem Collegium unum Regentem cum duobus Magistris, Alumnos 48, Credentiarios 3, Sollicitatorem 1, Cellarium 1, Janitorem 1, Pistorem 1, Sutorem 1, Sartorem 1, Cocum 1, Pueros in Culina 2, Aurigam 1, Subaurigam 1, in Summa 64 personas. — Percepit in aere parato 16.386 fl. 9 dnr. — In vino 2012 urnas, in frumento 320 metretas. In debita diversorum praetensiones habuit 20411 fnorum. — Debita passiva habuit Collegium 830 fnos ceu rèstantes Census pro domo Kiszlinghiana. Erogavit vero in aere parato 11.248 fl. 12 dr. In frumento 290 metr. — Pretia rerum erant: 1 metreta tritici, pisorum, lentium 1 fl. Orizae libra 6 xr. Butyri Centenar. 14 fl., Ligni origia 2½ fl. Candel. Centenar. 13 fl. — Habuit Collegium equos 4, currus 2. — In libro II° Acceptorum peculiares insuper exstant rationes de florenis annuis 200 ad rationes duorum Archi-Dioecesis Strigoniensis Alumnorum e fundatione Christi solutorum ab Anno 1642 usque 1662. Hujus fundationis origo est sequens: Joannes Buday Canonicus Strigoniensis, et Archi-Diaconus Barsensis, pauperum studiosorum misertus, qui se domi excolere non valebant, pro eorum stipendiis proventus quatuor domorum suarum Budae existentium donavit Anno 1309°. — Quae fundatio dein varia fata subiit, auctaque est anno 1512o domo Gregorii Pesthy ejus Collegii quondam membri, possidebat insuper 1000 fnos rhen., quae dein post Cladem Mohacsianam Viennam translata, manibusque Consistorii Universitatis ibidem concredita fuit. Nicolaus postea Oláhus Archi-Episcopus Strigoniensis in suis tabulis ultimis pro alendis et erudiendis pauperibus studiosis bonae indolis, „iis tamen, qui Sacris initiari et Sacerdotes esse volunt et non aliis", mille fnos ungaricales legavit, quae fundatio Olahiana nuncupanda, eidem Universitatis Consistorio per executores testamenti consignata erat. — Iterum Georgius Kutassy († 1568) Can. Strigoniensis legavit pro duobus studiosis Hungaris in Collegio Christi, qui progressu temporis sacris initiati S. Cath. Ecclesiae inserviant, 800 fnos ungaricales. Tandem Matthaeus Poklostóy Canon. Strigoniensis et Praepos. Sághiensis anno 1571. „pro sua in Ecclesiam Dei pietate studioque ferventissimo promovendi Ministerium divinum", 1100 rhen. fnos deposuit penes Universitatem Viennensem sub certis conditionibus, ex quibus praeci-

Alumnatus illud commode subintrare potuerit; in cujus rei memoriam recolendamque benefactorum largam munificentiam festum SS. Apostolorum Petri et Pauli velut festum fundationis constitutum, solenni modo recoli coepit. Tota autem moles vasti aedificii anno primum 1672° perfecta fuit, liberalem exhausto Collegii fisco opem adferente Georgio Széchényi Archi-Episcopo Colocensi, qui in aedificii auxilium quingentos florenos Rhen. munificentissime contulit, sicque Collegium suscipiendis numero ampliori Alumnis accomodatum, hodiedum stat.

Numerus Alumnorum imminutus.

Reconstructis ruinosis Collegii domibus, dum nova elegantiorque fabrica numero ampliori Alumnorum adaptata exsurrexit, parum abfuit, quin gravis ruina ipsi Alumnatui non inferretur. Proventus enim Collegii de anno in annum imminui coeperunt; exstructio novae domus magnis impensis veniebat, et recte durissimis his aedificationis temporibus census a Summa capitali centum millium florenorum instar fundationis a Pazmanno penes Status inferioris Austriae in domo provinciali Viennae deposito, ab anno 1660 usque fere 1668 non dependebantur. Onus enim census annuos a dicto Capitali Collegio

---

puae sunt, ut jus praesentandi duos juvenes hungaros Universitas, eligendi Praepos. Sághiensis, vel illo vacante Capitulum Strigoniense habeat; ut juvenes sacris literis operam dare sint adstricti, ut studiis perfectis in Archi-Dioecesi Strigoniensi Deo et Ecclesiae serviant, ut tandem, necessitate sic exigente unus etiam totum stipendium percipere valeat. — Harum fundationum Alumni in Bursa Agni Viennae vivebant, Bursis sublatis, fundatio duobus Alumnis in Collegio Pazmaniano in bonum cessit ab anno 1643—1662, quo anno Capitulum, ut in libro Acceptorum connotatur, hanc fundationem alio transtulit. Omnes autem hae quatuor fundationes, cum unum eundemque scopum habuerint, pro indigentiis Ecclesiae hungaricae Clericos educandi, ac excolendi: serius in unam massam conjectae fuerunt penes Universitatem Viennensem, cum qua Capitulum Strigoniense longam diu concertationem fovebat, de jure, in literis fundationalibus contento, quo superintendenti Stipendii — Universitati — conceditur alterum stipendiatum instar praemii laborum nominare; quod attamen jus hodie, dum Clericos solus Episcopus in Dioecesim assumere potest, suapte cessavit. — Lite in longum protracta, tandem anno 1862. die 14a Nov. ita cum Universitatis Consistorio coalitum fuit, ut fundationum harum proventus — Capitale hodie 21750 fnos efficit — cedant Alumnis illarum Dioecesium in Collegio Pazmaniano viventibus, quae cum fundatio facta fuisset, ad Archi-Dioecesim Strigoniensem spectabant. — Ampliora vide: Informatio de Stipendiis Scholasticis, nunc sub nomine Olahianae fundationis venientibus apud Almam Univ. Vienn. Saeculo XVI fundatis. Pagellae Strig. 1853. a Can. Strig. Mich. Kemp divulgatae. Item Magyar Sion 1863. Esztergom pag. 345.

Pazmaniano omni medio anno solvendi, octodecim compatientes ut vocabant civitates Austriae inferioris manebat. Hae attamen civitates per vexas bellorum partim, partim per alios valentiores creditores executione etiam mediante exhaustae, viginti et amplius millibus florenorum titulo census Collegio solvendorum restabant. Pater Regens Osvaldus Gussman nil intentatum reliquit, ut illas ad solvendum adigeret, et licet iterato ex audientia Imperatoris spem subsidii adferendi reportaret, effectum est tamen nihil. Quantam jam Alumnatui ruinam talis proventuum hiatus minabatur, ex literis colligere licet, quas idem Regens ad Archi-Episcopum Strigoniensem scripserat; dicit enim exposita ruinosa hac Statuum mora: „Unde numerus Alumnorum, qui prius se ad octoginta et amplius extendebat, his annis quarta parte imminui debuit, cum irreparabili animarum ob defectum Sacerdotum in Hungaria aeternum pereuntium damno. Adeo quidem, ut Eppi mihi lamentabiles literas scribant de inopia Sacerdotum, ex qua fit, ut Oppida integra pagique ante paucos annos ad Catholicam Fidem traducti cogitent de praedicantium haereticorum revocatione, cum catholicis pastoribus destituti sint. Et licet jam in principio anni hujus plures etiam ab uno solo Eppo Sacerdotes in summa necessitate petiti sint: tamen postulato illi, tamquam gravi necessitati non solum tunc satisfacere non potui, verum etiam hoc paschali tempore, quo alias 20 Sacerdotes in vineam Domini ex hoc Collegio emittebantur, nonnisi duos pro auxilio tot indigentium animarum Sacerdotes curare potui ordinari, eosque e medio cursu studiorum subreptos" [1]).

Horti Collegii. Iisdem curis, quibus Pazmannus indigentiis Ecclesiae Hungaricae per erectum a se Viennae Collegium Clericorum animo magno succurrere satagebat, quibusque

[1]) De 11. April 1666 orig. in Arch. Colleg. — Alumnos tempore hoc tenuiter nimis vitae mediis provisos fuisse, e literis colligere licet Francisci Szegedy Ep. Vac, et Refer. aulici ad Capit. Strigon. directis Arch. priv. Caps. 17. fasc. 14 Nro. 32. Regens Gussman his curis pressus contabuit.

scientificae ac morali Alumnorum culturae totus incubuit: de mediis etiam paterna sollicitudine prospexit, ut juvenes dum semet sub salutari disciplina excolunt, intentis animi corporisque viribus relaxationem necessariam obtinerent. Principalem respectu hoc curam in coemendum loco apto hortum convertebat, optime perspiciens, institutum educationis tali non facile carere posse. Etsi autem tempora coepti hujuscemodi consilii primi certo determinari haud possint: illud tamen constat, ab eo Patri Regenti in epistola quadam anno 1624. scripta objectum fuisse, quod hic de projecto horti nil referat; constat item, qualiter paucos post annos (1627. 7a Nov. Poson.) eidem Regenti cum doloris sensu conquestus fuerit, se ob vindemiam malam in emptionem horti nil conferre posse, „cogitationem attamen horti se non deponere“, imo anno adhuc 1631° humanitatem Patris Regentis interpellasse, ut sibi etiam copiam horti emendi facere velit, quotiescunque vita durante Viennae moras nectens ejus desiderio duceretur. Non est igitur incredibile, hortum non diu post emptum fuisse, certumque est teste archivo, Collegium ante annum jam 1660 duos hortos habuisse. Unus horum situs erat immediate extra muros civitatis ad portam, quae Scotensium vocabatur, alter, qui in actis „novus“ compellatur anno 1666 in oppido S. Udalrici, incertum tamen, quonam in loco existebat. De priori sequentia referunt annales: „Accessit et illud rei temporariae, quod suburbanum hortum ante paucos annos primarios sane inter urbis hortos censendum vendiderimus Excellentissimo Domino Dno Schwarzenburgio pro bis mille florenis, nulli facile alteri ne dimidio emibilem, nec eum Excellentissimus Comes emisset, ni suo horto fuisset contiguus. Causae autem hujus divenditionis hae potissimum fuere, quod nimirum tempore proximorum Turcici belli tumultuum tota domus ob vicinitatem nimiam urbis moeniis (erat enim immediate ad portam Scotensem dictam

Hortus ad portam Scotensem.

situs) dejecta, et solo aequata, et plus quam dimidia pars horti excissis arboribus in commune occupata fuerit, quodque gravissimum erat, etiam in residuam partem populo transeunti patebat aspectus, et totius partis illius urbis sordium colluvies isthic exponebatur, omnisque pluvia influebat, et certissimum periculum erat jam facta designatione, ne in minimo aliquo belli motu totum etiam reliquum interire cogeretur. Et nisi Excellentissimus Comes prima statim fronte pretium deposuisset, non facile illud post paucos dies praestitisset emptionis poenitudine ductus. Pro hoc autem horto, nostro usui minime idoneo, comparavimus alium trans Danubium prope telonium Tabor dictum, exiguum quidem in spatio, bono tamen aedificio, aura, et arborum fructiferarum copia maxime instructum, nec jurisdictioni civicae, sed hospitali caesareo subjectum. Pretium ejus erant ter mille floreni; et centum Taleri in proxenium, ipso contractus initi die Dnae Viduae Merzianae dictae, cujus hortus erat, sunt in paratis numerati."

Hortus in pago S. Udalrici.

De altero horto, in vicino pago S. Udalrici sito constat, ibidem anno 1667 cellarium, sex item cubicula cum totidem cameris pro usibus inquilinorum aedificata fuisse; hortum hunc non diu possidebat Collegium, jam enim biennio post, partim ob remotum ab Urbe situm, partim ob soli sterilitatem, velut minus utilis venditus fuit quatermille et trecentis rhenensibus florenis, septuaginta quinque item urnis vini, nec ejus amplius occurrit mentio.

Hortus in insula S. Leopoldi. Sacellum S. Rosaliae.

Hortus igitur prope telonium Tabor recenter comparatus sedula cura Patrum Regentium ornari, ampliarique coepit. Et quidem anno 1676 aedificium horti hujus commoditatibus Alumnorum aptabatur, ubi etiam exiguum, elegans tamen in tractu superiori Sacellum erectum fuit S. Virgini Rosaliae veluti contra pestem patronae dicatum; sic enim omnia in domo hac coordinabantur, ut lue continuo in urbe grassante, in extremo necessitatis

casu Alumnatus huc confugere, hicque sub tutela hujus Virginis habitare possit. Cum autem hortus hic novus exiguus pro numero Alumnorum inventus fuisset: diu Pater Regens illum ampliare studuit, quin tamen e hortis vicinis ullum deprehendere licuisset venalem. Curis ob id presso Patri Regenti occurrit maximus ille Collegii Benefactor Cardinalis a Kollonics, cui successit hortum viri illustris A. Perger, horto Collegii proximum, inter Montecuculianum et Saiczianum situm, sub nomine suo, aere tamen Collegii quatuor millium florenorum persoluto emere ac dein Collegio cedere. Haec videtur pars illa horti esse, ubi anno dein 1700° pro lotore commoda domus a fundamentis erecta fuit, inter quam et domum Collegii usibus destinatam hodie introitus in hortum patet, cum antea ingressus ex alia parte aedificii antiqui fuerit. Penes hoc primitivum aedificium, quod suscipiendis Alumnis subin insufficiens evasit: exsurrexit aliud aedificium altius priore, munificentia et sumtibus mox laudati Domini Cardinalis a Kollonics, spatioso inferne Triclinio, superne paris fere amplitudinis cubili, aliisque tribus minoribus cubiculis provisum, in quorum ampliori sacra faciendi potestas data fuit ab Æppo Viennensi ad instantiam laudati Cardinalis, cujus etiam insignia in tabulato superiori aedificii majoris hodiedum visuntur. Altare in cubili hocce elegans, liberali beneficentia G. Dni Francisci Popovics exsurrexit, qui dein die 4ª Octobris anni 1690, veluti fabricae totius consummatae die, ad solennitatem divi Francisci Seraphici invitatus, praesensque fuerat, dum ibi S. Missae sacrificium prima vice offerebatur. — Pars posterior horti, qui arboribus fructiferis exquisitissimis implantatus fuerat, lucrum non minimum per venditos fructus Collegio inferebat, alveis tamen rivulorum, fossatisque deturpabatur, quae anno 1694 oppleta fuerunt, totusque hortus eam, quam hodie habet, formam induit, lata illa via dempta, quae jussu Imperatoris Josephi II. serius

per medium horti ducebatur, eumque modo etiam bifariam divisum tenet, dempta item altitudine plateae publicae de foris, quae recentioribus temporibus successive ad tres et amplius pedes levata, quadrisque lapidibus anno lapso exposita fuit.

Fundatio Jaurinensis, Nitriensis, Agriensis, Szelepcsényiana, Korompaiana.

De rebus temporalibus Collegii verba facientes, ut ea, quae Collegio adhuc accesserunt hujus generis incrementa, simul referamus: addimus diversas fundationes partim fisco Collegii incorporatas, partim ultima voluntatis dispositione, aut alio modo in bonum Collegii factas. — Primo quidem loco commemorare juvat fundationem Jaurinensem. Maximi nominis Ecclesiae Jaurinensis Episcopus, locique ejusdem Comes Perpetuus Nicolaus Dallos pro sustentandis Alumnis Seminarii Jaurinensis 25.000 florenos rhenenses ad certum aliquem et perpetuum censum elocare intendebat; requisitus tamen ab Imperatore Ferdinando II° eandem summam in stipendium militum Germanicorum Praesidii Jaurinensis erga recognitionem desuper datam, cesserat. Imperator 16ª Sept. 1629 caesareas de transsumpta hac summa pecuniae obligatoriales literas Viennae elargitus, promisit: census 1500 fnorum se quotannis solvi curaturum in domo ponderaria Salis Viennae. E censibus his, Seminario Jaurini nondum erecto, secundum mentem piissimi fundatoris Alumni numero convenienti in Collegio Pazmaniano pro Dioecesi Jaurinensi sustentandi erant, alebanturque inde ab anno circiter 1660—1731 igitur 70 annis, prius quidem numero 12, postea charistia rerum increscente 10. Domini quidem Capitulares Jaurinenses iterato instabant, ut Alumni constanter duodennario numero alerentur, verum Patres Regentes, habita proportione ad Alumnos, reliquarum fundationum, ne hi per auctos supra vires fundationis suae Jaurinenses, injuriam paterentur, petito simili se deferre non posse autumabant, maxime, cum census etiam diu aut emanerent, aut inordinato valde modo penderentur.

Altera fundatio, quae Collegio accessit, erat Georgii Lippay, Episcopi olim Agriensis, qui motus „tum communi Patriae calamitate, tum peculiariter memoratae Agriensis suae dioecesis per invalescentem haeresim, ac piorum doctorumque Sacerdotum penuriam gravi desolatione“: reliquos inter pios conatus pro fidei orthodoxae restitutione, Alumnatum certum Viennae in domo montis aurei, Collegio Pazmaniano contigua sub cura et administratione Societatis Jesu fundavit erexitque. Ut proventus saluberrimae hujus fundationis augeret, eidem censum etiam annuum sedecim mille florenorum Summae capitalis penes Civitatem Modrensem investitae, a Comite Paulo Pálffy sumptibus suis comparaverat, qui Census, quinque a centum computando, annue florenos octingentos constituebat [1]). — Haec capitalis Summa sedecim mille florenorum, successu temporis usque ad florenos 12800 decrevit, et census 640 fnorum dabat Collegio pro Alumnis quatuor Agriensibus. Ast hi etiam Alumni ob maximas, census a distante civitate Modrensi percipiendi difficultates, obque angustiam loci in Collegio, remotosque lares suos paternos anno 1687 ab Episcopo Georgio Fenessy Tyrnaviam in Collegium generale Cleri Regni Hungariae translati sunt.

Tertia fundatio pro sustentandis Alumnis duodecim Dioecesis Nittriensis a Joanne Gubasóczy Regni Hungariae Cancellario et Eppo Nittriensi facta est, consistitque in bono Gallosiensi, ex cujus proventibus Alumni illi 12 commode sustentabantur; frumentum enim et vinum, quae tum allodia tum decimae possessionis hujus Collegio fundebant, minime contemnenda dici potuerunt. — Usus fructus hujus boni anno 1696 controversus, etsi consensu regio firmatus fuerit, tamen ad dimidiam solum partem, idque nisi ad ulteriores septem annos Collegio relinque-

[1]) Ex orig. Georgii Fenessy Ep. Agr. de 28° Aug. 1687 in Arch. Colleg.

tur. — Habuit haec fundatio capitalem Summam 21000 fn. apud Praelatum Pernekensem Ord. Praemonstratensium investitam, a qua census cum circa annum 1708 non dependerentur, numerus Alumnorum Nittriensium in Collegio imminutus est, donec anno 1731 Alumni post quadraginta octo annorum incolatum e Collegio Pazmanniano ad Generale Cleri Hungariae Collegium translati fuissent.

Incrementum praeterea originaria Fundatio Pazmanni accepit e legato beneficentissimi semper erga Collegium Georgii maximi nominis Szelepcsényi Archi-Episcopi Strigoniensis. Praesul hicce vere magnus, cui doctrina et rerum gerendarum peritia parem vix saecula pepererunt, partim ut numerum Alumnorum augeret, partim ut periculis occurreret, quibus hi occassione feriarum ad remotas patriae oras dimissi facile exponuntur, vita jam comite fine exhilarationis Alumnorum, bonum suum in Austria, Orth nuncupatum liberalissime obtulit. De rebus autem suis ultima voluntate disponens, bonum idem Collegio reliquit, et vi testamenti sui anno 1684 conditi ita decrevit: „Postremo hypotheca Orthensis una cum instrumento illo hypothecario Soc. Jesu assignetur pro conjunctione ejusdem cum summa fundationali Collegii Pazmaniani, siquidem ante tres adhuc annos eandem ipsis cesserim.“ — In codicillo dein anno 1685. die 6ª Januarii adjecto voluntatem in testamento expressam mutavit in hunc modum: „2° Bonorum Orthensium mihi hypothecatorum, sicut et frumenti mei ibidem habiti medietatem lego juxta Diploma Suae Majtis pro Confiniis et necessitate Militiae ejusdem Suae Majtis, aliam vero medietatem dispono juxta continentias testamenti pro conjunctione summae fundationalis Collegii Pazmaniani Viennae.“ Dictum Dominium venditum est Cancellario aulico Comiti a Strattmann 110.000 fnis. Ex his 50000 fni. conversi sunt in praetensiones haeredum Hallebalianorum 26500 fni. pro necessitatibus publicis,

residuum 33500 fnorum ex aequo partiebatur Collegium cum sua Majestate Imperatore, ut adeo legatum Georgii Szelepcsényi pro Collegio Pazmaniano 16750 fnos effecerit; quae summa industrialibus P. Regentis 250 fnis universim ad 17000 fnos adaucta, atque apud Generalem Carolum Pálffy erga censum sex a centum investita, Collegio fructus ferebat.

Accesserunt praeterea Fisco Collegii Anno 1690 e pio legato Petri Korompai Regni Hungariae Cancellarii Aulici, condam Alumni Collegii Pazmaniani, subin Nitriensis Episcopi 1500 fni. Erga virum hunc meritissimum, Collegiique Patronum Alumni suam pietatem testaturi, exuviis ejusdem, dum Viennae placidissime obdormivisset die 12ª Maji a. cit. officium defunctorum per omnes diei horas recitantes adstabant, funusque ejusdem splendidum grato pectore comitabantur.

E Capitalibus tandem duobus Collegii, unum juxta literas fundationales Pazmanni fnos. 15411 et 60 den. constituens Collegio cessum, Comes Nicolaus Eszterházy Collegio renumeravit. Summa haec penes familiam Georgii Rákóczy fuerat in censum elocata, ad acquirendum per viduam Georgii Rákóczy, principem Sophiam Báthory, bonum Sz. Miklós, obque tristia familiae hujus adjuncta jam jam pro perdita habebatur, dum magno Collegii Patrono Cardinali Kollonics multis fatigiis successerat circa annum 1689 a haeredibus Georgii Rákóczy, quorum tutor erat, summam illam revocare in jus Collegii. — Similiter Civitas Augustana summam Cistae viridis Pazmanni 45000 fnorum Collegio renumeravit, quae dein apud Status inferioris Austriae elocata fuit.

Verum ab incrementis rerum temporalium convertere jam juvat oculos nostros ad profectum, quem Alumni in pietate, disciplina, studiisque fecerunt. A pietate ordimur; Collegia enim Clericorum, loca pietatis, loca sancta sunt. „In Collegium recepti christianam pietatem et Dei

Pietas Alumnorum.

timorem primum et summum Religionis studium sibi esse propositum in animum inducant: inde enim salutaris et vera initium habet sapientia", sunt verba immortalis memoriae Gregorii Papae XIII[i] in statutis, quae pro Collegio Germanico Romae a se instaurato dederat. Et recte quidem Patres Regentes, quive exercitiis spiritualibus Alumnorum praeerant in Collegio Pazmaniano, momentum veritatis hujus intellexerant; cum enim ipsi vitam totam cum actibus, moliminibus, desideriisque suis ad majorem Dei Gloriam consecraverint: educationem Deo sacratae juventutis quoque curae suae concreditae a Deo deducere, atque ad eum, ceu omnis vitae sanctae initium et finem, reducere debuerunt. Fides viva in Deum, inconcussa religio pectoris firmi, pietas cordis, zelus animi, scientiaque sana — sunt thesauri Sacerdotis studio acquirendi, maxima cum sollicitudine custodiendi, ac in dies ampliandi; qui ni mature cordibus inserantur, difficulter acquiruntur; ni contra influxus vitae quotidianae caute muniantur, facile vilescunt. Pectoribus igitur Alumnorum fidem in Deum fortiter imprimere, quotidianam cum Deo conversationem eis semper desiderabilem reddere, pietatem eorum a strepitu mundi praemunire, illam in convictu familiari prius jam acquisitam conservare et augere, non acquisitam indere, totumque Alumnorum cogitandi, sentiendi et agendi modum ad illum firmitatis gradum elevare, ut nec illecebrae mundi, nec vis passionum, nec nausea voluntatis, claram sanctae vocationis conscientiam turbare, aut succutere valeant: fuerat principale studium, specialisque, multis invisa, ab omnibus tamen, ipsis adeo inimicis agnita ars Patrum S. J. Collegium regentium. Cumque pietas conversione mentis et cordis in mundum, et quae sunt mundi, vilescat, distractusque habitus nauseam rerum sanctarum in animum Sacerdotum inducat: ne pietas e sacratis cordis latibulis in tritas vitae quotidianae semitas male custodita excidat, pereatque, neve futuri Altaris ministri

nausea rerum, functionumque sacrarum unquam corripiantur: modos elevationis mentis in Deum quatuor, a Guigone celebri Carthusianorum praeposito suis in testamento relictos, Patres quoque Regentes Collegii mature, ac omni cum suavitate suos edocuerunt; legere nempe, meditari, orare et contemplari; quaerere docuerunt eos legendo, ut invenirent meditando, pulsare docebant eos orando, ut aperiretur eis contemplando. — Advenientes in Collegium Novitios charitas fratrum suscepit, benevolentia Regentis erexit, sancta conversatio relictas domesticorum oras oblivisci, vigens in Collegio pietas corda eorum sanctificata in Deo requiescere fecit. — Corde et mente ab impressionibus e vita saeculari secum adductis ad normam vitae Clericalis tantillum purgatis, novum habitum, cumque habitu novo, novam vitam inchoare coeperunt; utque annales testantur, Novitii Alumnorum anheli exspectabant semper decursum illorum duorum triumque mensium, quo ad sponsionem admittendi, sacrisque octiduanis exercitiis peractis veste talari induendi, omniumque tum religionis tum disciplinae exercitiorum participes reddendi erant.

Quales autem Alumni aetate, in qua describenda versamur, in operibus pietatis fecerint progressus, e narratione unius, qui historiam domus anno 1681 scripserat, metiri licet, quem e multis consimilibus annorum relationibus afferre sufficiat; scribit jam vir hic pius: „Deo ter Optimo Maximo auspice, post sedatum prorsus malum epidemicum, orsi primo sumus sexto decimo Calendas Decembris felix Athenaei nostri Viennensis exordium, ad quod feliciter inchoandum in templo Academico cum tota Universitate uberem Sancti Spiritus gratiam de more imploravimus, quam tum externis, tum nostris praecipue minime defuisse colligimus, si sive laudabilem in virtutibus profectum, seu indefessos in literis labores et certamina consideremus. Atque ut de primo eoque praecipuo virtutis et pietatis studio paucula delibemus, tale profecto

fuit, quod superiorum annorum industriam si non superavit, saltem justissimo calculo adaequavit. Enimvero ut de publicis exercitiis, quae tam in templo Academico quam in coetu Mariano, et publicis processionibus rara modestia et pietate ad saecularium non exiguam aedificationem facile primi obiere, nihil dicam, domi certe nostrae tantus viguit pietatis et virtutum ardor, ut non tam Clericorum Collegium, quam bene formatum Religiosorum domicilium esse videretur. Matutinas vespertinasque preces tam mentales, quam vocales, sive in Musaeis, sive ad Statuam Beatissimae Virginis, Domus Nostrae singularis Dominae et protectricis in gradibus expositam, ac in pervigiliis et festis ejusdem gloriosissimae Virginis eleganter ornatam, magna qua par est devotione, flexis semper genibus persolverunt universi. Lectionem spiritualem tamquam salutarem animae cibum ante refectionem corporalem binis per diem quadrantibus ad renovandum spiritum per studiorum contentionem nonnihil distractum, sumpserunt, binis, ternisque confessionibus domesticis per mensem non contenti plerique, ut puriores supremae famularentur Majestati, saepius tribunal sacrum accesserunt, adeo quidem, ut nulla paene dies Dominica, nullum proprie festum per totius anni spatium celebratum sit, ubi non videre erat, ad minimum aliquot, post teneram a minimis etiam naevis expiationem animae, Sanctissimum Eucharistiae convivium frequentare. Binis per annum vicibus in sanctis divi parentis Ignatii exercitationibus se exercuerunt, et quidem ultima vice integris octo diebus sex super viginti; ex quibus duodecim Sacerdotio initiati in vineam Domini emissi sunt, ut quae sedulo studio ac industria audierunt, privatim, novo animati fervore praedicarent super tecta, populoque deserto annunciarent; quibus etiam viatici loco, ut apostolicum conservarent spiritum, libellus quidam „Septimana Sacerdotis Apostolici“ nuncupatus a Domo nostra offerebatur. Atque ex his similibusque pietatis exercitiis ardor ad reli-

quas virtutes eorum mentes inflammabat; hinc in Musaeis specialis mundities, quae ipsi magna industria singulis hebdomadis purgarunt; rarum ac singulare, praecipue studiorum, commestionisque tempore silentium ac modestia, ut ipsi externi, si quando nostrum adire domicilium contingeret, vehementer sint admirati. Reverens erga Praepositos superiores observantia, austera sui ipsius mortificatio, quae ut internas taceam, pulchro exemplo in publico triclinio, in pervigiliis praecipue majoribus elucebat; videre enim erat non solum juniores, sed etiam maturos ad Vineam Domini jam evocandos humillime in medio Refectorii flectere, naevos suos deprecari, petere, ut ab aliis dicantur publice, exosculari accumbentium pedes, in terra cibum sumere, quandoque pane et aqua contentos victitare, quinimo disciplinas publicas, majoresque poenitentias a Superiore efflagitare. Atque ex his, similibusque elucet, quales aliquando habitura sit Zelatores Hungaria, qui per tam frequentia pietatis ac mortificationis exercitia se apostolicis muneribus adaptabant."

Haec autem, quae Annalista refert de virtutibus ac pietate inter Alumnos regnantibus, in historia plurimorum annorum repetuntur; ex omnibusque sic narratis apparet, ad tantum, talemque gradum virtutum Clericalium, ad talem sui abnegationem juvenes hungaros, natura sua ad similia asceseos exercitia subeunda difficiliores per continuatas pias meditationes pervenisse, veluti medium tale, sine quo nemo factus fuit unquam magnus, cum eo ad supremum sanctitatis, omnisque scientiae sacrae gradum evectos plurimos in sinu suo numerat Ecclesia. Meditationem autem solertissima cura ascetica Alumnis injunctam fuisse. ex dictis Annalibus intelligimus, qui referunt, tempora meditationibus piis sacranda, aucta fuisse iterato ex illo principio, „quod in vita spirituali non progredi, regredi sit, quodve semper aliquid pietati addendum supersit"; perfectionis enim scala recte meditatio credebatur semper,

maximique Ecclesiae viri sancti, qui ad justitiam erudivere multos, quorumque nomina fulgent, prout stellae in perpetuas aeternitates: e solitudine, loco hoc consortii Dei prodiverunt!

Pietas, quae in cordibus Alumnorum velut in apiario quodam sancto mel amoris divini, odoremque virtutum e virentibus meditationum campis, sub experta manuductione exquisitorum Conscientiae moderatorum deposuerat: non sinebat lucem ardoris divini in animis eorum micantem sub modio contineri, verum ubi occasio se offerebat, mira claritate resplenduit in actibus quoque externis. — Admirabilis enim Alumnorum modestia dexteritasque in assistendo cultui divino adeo celebrabatur, ut testibus fastis Collegii tum ab Archi-Episcopo, tum a Nuncio apostolico, tum aliis praelatis, saepius, dum eos sacris solenniter operari contigerat, Alumni Collegii pro assistentiis requisiti fuerint. Pietas ad omnem amabilem modum composita movit membra sodalitatum diversarum, ut pro suis praesidibus saepius unum ex Collegii Alumnis sacris initiatum eligerent. Eorum in sacro tribunali dexteritas, modestave gravitas allexit personas, natalium, officiorumque splendore insignes, ut conscientias suas moderamini juvenum horum sacerdotum concrederent. — Linguarum peritia, facilitas item ac dexteritas in instruendo, scientia in docendo et proponendo dogmata Religionis, moverunt personas plurimas a fide catholica alienas, ad eam tamen converti volentes, ut ad Collegium fine instructionis in fide vera capiendae convolarent; imo tales saepe ab ipsis negotiorum civilium ac bellicorum praefectis scopo simili illuc deputabantur. Paginae Annalium plurima exempla similiter conversorum testantur, qui saepe magno cum splendore patrinorum ornatissimorum aut baptizabantur, aut talibus, ceu testibus professionis suae gloriabantur. — Nec defuere exempla, ubi homines ob male facta extremo supplicio afficiendi, ultimam illam sibi gratiam efflagitaverant,

ut a pio quodam Collegii Pazmaniani Alumno ad mortem praepararentur, cumque suae ultimae viae comitem haberent. — Juvaret referre bellicosa tempora, dum miles sauciatus septa Collegii replevit; quanta charitate, quanto ardore ad exemplum moderatorum suorum residui in Collegio Alumni infirmos foverint, officiisque pietatis penes eos defuncti fuerint; quantis item precibus, sui castigatione, aliisque poenitentiae actibus occasione grassantis iterato horrendae pestis, Deum pro aversione angeli hujus mortis deprecati fuerint, ac pro viribus suis, ubi potuerunt, talibus succurerint. — Pietatis Alumnorum testes fuere Academicae Sodalitatis Marianae fasti, quos bonis operibus Alumni potissimum Collegii Pazmaniani implevisse dicebantur. — Singulare autem in illis enituit in magnam Hungariae Dominam Mariam studium, tenerrimaque pietas, quorum admirandam devotionem cum contueretur non nemo e spectatissimis urbis viris, palam coram moderatoribus anno 1699 asseveravit: „eos viros esse humiles, modestos, devotionique imprimis erga B. V. M. addictos, sibique prae caeteris charissimos.“ Atque pietas haec et omnigena praestantia movit plures quoque parochiarum Patronos, ut in Parochias Patronatus sui e Collegio expeterent Sacerdotes; fecit hoc inter plures Comes Carolus a Wallenstein, qui ad haereticas Cassoviae oras alium habere noluit, quam Pazmanitam. Hist. dom. p. 139.

Locus, ubi Alumni suam peculiarem, tenerrimamque in Virginem immaculatam pietatem modo eminenti testari soliti fuerunt: erat ejusdem B. M. Virginis Statua in gradibus Collegii locata. Statua haec Ecclesiam principalem S. Michaelis Archangeli in civitate Soproniensi ornabat olim, verum inde furore haereticorum exturbata anno 1673 ceu quinquagesimo ob erecto Collegio, eidem doni instar a quodam ejusdem amico offerebatur. Posteaquam vetusta haec statua Deiparae Virginis, brachio infantem Deum gestantis, rabie haereticorum in dicta civitate Hungariae

Statua B. M. V. in gradibus.

Soproniensi e templo S. Michaelis non modo ejecta, verum insuper naso, manibusque truncata diu in angulo quopiam tecti templi ejusdem inter lignorum congeriem delituisset: inventa dein, renovari debuit, prout etiam eleganter integritati formae restituta, ad novos recostructae domus gradus collocata fuit, ubi publicae venerationi exponi, locusque singularis Alumnorum pietatis evadere coepit. Perennem in memoriam Statua haec substaculo innixa sequenti inscriptione ornabatur:

„Hanc Magnae Matris Iconem ab haeretica impietate Divi Michaelis Sopronii templo ejectam et multilatam, inter lignorum struem reconditam anno

DoMVI. IstI. IVbiLaeo. pIetas. reperIt. et. saCraVIt.

Increscente autem in dies Alumnorum penes Statuam hanc in B. Virginem Mariam devotione: ea maxime in vigiliis festorum immaculatae Matris, superinductis palliolis e pretiosissima materia confectis, et saepe plus quam centum taleros pretio suo exaequantibus, floribus item, lampadibus ac candelis, exquisita ingeniositate amoris Zelotarum Virginis intemeratae, ad omnem elegantiam ornabatur. Aemulabantur autem Magistrorum in Beatam hanc Virginem piissimum studium Alumni ipsi, gradus enim, parietesque gradum sumptibus priorum affabre picti: ex obulis Alumnorum tenerrimo affectu in unum conflatis, ipsa Statua Virginis ornabatur; donec anno 1677 pium legatum centum imperialium a Joanne Aloysio Otthone de Rosenpichl Collegio transcriptum, ad propagandum B. M. Virginis in gradibus cultum perpetuum converteretur. — Incessante jam cultu diurno, nocturnoque asylum hocce pietatis Virginis immaculatae collectos spectabat Regni Mariani filios, in sortem Domini vocatos; annorum enim non interrupto decursu, testibus regestis Collegii, Alumni nulla aëris intemperie absterriti, devotionis pensum, solitae nocturnae quieti praemitti solitum, ad hanc Statuam peragere, ad eandem suis in necessitatibus diu noctuque

velut ad unicam securitatis fiduciaeque post Deum ancoram confugere in deliciis habebant. Plurimos saepe videre licuit tempore noctis, dum medium silentium tenerent omnia, pietatis fervore succensos stratum linquere, divaeque Matris laudes dicere; omnibus autem prima aurora e somno excitatis ad stellam hanc matutinam confugere, de more receptum evasit; nec enim diem feliciter se orsos credebant, ni ad Matrem hanc pulchrae dilectionis, agnitionis, timoris et sanctae spei, studiorumque sacrorum praesidem confugissent. — Dum autem ob charitatem, gratitudinem, Ecclesiaeque ac Patriae bonum anxios tenebat animos Alumnorum status aegre decumbentium Collegarum, Benefactorum, Antistitumque ac Regum: sanitatem pro suis per Virginem flagitabant, per quam datam vitam gentes redemptae una plaudunt. — Non aliter dum ingravata est manus Dei super populum suum, horridave contagio pestis atra mortis nocte texit habitacula viventium: domesticae pietatis statio divae Virgini ad scalas sacrata suos tulit honores, pariter et amores; sub hujus enim Virginis praesidium confugientes filii Pazmanni, diurnis lytaniis jam dulcissimum Nomen Jesu invocando, jam patrocinium Virginis in durissima contagionis necessitate implorando, deprecabantur Deum ad avertendum flagellum iracundiae suae. Nec sunt devoti hi Mariae filii, in fiducia sua confusi, anno enim 1679, quo incirca 100,000 homines in sola urbe Viennensi delevit mors e numero viventium: Collegium ex 84 Alumnis suis nec unum quidem perdidit; nam domus haec aspirante Magnae Matris favonio inter male grassantis luis procellas in communi internecini veneni diluvio velut arca noëtica, sui suorumque secura, omnibus mortis periculis superior, cum elabentis anni fine, finem quoque malorum salva et incolumis spectavit. — Juvat insuper considerare Alumnos Collegii pariter sub tutelam Virginis confugientes durissimis obsidionis temporibus. Annum agebant 1683, dum

post devastatam igne ferroque Hungariam, miles ethnicus acri obsidione cinctam tenebat Metropolim Imperii, Viennam. Potior quidem pars Alumnatus ob adventantem Christiani nominis hostem, ad exemplum plurimorum saecularium, religiosorumque virorum diffugere cogebatur; ii tamen, qui remanserant, inter horrificum tormentorum fragorem, mortiferumque globorum undique circumvolantium impactum, inter timorem mortis, egestatem victus, recessum omnis quietis, inter prorumpentes obsidionis multimodas infirmitates, inter angorem et spem coram Statua Virginis in gradibus prostrati, auxilium Christianorum, Patronam Regni Hungariae ardentissimis precibus exorabant, ferventissimeque in asylo hoc pietatis a tota domo divinae misericordiae implorabatur auxilium; fovebantur infirmi, suscipiebantur in Collegium sauciati, alebantur egentes, ob ingentem penuriam rerum e numero personarum etiam nobilium, ad portas Collegii confugientes. Neque sub tutela hac Virginis pericula obsidionis pluribus quam uno ex Alumnis nocuere, qui in grassante post obsidionem dyssenteriae malo occubuit, unicus tunc, dum e militibus in Collegium transportatis, intra paucorum dierum spatium plus quam ducenti in domo solum Collegii obierunt in simili malo; quos singulari charitate, curaque tum corporali, quam spirituali fotos fuisse e saepe citatis annalibus discimus.

Alumni e Collegio Martyres.

Quantos qualesque pietas Alumnorum cordibus insita produxerit fructus: non tam e vita illorum inter septa Collegii sub vigili oculo transacta, quam potius e vita subsequa apparet, quam operantes in vinea Domini agebant. Consentiens omnium temporis illius Antistitum testimonium est, fidem in aminis hominum sub influxu violentiisque haereticorum nutantem refloruisse potentissime, ubi Alumni Collegii Pazmaniani pro causa Dei in aciem condescendentes fortiter agere incoeperunt. Septingentos et quot excedit fidei athletas ceu totidem viros pietatis

fervorisque divini emisit domus haec in vineam Domini usque finem saeculi decimi septimi, inter quos non defuerunt tales quoque, qui fidem suam effuso pro Christo sanguine in facie universi orbis confirmantes, nomine suo candidatum Martyrum auxerunt exercitum. Georgius Hunkay origine Szakolczensis, agmen horum operit, qui anno 1673 in vineam Domini emissus fuit, moxque in odium fidei occisus, gloriose occubuit. Alter verberibus ob fidem gravissime concussus, tandem in sequelam acceptorum vulnerum mortuus notatur Georgius Volavi origine Nagylehoczensis, qui anno 1676 in vineam Domini emissus est. Tertius Thomas Franciscus Kovalszky e loco Olaszi Comitatus Scepusiensis ortum trahens, qua Parochus Bodafalvensis in Liptovia fuso pro Christo sanguine occubuit ictu lethali conducti per rebelles haereticos siccarii confossus 1679. Anno insequente 1680 ex octo Alumnis Collegii in curam animarum missis Joannes Tranostius Arvensis, qua Parochus Kubinensis zelozissimus, ceu Christi athleta, rabidam heterodoxorum tyrannidem ob tuitam fidei Catholicae veritatem illata sibi per eos gloriosa morte expertus est. — Non minore animi fortitudine gloriosam pro fide subivit luctam Georgius Bársony, olim Alumnus Collegii Pazmaniani [1]), serius Episcopus Agriensis, qui dum e mandato Imperatoris Leopoldi I[i] circa Albos montes cum Joanne fratre suo templa haereticorum occupasset, ab illis hoc crudeliter mactato, ipse ita ad mortem prope concussus est, ut ab ipso Romano Pontifice vivus Martyr proclamatus fuerit. — Hoc eodem tempore memorant An-

---

[1]) In Elencho Sponsionum nomen „Bársony" una solum vice recurrit propria manu scriptum: „Ego Gasparus (Sigismundus) Bársony Jászberényensis Ungarus ex Comitatu Szolnokiensi, Dioecesi Agriensi." Cum jam „Bársony" Episcopus Agriensis apud Schmitt. Episc. Agr. Tom. III. pag. 265 sq. Georgius vocetur, frater autem ejus cum eo occisus in Annalibus Collegii Joannes et Protonotarius compelletur, cumque Casparus Bársony anno 1673. in Elencho Collegii occurrat qua Alumnus, Georgius autem vix aliquot annis tardius qua Eppus Agriensis compareat: exinde quaedam difficultates in nomine oriuntur. Credibile Casparum alium fuisse, nec enim omnia nomina Alumnorum Catalogo inscripta sunt.

nales Collegii Georgium Horváth quoque V. Capituli Quinque-Ecclesiensis Canonicum, anno 1652 Collegii Alumnum e Dioecesi Nittriensi a Rascianis ob fidem interemptum. Sicque crevit Apostolicae hujus Domus laureata felicitas, ibi sacrato Virginis latice, hic Martyrum sanguine irrigata.

Profectus Alumnorum in scientiis.

Omnis educatio Alumnorum in Seminariis duobus principalibus momentis absolvitur, uno profectu in virtutibus, altero in scientiis. Alumni in virtutibus mirifice crescentes, nec in scientiis remansere. Provida Superiorum suorum cura edocti, nec virtutem sine scientia, nec scientiam sine virtute ad arduum officium, angelicis etiam humeris formidandum, curam videlicet animarum sufficere: virtuti comitem adjunxerunt scientiam, quam ut proprio labore sibi compararent, magna industria studiis incubuerunt, et quae privatim in scriptis, librisque didicerunt, recreationis tempore contulerunt, assidue tam speculativis, quam moralibus quaestionibus se exercendo; quibus exercitationibus ita institerant, ut omnibus diebus non impeditis dimidiam horam circulis domesticis impenderent, singulis autem Dominicis ac festis diebus in publico Refectorio coenae tempore in concionibus se perficerent, ubi pariter mensae tempore per decursum anni saepius tam Theologi, quam Philosophi publicis repetitionibus ac disputationibus ferventer sese occuparunt; nec contenti domesticis studiis, in publicam Academiae quoque lucem prodierunt, ubi tam humanae, quam divinae sapientiae disciDuli praeclarum scientiae testimonium de se ipsis prodiderunt. Vix erat disputatio seu menstrua, seu hebdomadaria, in qua non aliqui ex Collegio exercerentur. Nullus praeterlapsus est annus, ubi non aliqui et saepe septeni octonique gradum Magisterii e Philosophia reportassent, aut gradu Bacalariorum e Theologia insigniti fuissent; multi sane supremam in SS. Theologia lauream reportaturi, ni Statutum Universitatis obstitisset,

prohibens puncta seu Quaestiones pro rigoroso ut vocant examine post obtentum Bacalariatum subeundo assignare, gradumque supremum Doctoratus conferre aliis, quam qui duos adminimum a studiis superatis annos in aliquo officio Dioecesano exegissent. — Regula quidem haec ob singularia quorumdam Alumnorum talenta, ortusque splendorem eminentem hinc inde exceptioni locum reliquit, causa attamen sufficiens fuit, ut pauciores Theologiae, quam Philosophiae lauream consequerentur. Quam strenuus autem in certaminibus his literariis apparuerit Alumnorum conatus, inde patet, quod inter multos, numero saepe sexaginta, imo octuaginta, in stadio certaminis currentes, primum victoriae bravium passim unus e Collegio Pazmaniano obtinuerit, reliquis etiam rarissime inter tantos concertantes infra locum decimum remanentibus. Quo autem magis pateat Alumnorum in discendo solertia intercapedine temporis — 1638 1700 — adeoque spatio sexaginta circiter annorum: juvat addere, quantum Archiva Collegii consignata reliquerunt, praeter eos, qui numero maximo Bacalarii creati sunt: non pauciores, quam ducentos decem vigintique e Philosophia, et triginta incirca praepotentibus talentis praeditos Alumnos e Theologia, et ex hac quidem, ut supra observatum est, cum dispensatione arcentis regulae, ad supremam Magisterii, Doctoratusque lauream promotos solenniter fuisse, quibus addere licet illos quinquaginta circiter juvenes quoque, qui ad uberiorem in rebus divinis doctrinam colligendam in Urbem Orbis, Romam, ad Collegium Germanico-Hungaricum S. Apollinari inscriptum ex hocce Collegio Pazmanni, sic jubentibus Antistitibus dimissi sunt.

Tales autem plurimi ex Archi-Dioecesi Strigoniensi mittebantur, quibus ut commeatum Romam faciliorem redderet providus in omnibus quae salutem, incrementumque Ecclesiae Hungaricae spectabant Pazmannus, anno 1627 sequentis tenoris fundationem fecerat:

Fundatio Pazmanni pro Alumnis Romam petentibus.

Nos Petrus Pazmany miseratione Divina Archi-Episcopus Ecclesiae Strigoniensis etc. Cum ob varios, et incessanter sibi succedentes bellorum motus incredibilis sit sacerdotum inopia in Ungaria: Inter alia, quibus huic defectui occurreremus, illud occurrit, si in illo insigni Collegio Romano, quod Germanicae et Ungaricae nationis Clericis Gregorius XIII. Pontifex sub cura Patrum Societatis Jesu erexit, major quam hucusque numerus Ungarorum habeatur. Alia vero ex parte considerantes, quod maxima causa, cur pauciores ibi fuerint hactenus Alumni ex defectu depositi orta fuerit, eo quod calamitosorum temporum difficultates, vel ob defectum occasionum, quibus pecunia tuto transmitti posset, vel ob alias causas aegre admodum pecunia deposita fuerit. Idcirca Nos pro nostro modulo ob amorem Dei et zelum promovendae Religionis huic incommodo aliqua in parte occurrere volentes, accedente consensu Admodum Reverendi Patris Mutii Vitelesci Praepositi Generalis Soc. Jesu deposuimus apud R. P. Rectorem Collegii Germanici Ducatos aureos, vulgo Ungaros nominatos Mille trecentos triginta tres sub sequentibus Conditionibus:

Primo: ut pecunia illa certo et securo loco ad Censum deponatur et ex illa proventus octoginta aureorum annuorum exigatur.

Secundo: Octoginta illi aurei in eum duntaxat usum deserviant, ut quolibet anno duo Sacerdotes vel etiam tres, si ita videatur redire possint honeste in Ungariam.

Tertio: Quia vero non possunt annis singulis duo Sacerdotes mitti, interdiu autem post annorum aliquot decursum plures mittendi erunt: idcirco Depositum illius anni, quo nullus mittetur, reservandum est pro aliis annis, quibus plures mittentur.

Quarto: Quicunque ex hoc deposito viaticum accipient, syngrapha sua se obligare debebunt, quod in Dioecesi Strigoniensi minimum tribus annis servient Deo et Ecclesiae, eo loco et modo, quo Archi-Episcopo Strigoniensi vel ejus vicario Generali, aut Capitulo Strigoniensi visum fuerit; et hanc Syngrapham P. Rector transmittet Archi-Episcopo Strigoniensi, vel Vicario, vel Capitulo.

Quinto: Si tamen esset inopia Ungarorum, qui ad Collegium mitterentur, ut census iste Depositi annis aliquot augerentur, nec submitterentur Juvenes, tunc P. Rector Collegii Ungarici teneatur pecuniam illam insummere etiam in viaticum euntium ad illud Collegium. Ita per aliquem ex Superioribus suis, qui in hisce partibus versantur, curet aliquos conquiri, et illis viaticum suppeditare, ut Romam ire possint.

Sexto: praedictus Census in nullum alium usum possit unquam applicari, sed bona fide in auxilium Regni Ungarici deserviat. Nec ex hoc Censu quidquam detur pro iis, qui per alios patronos Depositum habent, ac ad Dioecesim Strigoniensem redituri non sunt.

His igitur Conditionibus praedictam pecuniam in perpetuum damus, donamusque Collegio Ungarico, ad Laudem Omnipotentis Dei et Honorem Gloriosissimae Virginis Patronae et Advocatae Ungarorum.

Datum Viennae secunda die Junii Anno Domini Millesimo

Sexcentesimo Vigesimo Septimo. Petrus Archi-Eppus Strigon. m. p. Joannes Törös [1]).

---

[1]) Libr. 1. inter acta Collegii. — Libro autem IV. Expositorum Collegii p. 92, de anno 1733 occurrit ratiocinium super 4100 fnis penes Officium salis sub titulo fundationis Szelepesényianae depositis, ex quorum censu Alumni Romam dispositi sumtus itineris percipiebant. De hac fundatione ejusdem libri pag. 200 haec continentur: „Celsissimus Princeps Georgius Szelepcsényi Summam Hypothecariam Pagi Oberlau legaverat pro Alumnis Clericis ex Collegio Pazmaniano Romam ad studia promovendis. Post mortem praefati C. Principis pagum hunc fiscus occupavit et usque ad annum 1701 possedit, quo demum Anno Excellentissimus D. Comes Conradus a Stahrenberg dictum pagum redemit ac ex transactione fisci Collegio Pazmaniano numeravit florenos 4400, qui etiamnum supersunt in Officio Salis ad Censum annuum 6 pro 100 elocati.“ — Ex censu hujus Capitalis singulo Alumno Romam scopo praefixo peregrinanti pro Deposito, item pro peculio et viatico romano computabantur aurei 100, pro vestitu itinerario aurei 30, adeoque pro singulo Alumno aurei 130. Aliqui iam Alumni Romam missi partem expensarum ipsi ferebant, partem vero aliam ex fundatione acceperunt, cum alii quoad omnia ex hac fundatione adjuti fuerint. Magnum autem erat desiderium juvenum Romam eundi, hinc singulis fere annis per Rectorem Collegii Pazmaniani juvenes Philosophica studia jam emensi Cardinalibus Collegii protectoribus proponebantur, ex iisque tanti, quanti in Collegium suscipi poterant, suscipiebantur. Sic suscepti transmittebantur accepta instructione, ut in habitu viatorio Clericali iter suscipiant, per Italiam euntes caveant, ne in pecunia et innocentia sua decipiantur, si fieri potest moderatoris cujusdam in consortio peregrinentur, ut vectoribus sibi designatis si per Oenipontum transirent, utantur, ut in civitatibus ad Collegia P. P. Jesuitarum aut aliorum Religiosorum divertant, a Superioribus locorum horum testimonia de commoratione sua in urbe petant, ut Romam pervenientes directe Collegium adeant sub poena non admissionis si in urbe vel una vice alibi, quam in Collegio noctem transegerint; tandem ut certam pecuniae Summam secum adferant, apud P. Ministrum pro reditu et indigentiis deponendam. — Quantum ad ultimum hoc punctum adtinet, videntur Antistites Hungariae quaestionem Romae circa fundationem Pazmanni movisse, optasse item, ut census ejus in imminuendos sumptus 100 aureorum, quos Alumni pro reditu afferre debuerant, convertantur. Notabilis est hocce respectu epistola quaedam, quam Franciscus Marionus Rector Collegii Romani anno 1709. die 25. Januarii ad P. Gabrielem Hevenesi, Collegii Pazmaniani Rectorem scripserat, in qua inter caetera haec habet: „Addit etiam R. Vtra. quod Clerus Ungariae non vult cedere, sed cupit Patzmanianam fundationem servire in imminutionem sumptuum eorum, qui huc mittuntur. Secus velle se Capitalem pecuniam hinc avocare. Respondeo, eam fundationem jam cedere in imminutionem Sumptuum, si bene consideret, quod in reditu non fiunt soli sumptus viae et itineris, sed vestium etiam et aliarum minutarum rerum, ut librorum et piae alicujus supellectilis. — Caeterum non terret me avocatio Capitalis, quod si esset in promptu nunc, et si per dispositionem Emin. Fundatoris mihi liberum esset, subito transmitterem. Adeo indignanter fero hujusmodi diffidentiam, et quod minus credatur mihi, rem coram videnti, et tanto amore commodis et utilitati D. Alumnorum studenti . . . . . Nec omittam dicere, quod singulis mensibus sepono aliquid ex eleemosynis manualibus, quae a devotis dantur, pro Missis celebrandis, et quae mihi arbitrariae sunt, et ex hujusmodi pecunia do identidem Alumnis Ungaricis Sacerdotibus, ut celebrent juxta mihi notam intentionem. Atque hoc ita clam facio, ut alter alterum lateat, nedum reliquos Alumnos, ita scilicet et indigentiae, si qua est, consulo et existimationi.“ Vid. Inter Corresp. rom. in Arch. Colleg. Caeterum depositos Romae a Pazmanno aureos restitutos fuisse aliquando, nuspiam constat, ipsa etiam Szelepcsényiana fundatio devalvata, et veluti fini destinato non amplius sufficiens circa annum 1803. reliquis Collegii Capitalibus commixta fuisse videtur, nec enim amplius ejus recurrit vestigium.

Disputatio Academica Comitum Emerici Csáky et Pauli Zichy.

Inter ornatos autem scientiarum laurea cernere licet aetate illa iterato juvenes tales quoque, qui de stemmate nati, congenitae nominis nobilitati, parem scientiae laborisque splendorem superaddidere, quosque natalibus non minus, quam talentis ac solertia insignes caesareus ad lauream accedens favor decoravit. Fuere autem hi nobiles Alumni, peculiariter memorandi, Comes Emericus Csáky, titulo Abbatis B. M. V. de Curru ad Varadinum, et Comes Paulus Zichy titulo Praepositi B. M. V. ante Castrum Budense iam intra septa Collegii ab apostolico Rege decorati. De utroque anno 1691. sequentia referuntur: „E glorioso Athletarum, laurea philosophica ornatorum numero primum sibi merito locum vindicabat Illmus et Rssimus Comes Emericus Csáky, qui ut in sumptuoso et raro emblemate, quod Augustissimo Romanorum Imperatori Leopoldo primo consecravit, universam proposuit Philosophiam: ita rara ingenii felicitate, singularique omnium applausu propugnavit. Praeferebat illud e divina Regum historia Davidem parvum corpore, virtute magnum de carneo Philistinorum propugnaculo triumphantem, ut in eo Augusti Filii felicitatem Augustissima Majestas intueretur. — Hunc laureato vestigio subsecutus est Illmus ac Rdissimus Dnus Comes Paulus Zichy, qui pariter haud exigua sui commendatione philosophicas conclusiones propugnandas suscepit. Emblema Serenissimum Maecenatem Archiducem Carolum cum quatuor annexis ingeniosis virtutum symbolis eleganter in effigie nigro labore facta repraesentabat . . . . Nec amborum Illustrissimorum laureatis meritis suum defuit praemium; prior siquidem ab Augustissimo, posterior a Serenissimo Archi-Duce per Ablegatum Caesareum, Illmum et Rdssmum Dnum Blasium Jaklin, Hungariae Cancellarium, gemina cruce aurea, copiosis et raris smaragdis et adamantibus divite inter tubas et tympana sunt donati."

Comes laudatus Emericus Csáky quinque annis fuit incola Collegii, omnique virtutum genere enituit. — Admirabilis fuit ejus zelus et dexteritas in convertendis ad sinum Ecclesiae catholicae haereticis, singularisque ac indefessa in perscrutandis Theologiae difficultatibus industria, cum summa ingenii felicitate conjuncta, quae in eo tam rara fuit, ut licet solum in secundum annum theologicis studiis operam navaret, professorum tamen judicio dignissimus judicatus fuerit, cui menstrua disputatio inusitato hactenus more deferretur, quam etiam non sine laude et plausu gloriose peregit. Aedes Collegii anno 1693 linquens, pro continuandis studiis Romam transiit; inde redux per supremos hierarchiae honores tandem qua Archi-Episcopus Colocensis anno 1718 purpura ornatus, primus erat, qui sublimi Cardinalium choro adlectus, maximum Collegio, ubi educatus fuerat, Pazmaniano decus adtulit.

Alumni in Ecclesia S. Stephani publicos sermones dicunt.

Singularem existimationem, qua Alumnos Collegii Pazmaniani ipsi Doctores ac Professores Almae Universitatis prosequebantur, docet illud factum quoque, annis singulis recurrens, quod occasione diversorum festorum tum facultatis Theologicae, tum nationis Hungaricae, in Basilica Protomartyris S. Stephani in concione ornatissima Doctorum, aliorumque natalibus ac gestis muneribus distinctissimorum auditorum, unum aliumve ex Alumnis Collegii designaverint, delata iis publice perorandi honorificentissima provincia, ut jam Patronum omnis disciplinae Sacrae S. Joannem Evangelistam, jam Patronum Nationis Hungaricae, Regem heroicum S. Ladislaum panegyri sacra recolerent; jam in festo nati Salvatoris, salutem generi humano infinita Dei misericordia in Christo partam, jam iterum festo Pentecostes dona illabentis in mentes hominum Spiritus Sancti, condigna eloquentia celebrarent. Nec defuere suis his gloriosis partibus Alumni, eleganti enim dictione, ingeniosisque emble-

matibus, sub nominibus saepe celeberrimis Maecenatum typis etiam excussis, sermonum suorum plausum, laudesque auditorum tubis accinentibus reportarunt.

Animis Alumñorum Amor erga Terrae Principem instillatur.

Quo autem Alumni virtutibus christianis ac sacerdotalibus nitentes, indefessoque labore partis scientiis optimam Ecclesiae ac Patriae spem facientes, virtutibus civilibus quoque mature imbuerentur: genuina veri patriotae requisita, amor adhaesioque ac inconcussa fidelitas in regnantem terrae principem eo profundius animis eorum instillabatur, quo magis a tramite fidae subjectionis, adhaesionisque erga legitimum Regem recesserit aevum, in quo describendo versamur, ferociamque in perturbatis rebellione impia subditorum animis, et cum hac miseriam inexplicabilem, deplorandum hunc comitem abactae violenter omnigenae pacis, finibus Ecclesiae ac patriae superinduxerint malesana hominum incontentorum consilia. — Collegium jam ut suum erga legitime regnantem Augustissimam familiam testaretur amorem, suamque fidelitatem: modo eminenti coeperat semper partes in signis gaudii, quae occasione eventus felicis amatis suis Regentibus ovando Metropolis offerebat. — Eventum talem tulit annus 1685, Collegio jam vel ideo summopere solennis, quod anno hoc ex Alumnis olim suis Georgius Széchényi, principalem Hierarchiae Hungaricae sedem, Archi-Episcopatum Strigoniensem primus adeptus fuerit; insuper quod anno eodem urbs Viennensis festivum Hymenaeum Electoris Bavariae Maximiliani cum Archi-duce Austriae Maria Antonia prima Leopoldi I[i] filia solenniter celebraret. Urbe in honorem festi luce splendida corruscante, fulsit Collegium Pazmanianum quoque ex viginti septem fenestris illuminatis, symbolisque ad ambarum Serenitatum connubium pereleganter appositis, adeo ut in tota Urbe communi hominum sensu magnificentius quid videri non potuerit. Durabant autem luminaria haec triduum, quo etiam ex remotioribus Urbis partibus curiositate

pellectus populus ad Collegii fores confluxit. — Haec dum mense Julio fierent, recruduit scaena eadem splendida mense Octobri quoque, dum exoptatus Porphyrogenitus Archidux Carolus lucem conspexerat primam; Collegium enim itidem per triduum illuminabatur non absque magno hominum, etiam nobiliorum, applausu. Gaudebat urbs, gaudebat maxime Collegium, hocque multiplici titulo, annus enim sic jucundus, salutem patriae etiam attulit, ob prostratos ingenti clade Turcas penes Strigonium, Ujvarinum, Pontes Essekenses, subactam Venetis Moream, purgatamque armis rebellione Superiorem Hungariam.

Modo adhuc solenniori, quam dictum fuerit superius, communi Metropoleos jubilo accessit Collegium, dum anno 1690° Augustissimus Romanorum Imperator Josephus, Augustae Vindelicorum electus, ac corona imperiali redimitus rex solennem in urbem suam ingressum celebravit. Ut jam devotum in incolis suis inconcussa fidelitate erga Regem Collegium cum populo testaretur gaudium: fenestris totius Civitatis luce dimicantium festivarum lampadum resplendentibus: ornavit Collegium quoque fenestras suas, ingeniose non minus quam eleganter, solennitatique actae convenienter. Fenestrae enim secundum totam amplitudinem suam tabulis transparentibus erant ornatae, quarum supremae Insignia Regnorum Apostolicae coronae annexorum exhibebant; in quae haec ex Psalmo 2° verba divisa legebantur: „Dabo tibi Gentes Haereditatem, et Possessionem Terminos Terrae.“ — Fenestrae Tabulati domus medii implebantur imaginibus justa statura, elegantique colorum varietate depictis Romanorum Imperatorum, simul et Hungariae Regum, quos inter medius Augustus, nunc Romanorum, Imperator cernebatur Josephus cum Epigraphe e Cap. 10. Lib. I. Reg. desumpta: „Videtis, quem elegit Dominus.“ — Infimarum stationum medium occupabat Eminentissimus Collegii Fundator, cui utrinque adjunctae sunt effigies nonnullorum Col-

legii quondam Alumnorum, deinde Episcoporum, et Patronorum, quibus repraesentabatur, a quo, prout superiorum, in quorum honorem ignes hi gratulabundi fuerint accensi. Successus autem operis is fuit, ut omnes uno ore fassi fuerint, se nullam elegantius, quam Collegium fuerit, domum in urbe vidisse illuminatam per triduum actae solennitatis.

Expositis sic, quae de profectu Alumnorum in virtutibus ac scientiis dicere oportebat favorabilia, dissimulandum non est, in agro hoc dominico inter triticum purum subin deprehensa fuisse zizania quoque, omnique studio in id elaboratum fuisse, ut hi quoque Alumni minus perfecti statui sacerdotali aptarentur; quoniam autem hoc non semper successerat: obstinati e contubernio perfectiorum, ne reliquos malo suo corrumperent exemplo, mature amoti fuere.

Annus jubilaeus Collegii.

Missis tamen his, ad calcem hujus epochae commemorare juvat quosdam adhuc festivos dies, quos Collegium dulci cum jubilo recolebat. Inter hos primo loco ponendus est annus jubilaeus, seu quinquagesimus ab erecto Collegio, qui anno 1673 ritu solenni recolebatur. E fabrica Collegii de fundamentis neo educta procedebant Alumni, festo principibus Apostolorum sacro ad Ecclesiam academicam, ubi de more sacris festivis interesse sveverunt, piasque Deo grates ibidem offerebant, sacram ad aram hostiam litante Thoma Pálffy Nittriensium Antistite, una Cancellario Regni Hungariae; qui etiam, postquam solennes Deo gratiae actae fuissent, benignitate eadem, qua antecessores sui Regni Hungariae Cancellarii in Collegium ferebantur, Collegium sua praesentia condecoravit, frugalique prandio cum aliis gratiosissimis hospitibus exceptus fuit. Praesentibus coram spectatissimis his hospitibus unus e numero Theologorum elegantem ex occasione festi sermonem e suggestu dixerat, ubi justus fundatori tributus fuit honos, lausque immortalis ob erectum animo magno Col-

legium Cleri hungarici, quod decursu quinque lustrorum quadringentos et ultra dederat sacerdotes Hungariae, haeresum labe magis quam dici possit infectae tales, quorum ultra quinquaginta partim Episcopali, partim Praelatorum minorum infula conspicui exstiterunt, dum reliqui ea energia dicebant ad populum, eo fervore rudes bonis fidei dogmatibus imbuerunt, tali dexteritate in sacro tribunali poenitentium animas tractaverunt, ut insignes fructus laborum suorum retulerint, in ediscenda apostolicae vitae schola se versatos probaverint, ac eloquentia sacra ipsis adeo veteranis exemplo fuerint.

Secunditiae Georgii Széchényi, Electio Petri Korompai in Ep. Vaciensem.

Alia, quae in Collegio solenniter agebatur dies, erat festum S. Georgii Martyris, qua anno 1681 Georgius Széchényi Archi-Episcopus Colocensis, et Episcopus Jaurinensis, olim Collegii hujus Alumnus, post quinquaginta annorum labores apostolicos, indefessamque pro ovibus suis curam ac industriam illud rari muneris a Deo ter optimo reportavit, ut inter aulicos concentus coram ipsa sacra Caesarea Regiaque Majestate secundo primitias suas in eodem academico templo Divinae offerret Majestati; cui de Republica optime merito gratulabantur cuncti, sed praecipue Collegium magni quondam sui Patroni Pazmanni, quod eidem, tamquam suo olim Alumno in votivum festivi applausus propriam effigiem aere incisam, parvis symbolis, lemniscisque eleganter elaboratam consecravit. — Geminam gaudii ansam Collegio attulit electio in Episcopum Vaciensem Petri Korompai, Abbatis, Canonici item, et Praepositi Majoris Capituli Strigoniensis, condam per septennium Collegii Alumni, quem dum ob egregia virtutis scientiarumque specimina, pro bono totius Christiani orbis, praecipue vero afflictae patriae indefesso studio edita, regia ornavit Clementia: Alumni in eventu hoc gaudii non minus, quam stimulorum ad sectanda virtutum charismata tulere fomentum.

Convictores Collegii.

Ut vero Convictorum etiam, qui in Collegio aleban-

tur memoriam faciamus, de his connotasse juvat: fundatorem toto pectore in principio alienum fuisse, ut Alumnis Collegii sui etiam Convictores misceantur; verum importunis Magnatum Regni precibus cedere sunt coacti tarduis Regentes Collegii, illi enim filios suos nullibi melius educandos merito crediderunt, quam si in Collegio Pazmaniano Convictorum instar reciperentur; hinc non pauci aetate illa comparent Convictores in Collegio, ex quibus solum eos commemoramus, quos natalium nobilitas prae aliis distinxit; tales fuere: Christophorus Comes a Volkra, Valentinus Comes Drugeth de Homonna, Balthasarus L. B. Eszterházy, Volfgangus L. B. Forgách, Ladislaus Comes Pethő, Comes Niczky, Sigismundus Comes Csáky, Pancratius L. B. Senynyei et alii.

Claudimus epocham effato magni illius Regni Hungariae Primatis, Collegiique Pazmaniani singularis protectoris Leopoldi Cardinalis Kollonics, qui Regenti Collegii, eidem nomine Collegii novi anni felicia auspicia apprecanti in hunc modum respondit anno 1698°:


„Domum hanc velut Columnam Religionis Catholicae in Ungaria aspicio, certeque vix aliquem Catholicum repediendum, si tam praeclaros homines domus haec non submitteret. Ego habebo curam, ut et conservetur, et etiam augeatur."

Claudimus porro facti illius memorabilis relatione, quod dum idem Eminentissimus Archi-Praesul in domo professa Patrum Jesuitarum solenniter sacris operaretur die 23 Julii, praesente Magno Moschorum Duce [1]), tum Viennae moras agente, octodecim e Collegio Pazmaniano Alumnos ministros sibi assistentes submitti expetierit, quorum modestia et in sacris peritia ipse Magnus Dux multum aedificabatur. Quae omnia documento sunt, Alu-

---

1) Petro Alexievics. Cf. Tschischka Gesch. der Stadt Wien 1847. Stuttgart. p. 355.

mnatum in spem Ecclesiae Hungaricae a Pazmanno Viennae fundatum non modo non defecisse, imo ampliores in dies progressus fecisse, scientia, virtute, modestia plurimis aedificationi fuisse.



FATA COLLEGII ULTERIORA

SUB MODERAMINE PATRUM SOCIETATIS JESU

AB ANNO 1700 USQUE AD ANNUM 1761.

Quae sub moderamine Patrum Societatis Jesu in Collegio Pazmaniano fundatore adhuc vivo, salubriter coepta, eo autem fatis functo, impigro labore continuata sunt: non minus prospero successu completa fuisse, e documentis in Annalibus Collegii conservatis discimus. Hucusque coordinationem Collegii a fundatore stabilitam in complexu exhibuerunt Decades delineatae: sequentem attamen narrationem consultius videtur ita adornare, ut celebriores annorum semet insequentium eventus exponantur, unde series mutationum, modificationum, profectus item ac occurrentes hinc inde defectus quoque in re scientifica, disciplinari, omni item vita Alumnorum, nec non rei domesticae administratione appareant.

Supremam Hierarchiae Hungaricae sedem temporibus his Archiepiscopi Strigoniensis tenuere sequentes: Leopoldus S. R. E. Cardinalis Kollonics, Christianus Augustus e ducibus Saxoniae S. R. E. Cardinalis; Emericus II e Comitibus Eszterházy de Galántha, Nicolaus V e Comitibus Csáky de Keresztszeg; qui omnes Collegium magni Pazmanni studio singulari protegebant. Leopoldus quidem Cardinalis Kollonics, qui maximus Collegii benefactor merito vocandus est, quoad vixit affectus sui in Col-

legium testimonia uberrima dederat; eo vigilantia pastorali Collegium quoque protegente, profectus Alumnorum in dies enituit. Constat enim Alumnos minime contentos fuisse domesticis exercitationibus zeli sui in omne quod sanctum erat incensi, signa dedisse, verum sub ipsis adeo autumnalibus feriis, dum fine refocillandi animos suos ad lares paternos dimittebantur, ferventes vineae dominicae operarios se mature exhibuerunt. Sacro etenim accensi fervore ii, qui domum dimittebantur, his solum feriis amplius quam centum sexaginta vicibus ad concionem locuti sunt, diebus dominicis festisque tempus post meridiem instruendis parvulis ac rudibus consecrantes. Cum porro plures eorum sacris jam initiati fuerint ordinibus: hi parochis frequenter cooperabantur, materias in religione controversas scite contra heterodoxos privatis etiam sermonibus propugnando, pluresque a tramite virtutis devios tum verbo, tum exemplo ad salutarem poenitentiam, vitaeque emendationem perducendo. — Inter septa autem Collegii instructioni Catechumenorum Turcarum, aliorumque hominum e haeresi ad sinum Ecclesiae Catholicae redeuntium tanta dexteritate, tantoque cum fervore insudabant, ut domus porro quoque domus „Conversionis" per eminentiam dici potuerit. Instruebant insuper dispersos per Urbem Hungaros, Slavosque, proprium labii sui sacerdotem non habentes, qui dum in Sodalitates diversas confluxerant, directorem sodalitatis suae e Sacerdotibus Collegii Pazmaniani deligere in deliciis habebant.

Annus 1700. Zelus Alumnorum in conversionibus, et in feriis.

1704—5. Alumni ob metum obsidionis dilabuntur.

Pulcherrimos Alumnorum in literis ac moribus omnique vita Clericali profectus repentinus anno 1704. exortus bellorum strepitus turbavit; quamvis enim annum scholasticum sereno vultu laeti salutaverint confluentes ad Collegium sexaginta quinque Alumni: mox tamen laetitiam pavor, Musarumque locum atrox Bellonae tumultus occupaverat. Iis quippe hominibus, qui legitimo rege suo in Hungaria non contenti, alium principem rebelles quaere-

bant, in unum conspirantibus, fomentum audaciae suppeditavere Bavari Gallis juncti, hostili manu bellum Imperatori, obsidionem Metropoli minitantes. Luctuosa obsidionis tempora tanto cum Alumnatu in Urbe agere nec consultum, nec facile fore ratus Collegii Rector Joannes Kecskeméty: pro consilio ad magnum Collegii Protectorem Leopoldum Kollonics confugit; unde dum responsum tulisset. Alumnos obsidionis tempora praevertere cupientes absque mora ad lares paternos dimittendos esse: mox plurimi eorum sub ipsa hyeme variis viis in patriam remearunt, octodecim solum Alumnis in Collegio inter spem et metum remanentibus, qui tamen non minori diligentia studiis, quam pietatis exercitiis incubuerunt; praeterquam enim quod bini ex iis gradum Bacalariorum ex Theologia, unus magisterium ex Philosophia consecuti sint: duo victimae etiam charitatis fiebant aegrotis corde magno impensae; unus nimirum ex Alumnis his zelo animarum flagrans, posteaquam captis bello e malecontentorum hungarorum agmine militibus ducentis et septuaginta dogmata catholica modo maxime persuasivo exposuisset, decemque ex iis in sinum Ecclesiae a haeresi reduxisset, in reliquis autem salutarem cordis compunctionem excitasset: morbum e contagione provisorum infirmorum contraxerat lethalem, eumque in alium Coalumnum suum Ladislaum Csemniczky, se diu noctuque charitate singulari foventem transtulit, qui etiam animam Creatori suo post brevem agonem tradidit.

Prostrato bina clade in Bavaria hoste laetior denuo Urbi et Collegio illuxit Phaebus anno 1705; quin tamen gaudium Alumnorum per Castra inimicorum in Hungaria semper adhuc validorum variis ambagibus ad Collegium redeuntium, seque mutuo salutantium fieri potuerit plenum: obstabat numerus haud exiguus commilitonum reverti non valentium, ut adeo quadraginta solum et duo e discedentibus anno superiori redierint. Reducum aliquot, per longiorem in oris turbatis commorationem libertati

nimiae asuetos priscae legum disciplinae reddere suis non carebat difficultatibus; quae difficultates ob mutatum sanctimoniae prioris colorem optimum ingemiscere fecerunt Collegii Moderatores; ast bonos etiam, prout passim in vita fieri solet, tulere fructus, quorum saluberrimus merito dici potest ille, quod Alumni ab anno hoc proprium ac distinctum acceperint directorem Spiritualem.

Collegio Director Spiritualis datur.

Mentio facta est inter narrata jam superius Collegii fata, Directorem Spiritualem ad exordium Collegii in domo non resedisse, verum pro moderandis Alumnorum Conscientiis, exercitiisque Spiritualibus domesticis unum aliumve Patrum e Collegio Societatis statutis temporibus advenisse, consuetis autem concionibus aliis Alumnos in Templo academico vi statutorum stabilitorum intervenire solitos fuisse; quod tamen saepe incommodum, inefficaxque reddebatur tum ideo, quod plures Alumnorum linguae, qua sermones ad concionem publicam habebantur gnari non fuerint, tum, quod sermones tales pro proximo fine suo instructionem Clericorum, peculiarem ob statum suum exhortationem exigentium non habuerint; tum tandem, quod communis ac publica haec devotio frequenter suis non careret molestiis, animosque Alumnorum plus distraheret, quam colligeret. His causis moti Societatis Superiores, distinctum in Collegium deputarunt Patrem, ut hic in Collegio sedem figeret, Alumnisque semper, ubi status conscientiae eorum id exigebat, proximus adesset, sermonibusque statui clericali adaptatis futurae vitae spiritualis radices fortius insereret; diebus festis, dominicisque eos alloqueretur, ad vitam apostolicam strenue obeundam illos erudiret. Primus, qui pro novo hoc munere destinatus, brevi tamen solum tempore eo functus fuit, Andreas erat Horváth, mox Zagrabiam tum Posegam ad obeundum munus Rectoris dispositus, quem Ernestus Köfler, vir totus Deo junctus in munere Directoris Spiritualis exceperat, sub cujus influxu, eliminatis quibusdam

zizaniis, reliqui in spem optimam Ecclesiae succreverunt.

Sponsionem Alumni advenientes novem, anno hoc in ornatissima praesentia Cardinalis Kollonics, Principis item ab Eggenberg, aliorumque, mense primum Majo elicuerunt, qui etiam viri ornatissimi frugali prandio in Refectorio Collegii excepti sunt. Erant autem anni hi Collegio, ob denegatum propter expensas bellicas e parte Statuum inferioris Austriae censum nimium graves, et nisi Protector ille maximus Cardinalis Kollonics Collegio aere succurrisset quatuor mille florenorum, Collegium dissolvi opportuisset.

Sopitis tantillum per Hungariam belli tumultibus, copiosus, plenoque numero reversus est Collegii Alumnatus ad initium Anni 1706; cui se numero haud pauci associavere missi ad Collegium Novitii; quia tamen proventus Collegii nulla spe augmenti lactabant Regentem, hinc ille dolens plures remittere coactus fuerat, et solum quadraginta per decursum anni alebantur. — Omnes quidem hi mortificando corpus suum poenitentiae operibus, vivificare adnitebantur spiritum pietate in Deum infucata, studiisque diligenter tractatis; duos attamen cumprimis commemorare juvat, Comitem quippe Emericum Eszterházy unum, Logicas assertiones anno hoc in publica Academia egregie defendentem, cujus juvenis, vix annos sedecim nati, in medio Doctorum sedentis insignem modestiam, scientiamque in disputando omnes laudarunt; alterum autem Stephanum Nozdroviczky Dioec. Nittriensis Theologiae in Annum IV^um^ studentem. Hic obtenta post susceptum Presbyteratus ordinem jurisdictione spirituali, toto anno indefessus fuerat in exaudiendis Confessionibus Hungarorum, Bohemorum, Slavorumque; aegros, captivos, et in Nosocomiis degentes assidue visitabat, eis consolationem in lingua eorum afferebat, animos horum miserorum dejectos erigebat, plures in sinum Matris Ecclesiae

1701. Comes Emericus Eszterházy, et Stephanus Nozdroviczky eminent.

reducebat, collectis undique stipendiis juvabat, pro agone praeparabat, omniaque zelosissimi pastoris munia ad publicam admirationem peragebat. Quae dum in se magnum viri animum exhibent: illustriora adhuc fiunt, si addatur, eum scientiis etiam sacris tanta diligentia incubuisse, ut theses ex universa Theologia ad publicum applausum defenderit, easque Episcopo suo nuper electo, Comiti Ladislao Adamo Erdődy inscripserit. Laborum et gloriae suae testes habuit viros maximae eruditionis ac dignitatis. Oppugnantibus enim eum Patre Emerico Eszterházy Praeposito generali Ordinis S. Pauli primi Eremitae, serius Primate Regni, et Georgio Riss Capituli Zagrabiensis Canonico, Collegii Croatici Rectore: intererant actui splendido adhuc Episcopus Nittriensis supra fatus Comes Erdődy, Georgius Erdődy Curiae Judex, Georgius Ghyllányi Episcopus Noviensis, et Canonicus Strigoniensis, Samuel Kálnoky Comes, Cancellarius Transsylvaniae, copiosa item Nobilitas Hungarica, quae ut erga Regem suam fidelitatem testaretur, in obsequiis Suae Majestatis tunc Viennae commorabatur. Facilitatem, scientiamque in disputando viri hujus omnes admirati sunt.

1707. Mors Cardinalis Leopoldi Kollonics.

Anno qui sequebatur 1707° ob durantem proventuum Collegii diminutionem itidem non plures quam quadraginta et unus Alumni ali potuerunt, qui tamen praedecessorum suorum vestigia fideliter presserant, plausumque ac gloriam plures eorum in disputationibus publicis retulerant. Annus hic caeterum binos rapuit viros, de Collegio meritissimos, quorum unus Cardinalis, Princeps et Archi-Episcopus Strigoniensis Comes Leopoldus Kollonics fuit. Orphanorum Pater cum merito vocari possit, amantissimus erat una ille Collegii Pazmaniani quoque Parens, ac singularis Protector, maximusque Benefactor. Non solum enim quod perditam jam jam 15000 fnorum summam una cum censibus apud familiam Rákóczianam exhaerentem Collegio revindicaverit, hortum suburbanum

nomine suo emendo, Collegio cesserit; ad excipienda Alumnorum juramenta quotannis fere comparuerit; illis saepe pretiosa dona incitamenti instar pro lusu apposuerit: promptissimus etiam semper fuerat Alumnis ordines sacros conferre, eosque in patriam reduces liberali viatico donare, privilegiisque variis ornare. Horum, aliorumque benevolentiae documentorum, quae fusam narrationem exigerent, memoriam grato foventes pectore Alumni: piissimi Praesulis vigesima Januarii circa auroram fatis functi exuviis advoluti, seni per singulas horas officium Defunctorum, aliasque preces in refrigerium animae ejus recitando Deo offerebant eousque, donec illae in crypta Ecclesiae S. Annae, inde Posonium transferendae, reconderentur.

Alter, quem Collegium e dispositione Superiorum aliorsum discedentem lugebat virum, erat Joannes Bapt. Kecskeméty, qui ternis vicibus regimini Collegii admotus, tredecim annos, vicibus variis in regimine hoc transegit, providaque sua ac sapientissima administratione plurima Collegio adtulit emolumenta. Illius enim zelo adscribendum venit, quod Hungaris, Slavisque per Metropolim dispersis, obque defectum Sacerdotis linguae eorum gnari solatio spirituali destitutis de Confessario, e numero Alumnorum Collegii delecto, provisum fuerit; illius sagacitati, et paternae in suos providentiae tribuendum est, quod pro maxima Alumnorum commoditate et utilitate Pater Spiritualis in Collegium inductus fuerit; ejus sollicitudo affectusque in Hungaros effecerat, ut fere singulis annis Alumni ad continuanda Studia Romam ex hac domo dimitterentur, quo sic fundatio Hungarorum romana in vigore servetur. Quibus meritis si addantur ea, quae in re oeconomica Collegii salubriter susceperat molimina, apparet, quod merito luxerit tanti viri abitum Collegium illud, cui charitate, providave prudentia diu praefuit. Successorem eodem anno nactus est Patrem Gabrielem

Abitus Regentis Joann. Bapt. Kecskeméty.

Hevenesi, quem nominare, laudare est. Hic vir de Historia Regni Hungariae meritissimus illo tempore capessiverat gubernacula Collegii Pazmaniani, dum Socii ejus furore malecontentorum per Hungariam seditiosorum hominum sedibus suis pulsi, Neosolium, Schemniczium, Leuchoviam, Eperjesinum, Patakinum, Unguarinum, Szatmarinum, Agriam, Gyöngyösinum, Thurocium, linquere cogebantur; quos, potissimum natos Hungariae filios in fugam actos, Regens quantum fieri licuit, ad tempus inter septa Collegii recepit, et charitate fovit.

Sigismundus Sauter parochus libros suos Collegio donat.

Anno eodem 1707 Sigismundus Sauter, Magister in philosophia doctissimus, et Ecclesiae Fischamend in Austria inferiori parochus zelosissimus, copiosos, selectosque suos libros dudum Collegio Pazmaniano destinatos, hujus Bibliothecae munifica liberalitate intulit. Fuit vir hic tyrolensis peculiaris fautor amicusque Collegii; jam enim prius, quam benevolum hunc suum animum testatus fuisset, libros suos Collegio donando: Alumnos pazmanitas ad parochias destinatos fundationis etiam suae, ad promovendum Studium Catecheticum anno 1696 factae, in parte tertia participes reddidit. Neque contemnenda cuiquam haec fundatio videatur; ex illa enim, posteaquam aliis quoque consimilibus legatis piis adaucta fuisset, tempore Josephi II Imperatoris 4000 floreni sejungi, usibusque Dioecesium Hungariae destinationi conformiter tradi potuerunt, prout etiam traditi sunt; parte reliqua penes fundum scholarum elementarium Austriae inferioris remanente. Memoria igitur viri hujus zelosi, docti ac munifici in benedictione maneat [1])!

1708. Comes Emericus Eszterházy

Anno 1708° quoad proventus Collegii prioribus nihilo beatiore, semper adhuc pauciores Alumni suscipi et ali poterant, quam Praesules Hungariae sacerdotum gravi

---

[1]) Ampliora de hac materia continent pagellae: Wiener Diöcesanblatt 1864. Nr. 35. 36.

inopia pressi optaverant, ipsique Patres Regentes desiderabant. Singulare collectorum quadraginta Alumnorum hoc anno enituit studium asceticum adeo, ut limites excesserit, restringique debuerit. — Comes Emericus Eszterházy, Praepositus B. M. V. de Rátót ante discessum suum in Urbem Orbis Romam ultimum in Collegio agens annum, studio hoc ascetico exemplo aliis, aetate licet nimis juvenis, praeluxit; solenne enim ei fuerat omnibus B. M. Virginis pervigiliis spontanea spiritus exercitatione corpus suum domare, frustilla panis, paucosque fructus cum potione aquae humi sedendo instar refectionis sumere. —

et Andreas Roskováni magni ascetae.

Admirandum omnino castigationis sui exemplar exhibuit Alumnorum alter, Ordinibus jam initiatus, Andreas Roskováni, qui non contentus vulgaribus Alumnorum poenitentiae disciplinis, noctis sub silentio coram tabernaculo Altaris in Sacello inter crebros divini amoris actus in genua provolvi, seque verberibus copiosis castigare solebat; quo in exercitio nocte una omnem adeo modum excessit, ut amplius quam ter mille ictibus sibi inflictis, strepitu suo Patrem Spiritualem vicini cubiculi incolam excitaverit, a quo etiam violentae huic sui castigationi modum ponere jussus est. Ne vero tantus Presbyteri juvenis, tamque immoderatus ardor, ab ipsis Superioribus reprobatus, grave judicium inferat Patribus, sub quorum moderamine constituebatur, quosque omnis aetas in factis dictisque suis sugillare assolet: adnotasse juvat, eundem Andream Roskováni sub spontenea hac, etsi immoderata disciplina, posteaquam ardens ejus zelus aliam, ampliorem que obtinuisset directionem, in virum excrevisse talem, cujus pedes speciosi vocantur ob Evangelium pacis fideliter annuntiatum. Posteaquam enim ob multa, nec vulgaria virtutis indicia, consilii maturitatem, agendi singularem dexteritatem jam ab Ordinario loci jurisdictione spirituali donatus, assiduam in instruendis Hungaris, Slavisque per urbem navasset operam: zelo ampliori succensus,

facultatem ab Ordinario suo Strigoniensi petiit obtinuitque transeundi ad oras Quinqueecclesienses, foedis haeresum et Arianae superstitionis erroribus contaminatas, quo sic in ingenti ibidem penuria Sacerdotum auxilium gementibus sub jugo haeresis et peccatorum afferret. Socio Martino Seres, coalumno suo usus, per infesta praedonibus itinera eo penetrans, labori manum admovit, pluresque mox sinui Matris Ecclesiae restituit.

1709. Motus in Collegio. Pragmatica Collegii.

Fusis forti manu Comitis Siberti ab Heister caesarei in Hungaria exercitus Archistrategi tumultuantium ad Trenchinium cohortibus, captave Nittria cum Ujvárino, civitatibusque montanis, pax et securitas in tantum rediit, ut membra Societatis Jesu temporaneum asylum in Collegio Pazmaniano nacta ad Residentias suas redire, Alumni autem ad cursum scholasticum Anni 1709 tutiori via in Collegium ascendere potuerint. Erant hi anno hoc quoque numero quadraginta, adeoque numero pro adjunctis pleno, verum spiritu ab antecessoribus suis multum alieno. Taedet fere historiam anni hujus texere, motusque in Collegio adusque nunquam visos referre; verum cum veritas et integritas narrationis urgeat, factumque mox referendum antiquum adagium comprobet, quo parva scintilla saepe magnum excitare solet incendium: nec ea, quae laudes adusque sparsim, merito tamen in Pazmanitas fusas obfuscare valent, reticere volumus.

Auctis rerum pretiis ob tempora bellicosa adeo, ut 200 floreni Rhenenses pro singulo Alumnorum vix in annuam provisionem amplius sufficerent, censibus autem non praestitis tum a Summa capitali fundationis Nittriensis, apud Monasterium Pernekense Ordinis Praemonstratensium, tum a Capitali Augustae Vindelicorum, item penes plures Dominos Hungaros investito, nec domo Montis aurei ullum censum ferente: anxiatus Regens pressum Collegii statum Cardinali de Saxonia Archi-Episcopo, et Protectori Collegii fideliter retulit, qui etiam datis ad

Regentem literis, portionem vini Alumnis dari solitam, diversasve collationes magis abusu quam usu invectas partim imminuit, partim sufferri praecepit. Cui mandato Regens morem dum gerere caepit, Alumni, Adami cujusdam Kollonicz theologi, antequam in Collegium susciperetur, aliorum misericordia victitantis, instigationibus concitati, primum querulari, dein consilia cudere, ultimo in apertas minacesque praetensiones erumpere non sunt veriti. Tumultuantes Regens Collegii cum componere non valeret, incentorem e Collegio exesse jussit. Reliqui hoc exemplo ad tempus conquieverunt. Quia tamen Alumni quidam Ordinibus initiati in patriam pro suscipienda cura animarum reduces clamoribus suis Praesules in Comitiis Posonii agentes in sensu tumultuantium repleverunt, discontentique in Collegio Alumni fautores in Patronis suis invenerunt: spe audaciores facti, collectivo nomine literas ad Cardinalem incriminationibus plenas direxerunt. Cardinalis ad inquirendam rei veritatem Ladislaum Piber Capituli Strigoniensis Vicarium cum Georgio Kerchenics Canonico Posoniensi Viennam delegat. Illustres viri hi a Regente ad Rectorem Collegii Academici, ceu domus Pazmanianae primum Superiorem inviabantur, qui juri suo inspectionis insistens, solus Collegium Pazmanianum adiit, negotiumque longe aliena in luce, quam ab Alumnis praetendebatur, contuens, de facta inquisitione sua Cardinali retulit; qui etiam rei pertaesus, fautorem turbarum Alumnum Mathiam Valovich ad se mitti jussit. Alumnis autem in literis gravissimi tenoris districtim praecepit ac mandavit, ut quocumque glorientur Patrono, semet juxta mentem Fundatoris studiis impendant, et disciplinae domesticae accommodent per omnia: defectus tamen nefors occurrentes primum Regenti Collegii, tum Rectori Academico, aut his non opitulantibus tandem ad se velut Protectorem referant. Literis his die 14[a] Julii Posonio expeditis, ac dein in Collegio publicatis, Alumni commoti, Patronorumque suorum prote-

ctione tuti, non paruerunt: verum terni clam e Collegio Posonium aufugientes, machinationibus per patronos suos, ut videtur, societati minus addictos effecerunt, ut Cardinalis retractis constitutionibus suis prioribus novam in favorem eorum ederet constitutionem, quamquam eam Patres Collegii Superiores omnibus antiquis statutis et consuetudinibus adversari Cardinali nunciassent. Hic itaque solus Viennam veniens, Collegium inspexit, cognitaque tumultuantium Alumnorum iniquitate, novum ordinem victus ac vestitus, antiquis consuetudinibus innixum confici jussit, eumque nomine „Pragmaticae Collegii Pazmaniani“ appellari, ab omnibusque sub poena gravi ad amussim observari praecepit. Credi jam posset, turbas tanta auctoritate suppressas, conquievisse. Non quieverunt tamen. Patroni enim Alumnorum primipilorum poenis diversis castigatorum, Cardinali porro molesti esse non destiterunt: ast gravi responso remoti, tandem et ipsi conquieverunt. — Tantarum turbarum decursum si penitius consideremus, apparet, querelam Alumnorum ob minutam illam portionem vini, sibi justissima ex causa denegatam, ansam fuisse in manibus potentium Patronorum ad ostendendum affectum erga Societatem Jesu illum, qui his minime favens, in dies magis pullulare coepit; apparet, quantae perturbationes in convictu mutuo juvenum secus ad pietatem vocatorum exoriri possint, si diversi respectus Patronorum influxum in illum praetendant, molianturque. Motuum autem horum sequelae erant, quod Theologi, qui soli fere illas ciebant et continuabant, omnem poene litterarii profectus curam abjecisse visi fuerint, operaque tum pietatis, tum studia litterarum, quibus praedecessores semper eminebant, soli Philosophi, qui partem in motibus his non coeperant, sustentaverint.

Ast vero a moesta hac narratione ad laetiora transire jucundum est. Sopitis enim in Collegio motibus, annus 1710 pacatior illuxit; ipse motuum facile primipilus,

Georgius Lenti, errorem humili poenitentia emendavit, totusque quamprimum ad saniora rediit, immutatus, non solum exemplari ad omnem disciplinam accommodata vita commendabilem se reddere studuit, verum insigni quoque charitatis fraternae officio, coalumno olim suo Samueli Miskolczy, in obsequio peste correptorum infirmorum sociam junxit operam, ac qua zelosus socius victima charitatis cecidit Sabariae; cura enim indefessa lethali ejus strato adstitit, donec heroe digna ejus anima ad capessendum beatae aeternitatis bravium evolaret.

Michael Cserneczky Martyr.

Laeto ob Martyrii gloriam nuncio temperabant dolorem Moderatorum aeque ac Alumnorum literae Georgii Mártonffy surrogati Vicarii Strigoniensis, 25 Martii exaratae, Regenti significantes, Michaelem Csernuczky, vix e Collegio Pazmaniano ad curam animarum emissum, in odium fidei occisum esse. A fato Vicario hic Parochus Szalatnensis in Comitatu Zoliensi constitutus, vix ac illuc pervenerat, vehementi ob zelum ejus odio accensi Haeretici minis eum terrere gravissimis coeperunt. Minime tamen his frenum sibi injici passus est vir heroici animi; imo, dum aditum ad portionem vineae dominicae multum desolatae sibi creditam praecludere violenter pararet haeretica rabies, insuperhabitis omnibus terriculamentis, intrepidus oves suas jam jam perditas conquirere ac augere pergit. Ruinam doctrinae suae, argumentorum vi destitutae, merito praetimens loci Praedicator a praesentia Sacerdotis catholici docti ac sancti, ipso adeo vitae pretio eum removere animo decrevit; sicque factum est, ut dum Michael Csernuczky intrepida ad Parochiam suam graderetur via die 26ª Februarii, e nefandis occultisque insidiis per fratrem Praedicatoris fati plumbea glande lethaliter vulneratus media in publica via corrueret, die mox sequenti Neosolii gloriosam morte sua consecutus Martyrii palmam.

Non terruit mors tam matura, tamve violenta socios

in Collegio relictos, imo quiqui studiis ac aetate valebant, Paschate vix transacto, turmatim in curam animarum se mitti ardenter orabant. Nec defuit messis copiosissima; depulsis enim per fortes, ut dictum erat Campi-Mareschalchi Siberti ab Heister exercitus e superiore Hungaria curionibus protestanticis, plasmatibus his factionum Rakoczianorum copiosissimis, jugo suo duro liberatae parochiae avide curatores animarum catholicos exspectarunt. Ad oras has, vehementius quam ut dici possit depopulatas, pervenientes Collegii Alumni, quod numero suo efficere non valebant, zelo admirabili suppleverunt.

L. B. Sig. Berényi et Joann. Sas Olomucensis.

Annis subsequis numerus Alumnorum augeri coepit, cum proventus etiam Collegii augerentur. Insigni in literis ac moribus exemplo inter eos praefulsit Sigismundus L. B. Berényi, qui Anno 1712 festivum in Ecclesia S. Stephani sermonem ad ornatissimam dixerat concionem, quem typis de more impressum Imperatori Carolo VI° hac cum inscriptione obtulerat: „Hoc mundi utriusque Monarcha Pannoniae populis superi favistis abunde." — Aluit Collegium tempore hoc unum Dioecesis Olomucensis quoque Clericum Joannem Sas, morum honestate literarumque studio insignem, qui post transactum in Collegio annum dimidium in patriam, Dioecesimque suam rediit.

Alumni ob contagionem Tyrnaviam transferuntur. Venatio in horto Prater prohibetur.

Annus 1713 Collegio ideo fatalis notari debet, quod ob grassantem pestis luem Alumni, seni supra quadraginta, Tyrnaviam veluti locum saniorem transponi debuerint, ibidem sumptibus Collegii Pazmaniani alendi; et solum octo in Collegio remanserint, qui adhibita tantum maxima cura a contagione servari potuerunt [1]. In oeconomicis ampliores domus reparationes praesuscipere donum juvit Episcopi Nittriensis Adami Ladislai Erdődy. Sublatum ex alia parte est privilegium, Collegio per longam anno-

[1] Rapuit Viennae contagio intra annum fere 9000 homines. Tsitschka, 365.

rum seriem ab Augustissimis Imperatoribus tributum, vi cujus Alumnis permissum erat fine exhilarationis ac commotionis lepores in prato caesareo, baculis persequendo venari. Accidit nempe, quod in aestu persecutionis leporum, quidam ex Alumnis infirmarentur, alii autem aliquot lepores, incaute venando, mactaverint, ob quod sub comminatione amittendae gratiae a venatione tali prohibiti sunt.

Commemorare juvat duas Eminentissimi Cardinalis Christiani Augusti ad Regentem Collegii hoc tempore dimissas litteras, quarum una die 7ª Martii 1712. statuit 1° ut Alumni in Casuistica et Jure, maxime vero in controversiis ob multiplices in Hungaria Haereses, instruantur; 2° ut tales Candidati suscipiantur, qui brevissimo tempore sacerdotes fieri possint, Ditiorum autem filii propriis sumptibus alantur; 3° qui finita Philosophia per biennium Casista fuit, et spem facit Dioecesi bene serviendi, Archi-Episcopo insinuetur; 4° et si aliquando lautius vesci permissum sit, vitetur ebriositas, et vini illatio; 5° venatio in C. R. Horto „Prater" dicto raro permittatur. Tenor litterarum aliarum eodem anno 9° Novembris exaratarum Alumnos e parte Dioecesis Jaurinensis in Collegio viventes respicit, qui suis, ut jam alias dictum, Patronis nimium confisi, ab iisque ultramodum protecti, variis praetensionibus Regentes Collegii molestare non destiterunt. Literae Card. a Saxonia ad Regentes.

Litteris his, prout aliis adhuc 1715, 26 Januarii exaratis Cardinalis continuo pullulantes inter Alumnos seditiosae inclinationis pruritus supprimere studuit; ultimis enim litteris graviter invehitur in Alumnos tales, qui in victu et vestitu palatum nimis delicatum praeseferunt; nec enim convenire ait, ut clerici cibis adeo intenti sint, „praesertim cum complures ex ipsis in saeculo et apud Parentes suos longe deteriori victu et amictu contenti esse debuerint, imo extrema eorum paupertas vix ipsa necessaria saepius habere potuerit, in futurum etiam, ubi ad paro-

chias promovebuntur, talia se habituros semper haud sperare possunt" [1]).

Motus ob ministerium mensae.

Annus, quo haec Cardinalis Christianus Augustus ad Pazmanitas scripserat, necdum evolutus fuerat, dum novorum motuum theatrum evaserat Pazmanni Collegium. Regente enim Joanne Bapt. Jurkovics, e mandato et confidentia Provincialis sui Praepositi in Comitiis publicis Posoniensibus causam ordinis sui magno cum emolumento sustinente, cura Collegii Pazmaniani pro tempore hoc subalternis superioribus concredita fuit. Hi quidem nihil eorum, quae ad conservandam disciplinam domesticam fervoremque studiorum opportuna, justa necessariaque videbantur, neglexerunt: verum proclivis quorumdam ex Alumnis ad exorbitandum genius turbavit sanctiora pacis conservandae studia. Objectum causave, motuum itidem minuta erat. Alumni ab antiquo tempore, ut se in virtute humilitatis exercerent, domi in triclinio alternatim mensis inservire sunt edocti, feceruntque id per dimidium saeculum sine resensu, sine murmure, libenter et suaviter. Anno attamen 1715 sancta haec consuetudo ansam tumultibus dedit ob sequelas suas maximis. Primis etenim diebus mensis Junii dum vice quadam Alumni ob aëris intemperiem in hortum exire, ibique diem exigere non possent, prandio coenaque domi sunt refecti. Solitum autem erat in horto ad mensas ministerio famulorum Collegii uti. Cum jam dies 4ª Junii exitui ad hortum de more destinata, ob pluviam domi transigenda fuerit, Alumni se a ministerio mensae quoque dispensatos esse rati, illud servis relinquebant. Quae sinistra adjunctorum interpretatio vix si culpam illis induxisset. Verum dum Alumni hebdomadarii ad ministerium constituti, ut officio suo fungerentur, a Patre Subregente provocabantur, illi autem id, praeter unum praestare pertinaciter renuebant, Patremque

---

[1]) E Mscr. Prayian. in Bibl. Univ. Pest. fascic. 23.

Subregentem verbis invectivis offendere, Coalumnum obedientem scommatibus lacessere non desistebant: gravem multiplicisque reatus culpam sibi superinduxerunt. Cum vero culpa pertinacia raro careat, ea horum Alumnorum quoque animos, ne ad saniora redirent, captivatos tenuit. Domi igitur occulta consilia cudunt, literis scommatibus refertis Contribules suos in aliis Hungariae Seminariis degentes edocent, Superiorum famam in iis lacerant, multa exaggerant, Collegium diffamant. Ob tanta facinora in causam vocati, per exmissum a Cardinale Protectore Episcopum Agriensem Gabrielem Erdődy ceu Inquisitorem, reatus sui convicti, poenas condignas luunt; primipilis quippe turbarum quinque e Collegio eliminatis, sex alii variis poenis castigati sunt. Ii, qui ejectionis sententiam tulerunt occasione refectionis in triclinio publicatam, vix aliqua interposita mora, collectis sarcinis suis, partim Tyrnaviam partim aliorsum expediti fuere.

Falleretur attamen omnis, qui turbas has omnibus, aut pluribus Alumnis communes fuisse crederet; factum hoc merito detestandum, aliquorum tantum protervia erat; cum reliqui avito diligentiae virtutisque studio excellerent. Creberrime enim jam visitando, jam consulendo animae Directorem, hoc in genere laudis adeo eximios se probarunt, ut amplius quid nec a fervidis religiosis desiderari potuisset.

In Studiis autem cum aemulos vix paterentur cuncti, horum unum nobilem Dalmatam Theologum Gabrielem Bakits condignis laudibus celebrasse sufficiat. Hic enim tractatum de Deo coram nobili admodum et numeroso auditorio propugnans, tam strenue partes suas sustinuit, ut e Doctoribus tunc praesentibus non nemo dicere auditus sit: Hic Pazmanita magnam sibi, magnam domui Pazmanianae hoc actu laudem perperit et existimationem. Princeps Philippus Hassiae Darmstadiensis Comes terri-

Gabriel Bakits Dalmata.

torialis, quo juvenis hic Presbyter Maecenate gloriabatur, audito tam splendido disputationis hujus successu, literis nimium benignis gaudium suum de hoc eventu felici testatum fecit, beneficia eidem ampliora promittens. — Quo autem Alumni altae vocationis suae semper in ipso aditu Collegii monerentur, Joannes Liptai Canonicus et Parochus Posoniensis munifica beneficentia, per ipsum etiam Regentem Collegii aucta, iconem tutelarium Collegii Sanctorum Petri et Pauli ad divisos in tractu inferiori gradus eleganti labore perfectam appendi fecit.

Donum Joannis Liptai Canonici Posoniensis.

Ea cum sit divinae providentiae sortem humanam gubernantis oeconomia, ut adversis prospera succedant: hanc providentiae sapientissimam dispositionem Collegium quoque expertum est. Taceo gaudia, quae Metropoli nativitas Archiducis Leopoldi secundi attulerat [1]), quaeve Collegium festivis, ut de pio more ad publicam admirationem facere solebat, ignibus recolens, urbi et Patriae felici applaudebat; taceo gaudia ob nuncium victoriae per Eugenium Sabaudum de Turcis relatae, quam sanguine etiam semper heroum Würtembergiae Principum partam fasti Patriae nostrae uberius narrant; eaque solum refero, quae fata Collegii propius attinent.

1716. ComesNicolaus Csáky fit Pazmanita. Studium linguae hungaricae praecipitur.

Inter 67 Collegii Alumnos in spem maximam Ecclesiae adlectus est anno 1716. Comes Nicolaus Csáky. Quantum autem ad ea, quae anno hoc salubriter constituta sunt, attinet, memoriam singularem meretur studium linguae hungaricae ad preces plurium Ecclesiae Praesulum laudabili consuetudine inductum, vi cujus occasione publicae refectionis lectio libri alicujus hungarici inchoabatur, maxime per eos suscipienda, qui linguae hujus facilitatem non habebant. Exigebat hoc Parochiarum hungaricarum indigentia; compertum enim est, plures Alumnos ad facilitandam in Collegium susceptionem, in exa-

---

[1]) 1716. 13 Apr. fer. 2a Paschatis.

mine linguae hungaricae peritiam falso professos fuisse, quos dein ad loca hungarica, aut Hungaris mixta mittere, magna saepe exinde Ordinariis subsecuta molestia ac perplexitate, non facile licuit; inducta ergo est consuetudo hungarice legendi ob exercitium incitamentumque discendi. Per aliam dispositionem Bulla Pontificia annui proventus partem decimam ad tegendos bellorum turcicorum sumptus dependere jubebat, per manus Nuncii Apostolici aerario bellico inferendam; quod etsi Collegium graviter senserit, prompte tamen alacriterque ob bonum publicum per annos plures praestitit.

Laus duorum famulorumCollegii.

Addere juvat factis majoribus facta etsi minuta, non tamen oblivioni tradenda ob affectum, zelumque singularem. Personas culinae servitiis addictas respicit narratio. Servorum unus fatis felicioribus ad fortunae bona inter armigeros Imperatoris eluctatus, dum morti proximus fuisset, ultima voluntatis dispositione, pio 25 florenorum legato in signum adhaesionis suae etiam Collegii Pazmaniani meminit; alter Georgius Glavonics indefesso conatu penes Triclinii servitia studia etiam volvens, in arenam disputantium sub ludis litterariis prodiit, laudemque tulit haud exiguam. Unde necessariis cum corporis tum animi mediis a Regente provisus, zelosus subin in Dioecesi Jaurinensi evasit animorum curator. Sic saepe eligit Deus infirma mundi, ut fortia quaeque confundat!

1717. Nemo ad casus fuit relegatus.

Character scientificus Collegii, inchoato anno scholastico 1717. firmitatem nactus est facto illo, quod e genere Theologorum, qui Casistae vocabantur, hoc anno cum magno domus encomio nullus repertus fuerit. Relatum est, fundatorem Pazmannum ob maximas Ecclesiae hungaricae indigentias stabilivisse, ut ii Alumnorum, qui in altioribus Theologiae disciplinis calculo Magistrorum non probantur, non mox ideo eliminentur, verum ad tractandos Casus practicos relegentur, ubi si aliquam sui spem faciant, Episcopo pro ordinatione sistantur. Hi

Theologi gradu suo cadentes, atque ad tractandos casus relegati, Casistae vocabantur, talesque quamvis ob aemulationem Alumnorum raro, hinc inde tamen vidit Collegium. Cum autem indigentiis parochiarum paulatim melius provideri potuerit per missos undique ad illas operarios: ne indulgentia hac Fundatoris negligentia inter Alumnos foveatur, bonaque existimatio Collegii labefactetur: hos Casistas sublatos habere optarunt Regentes Collegii ad normam Alumnorum in Convictu studentium, ubi siquis cecidit in examine, excidit e fundatione.

Quies nocturna turbatur insolito eventu.

Singularis anno hoc 1717 eventus diu turbavit quietem domus nocturnam. Circa medium aestatis repente nocte quadam vehemens audiebatur strepitus in cubili famulorum. Omnibus primo somno pressis, strepitus quasi e projectis, confractisque utensilibus, quassatis cantharis, asseribus, lignis, fenestris, portis, percipiebatur. Famuli strepitu hoc excitati, fragorem ingentem coram percipientes, neminem autem videntes, horrore percelluntur; mox strepitus totam domum replet, Alumni in dormitoriis suis fragore molestati, surgunt omnes, per ambitus locaque omnia abditissima causam tam insolentis strepitus, locumque hospitis hujus inexspectati indagantes, ast sine effectu; strepitus e centum locis resonat, ubique auditur, nullibi quidquam videtur, dum repente in ictu oculi omnia cessant, fitque tranquillitas maxima. Strepitum hunc singularem, quem omnes septuaginta et amplius incolae domus perceperunt, plurimi parati erant alicui causae physicae adscribere, ni nocte sequenti eodem ipso tempore, et deinceps continuis octo septimanis diversis cum modificationibus, frustra tentatis omnibus inquisitionibus, strepitus repetitus fuisset. — Alumni noctes plurimas sub ipso vehementis fragoris impetu inter pavores et augustias orando transegerunt, oblata sunt Domino Missae Sacrificia, strepitus tamen non cessavit; jamque disciplina domestica, et studia remittebantur, sanitasque plurimorum affli-

gebatur, ob magnum somni defectum, dum subito post majores noctu strepitus eodem fere tempore diversis in locis concitatos, facta est quies in domo, nec strepitus ullus amplius auditus est. Tranquillitate domui reddita pax ad finem anni per contentiones inter Alumnos slavici labii numero plures, Hungaros item, brevi attamen solum tempore turbabatur, mox restituta [1]).

1718. Disputatio C. Nicolai Csáky.

Annus 1718, ob pacem, a loco ubi ea inita est, Passaroviczensem dictam memorabilis, Collegio Pazmaniano multiplicem adtulit laetitiae causam. Oris primum Patriae quiete donatis, Alumni 65 omnes absque difficultate in Collegium reverti potuerunt; hospites insuper salutavit Roma reduces, scientia, honoribus, linguarum eruditione et optimo virtutum odore insignes condam Alumnos suos tres, Sigismundum L. B. Berényi, Abbatem B. M. V. de Poroszló, Paulum Tarnóczy et Emericum Bivoleni, in quorum locum sumptibus Regentis Collegii, alios duos cum Gabriele Pathatics [2]) Romam iterum dimisit Alumnos suos. — Disputantem insuper e Philosophia universa cum applausu audivit Alumnum suum Comitem Nicolaum Csáky in coetu virorum ornatissimorum doctissimorumque; quinque enim Episcopi, Magnatum, et Cancellariae Consiliariorum plurimi eruditioni ejus applaudebant, oppugnante eum Episcopo Zagrabiensi Emerico Eszterházy; applaudebat et C. R. Locemtenens Comes Khevenhüller, pro actu hoc legatus Caesareus; nobilis enim athleta librum suum sub titulo: „Magni Ungariae Regni Topographia“ in signum homagii Caesari inscripserat. Cujus studia ut praemio ornaret Clementia Imperantis, eidem

---

[1]) Quam copiosi saepe in Collegio aliti fuerint Clerici labii slavici, e litteris patet Georgii Széchényi Æppi ad Regentem Collegii 1694. 31ª Martii exaratis, ubi abusum queritur, quod ex 55 Alumnis 16 solum sint Hungari, reliqui autem Slavi, de quibus si ad curam animarum exeant, dicit „tum se, tum vicarium suum habere, quid agant.“ Temporibus attamen Pazmanni Regentes Slavos valde laudaverunt. Causa, cur plures Slavi fuerint Alumni, illa assignari potest, quod juvenes e superioribus Hungariae oris, quae slavicae erant, potissimum suscipi debuerint, oris inferioribus sub jugo Turcarum gementibus.

[2]) Alumno Tyrnaviensi.

per legatum mox fatum, crucem auream e rubra ligula pendulam, quadraginta duobus adamantibus et septem rubinis orientalibus magnis ornatam adjecto titulo Abbatis B. M. Virginis de Scepusio contulit.

C. Emericus Csáky galero ornatur. Joannes Pataky Valachorum Episcopus eligitur.

His utut magnis laetitiae causis ampliorem gaudii ansam habuerat Collegium ob alium virum, surculum celebris toga sagoque familiae Comitum Csáky, Emericum videlicet, Archi Episcopum Colocensem, qui primus ex Alumnis olim suis Purpura ornatus, biretum ritu solenni in Ecclesia aulica Patrum Augustinianorum e manu Caesaris accepit. Geminabat gaudium Collegii alterius olim Alumni sui Joannis Pataky in Episcopum Valachorum in Transsylvania unitorum electio, qui posteaquam longiori tempore qua hospes Collegii, Bullas Pontificias exspectasset, his acceptis, solenni ritu Ecclesiae Orientalis, ad quem e latino transiit, in Episcopum consecratus est.

Tres Comites Alumni. Disputatio Comitis Francisci Zichy.

Annis, qui solatiosos hos eventus sequebantur, ulteriorem Collegio gloriam addere perrexerunt tres Alumni ejusdem Convictores, Comes Nicolaus Csáky Abbas B. M. V. de Scepusio, Comes Franciscus Zichy Praepositus de Szerencs, et Comes Paulus Batthyány, quorum posterior non multo post quidem lares paternos repetiit. Comes Zichy anno 1720 eadem ac paulo prius Comes Nicolaus Csáky in ludis philosophicis fortuna usus, iisdem fere viris illustribus folia ad lauream suam texentibus, eodem caesareae Clementiae signo decoratus exstitit, theses suas eleganti Augustissimi Caesaris Caroli VI[i] effigiei subscriptas in audientia clementer sibi tributa personaliter Caesari, Serenissimisque Archi-Ducibus tradere permissus. — Idem dein Comes cum socio Nicolao Csáky anno sequenti studia theologica continuaturus Romam transivit ad Collegium Apollinare. — Hos natalibus et virtutibus pariter ac solertia insignes Alumnos, aemulabantur caeteri quoque, ut adeo tum pietate, tum modestia, tum scientia, exactaque in ritibus ac caeremoniis Ecclesiae tractandis

dexteritate, laude antenatis suis tributa et ipsi digni fuerint. Cui testimonium ipsa Augustissima Aula Caesarea dederat, dum funebriis Imperatricis, Reginae Hungariae Eleonorae anni 1720[i] mense primo defunctae Pazmanitas quoque linteatos, ac Cereis instructos solenni ductu intervenire desideravit; quibus etiam modestia maxima Alumni cum Superioribus suis intererant.

Datis sic Dioecesibus Hungariae per annos singulos numero possibili presbyteris, Collegio autem Appolinari Romano novis, iisque aere viatico utplurimum Collegii provisis surculis: notabilem in decursu narrationis nostrae attingimus annum 1723[um], qui centesimus ab erecto Collegio, saeculare Collegio superinduxit festum. Censuit annus hic sub Regente Joanne Bapt. Jurkovics, Directore Spirituali Antonio Holke, Praefectis Janne Bapt. Holczmann et Francisco Kazy Alumnos sexaginta et quinque, quibus post exustum Budense Clericorum Seminarium duo inde hospites accessere. Ex his anno illo sex ad curam animarum, quatuor ad Collegium Apollinare Romanum dimissi sunt; octo theses ex universa Philosophia cum laude publice defenderunt, sex gradum magisterii emeruerunt; duo prima Theologiae laurea insigniti, itidem duo Stephanus Figuli, et Franciscus Makai universam Theologiam defendebant, quorum posterior binas S. S. Apostolorum Petri et Pauli icones cum thesibus civitati Szegedinensi, prior theses cum iconibus S. Ignatii et Xaverii Eminentissimo Cardinali de Saxonia, Collegii Protectori, reliquisque Eminentissimis, Illustrissimis, Reverendissimis ac Admodum Reverendis olim Collegii Alumnis inscripserat. Solertiae quidem hujus documenta omnis per integrum saeculum annus ex aequo exhibebat, quodsi tamen hoc loco solum referatur profectus unius anni, causa illa est, ut exempli, et mensurae instar serviat ad dimetiendam veritatem eorum, quae de profectu Alumnorum per primum saeculum narrabantur.

1723. Annus saecularis Collegii.

Festiva anni saecularis die appropinquante, quae erat S. S. Apostolis Petro et Paulo sacra, ad ornatum praeparabantur cuncta. Assidua, ut pio fervore asueverant, cordis exomologesi ante omnia animas suas purgavere Alumni, ut in puro virtutum Clericalium nitore diem solennem recolerent. Ipsa externa, internaque facies domus multo labore, amplioribusque sumptibus renovata fuit. Triclinium ad solennitatem est instructum; pavimentum asseribus recenter stratum; parietes omnes tabulis coloratis auroque vestitis ornati, posita nova fornax uti et cathedra, utraque colore et mole loco accommodata; mensae omnes e ligno quercino comparatae solido opere affabre constructae, pro aliis saeculis paratae videbantur. Imagines porro fornici àffixae erant numero octodecim, quarum septem Collegii adusque Protectores, alios porro aut Benefactores, aut illustres Domicilii hujus incolas referebant; alia major recenter depicta supra januam collocata, altera in fronte triclinii renovata fuit. Non minorem mutationem subiit reliqua domus; cubile enim tractus primi adusque hospitibus dignioribus inserviens divisum erat, majorque ejus pars sacello destinabatur. Novitii ut a reliqua Communitate optimo sane consilio separarentur, vetus sacellum in tractu secundo assignatum acceperunt. Omnibus ad condigne recolendum festum praeparatis, advenit tandem illa, ter quaterque exoptata. Pridie ante festivitatem appulit Viennam ablegatus Cardinalis de Saxonia, pro maximo sui dolore per gravia Comitiorum Posonensium negotia ut personaliter compareret impediti; fuit autem ablegatus hic Locumtenens Comes Sigismundus Berényi Abbas B. M. V. de Poroszló, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Canonicus, et Archidiaconus Neogradiensis, qui dignitati ac missioni suae condigno honore exceptus, ad peragenda diei sequentis solennia se praeparabat. Illucescente tandem festiva die, Alumni omnes cum Regente, Patre Spirituali, ac duobus Prae-

fectis, lineo amictu induti ad Templum Academicum concesserunt, ubi in Sacristia paululum exspectantes, solemni processione ad aram deduxerunt Ablegatum, sacris solenniter operaturum. Chorus Capellae aulicae cum duplici tibicinum classe festivo jubilo concinebat melos eucharisticum, litante ad aras sacram Domino sacrificii hostiam Legato Cardinalis, domus Pazmanianae Protectoris. Finitis divinis Orator sacer ex suggestu ad concionem dixerat, cum fine sermonis immortalem Collegii Fundatorem alloquens, cujus imago e latere dextro arae principalis eleganter ornata pendebat. Allocutionibus longioribus finitis, hymnus ambrosianus solenniis sacris finem imponebat. Actis sic Deo gratiis, Regens in Collegio convivium instruxit, ad cujus exordium coram selectis hospitibus Franciscus Szögyény in annum tertium Theologu sfestiva oratione celebrabat diem [1]). Stupor sensui gratitudinis cessit locum in pectoribus auditorum, dum oratorem eleganter loquentem narrare audiverant numeros eorum, qui dignitatibus et laureis ornati, saeculi decursu e Collegio hoc prodiverunt. Intellexerunt sane per saeculum primum elapsum Alumnos universim omni virtutum, ac sapientiae supellectili ad uberes fructus pro Dei gloria, Ecclesiae et fidei orthodoxae, simulque inclitae Patriae exaltatione in domo hac alitos, ac pro salutis animarum incremento maximo instructos fuisse fere 2000
ex quibus profuso pro Christo sanguine Martyres
fidei 6

---

[1]) Oratio haec typis in folio impressa auctore gloriatur celeberrimo Francisco Kazy, tunc Philosophorum praefecto, serius Historiographo Hungariae doctissimo; exemplar ejus in Bibliotheca P. P. Piaristarum Vacii exstat, unde descripta in Archivo Collegii quoque conservatur. Titulus orationis hujus est: „Vectigal seculare Deo Bonorum omnium authori, secundum Deum Hominibus de se bene meritis a Collegio Pazmaniano decretum Eucharistica dictione persolutum Die XXIX. Junii Divis Petro et Paulo Collegii Tutelaribus sacro. Oratore Reverendo Praenobili ac Doctissimo Domino Francisco Szögyény Sacro Sanctae Theologiae in tertium Annum Auditore, Collegii Pazmaniani Alumno. Viennae Austriae Typis Ignatii Dominici Voigt Universitatis Viennensis Typographi 1723." Orationem describi curavit Josephus Kunszt Collegii Pazmaniani ab anno 1832 – 1845 Rector.

Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalem Presbyterum 1
Archi-Episcopos 3
Episcopos electos et consecratos 37
Praepositos et Abbates 40
Canonicos aliisque dignitatibus ornatos 37
Theologiam vel totam, vel partem ejus defendentes Doctores et Baccalarios ultra 100
Prima A. A. L. L. et Philosophiae laurea decoratos ultra 600
Suprema Philosophiae laurea insignitos prope . . 400
Splendida oratorum provincia in Ecclesia S. Stephani coram Universitatis ornatissimis Doctoribus defungentes ultra 30

Sub regulis diversorum Ordinum religiosorum ampliora perfectionis Christianae charismata amplectentes, non secus, ac ad splendidissimum scientiarum Athenaeum, Collegium quippe Germanico-Hungaricum transmissos sane plurimos.

Orator posteaquam juxta elegantes Francisci Kazy ideas immortali Fundatori Pazmanno justas exhibuisset grates, ad finem orationis verba dixerat, quae hic quoque loci referre idoneum est: „Applaudite, inquiebat ille, applaudite agenti saecularem aetatem Collegio Pazmaniano, miramini in tanta senectute tam vegetas vires, tantam Virtutis et Sapientiae juventutem! desinetis mirari, si recogitaveritis, nunquam posse Virtutem et Sapientiam senescere, tot per integrum licet saeculum exemplis renovatam. Lucent haec de coelo inter micantia sidera jam collocata, fulgent in terra, ut luminaria supra candelabrum posita, ab illis salutiferi influxus, crescentibus in semine surculis trahuntur, ab his clarissimos virtutum et Sapientiae radios contra cimmerias etiam tenebras mutuantur posteri. Sic renovatur semper ut Aquila Juventus nostra, et ex his solis atque ignis ardoribus ex cinere suo Phoe-

nix novus resurgit: Saeculo succedit saeculum partus priori simillimus, quia ad ejus exemplar renovatur."

Verba haec insignia oratoris non vana fuisse eventus docuit, saeculaque testantur posteriora; quae dum describere continuando adnitimur, virtutes cum studio scientiarum in Collegio Pazmaniano haud unquam defecisse, jucundum sane est posteritati enarrare. Saeculo quidem insequente duriora Collegio supervenere fata, ac priori, vita enim ejus ac existentia iterato jam jam suppressa videbatur, dum repente denuo revixit.

1724—27. Regens Joannes Jurkovics moritur. Andreas Bossani succedit. Ladislaus L. B. Majthényi. L. B. Franciscus Klobusiczky.

Ingruente anno novo scholastico 1724, gaudia anni saecularis in jucunda jam solum memoria remansere. Dumque omnigeno profectu suo Alumni solatia augere impigro conatu adnituntur, laureasque suas novas primo labore partas Manibus piis Pazmanni Philosophorum, Theologorumque octoni consecrant: inimica repente vitae humanae mors gaudium in luctum convertit, e vivis rapiendo Regentem Collegii Patrem Joannem Bapt. Jurkovics, qui in regimine Collegii amplius quam duodecim annis indefesso studio gloriam utilitatemque Collegii, pluribus item vicibus prosperitatem Ordinis sui in Comitiis hungaricis promovit. Successorem nactus est Andream Bossani diu Poenitentiarium Romae nunc in domo S. Annae quieti traditum. — Vir hic disciplinae domesticae studiosissimus, post superatas feliciter circa rem aeconomicam per antecessorem suum cum Magistratu civico, vicinis, aliisque coeptas lites longas, pace tutior totus firmandae disciplinae incumbebat, ad studia inflammabat, ardorem spiritus conservabat, tentamina discontentorum quorumdam Alumnorum suaviter quidem, ast una fortiter supprimebat. Alumnum Collegii natalibus studiisque insignem, Ladislaum L. B. Majthényi cum alio socio bono Paulo Ziatek Romam ad Collegium Apollinare promovit; prout anno 1726 alium, Baronem Franciscum Klobusiczky, Abbatem S. Jacobi cum tribus aliis eadem via illuc direxit.

Laudem, solatiumque domui parabat electio quorumdam olim Alumnorum suorum anno 1726 ad diversas dignitates. Collegio quippe Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Veszprimiensis adlecti sunt: Joannes Stechenics, Joannes Pápai, Ladislaus Potyondi, hic una Vicarius generalis constitutus. Jaurinensi autem Capitulo Cathedrali illatus est Laurentius Károli, omnes olim Pazmanitae. Memorare etiam juvat favorem Episcopi Veszprimiensis Adami Acsády una Regni Hungariae Cancellarii, Collegio exhibitum, qui in optimum Alumnorum exemplum Collegium frequenter adire, devotionibus in sacello interesse, Alumnos benignis salubribusque alloquiis cohortari fuit solitus; aestatis autem tempore per aliquod hebdomades hortum etiam Collegii incolebat, ibidem aquis mineralibus sanitati suae consulens.

Plures olim Collegii Alumni Canonici fiunt.

Memorabilis prout omni juventuti ecclesiasticae, ita Collegio quoque Pazmaniano erat annus 1727 maxime ob duos beatissimos Juvenes, dum viverent Societati Jesu adscriptos, post vitam autem piissime actam, anno illo in Sanctorum numerum relatos, Aloysium nempe Gonzaga et Stanislaum Kosztka. — Lilia haec gemina Convallium Matris Ecclesiae, dum ad micantium instar innocentiae syderum solenni cultu per octiduum recolere coepit Societas Jesu: sub ipsis suplicationibus Viennae adusque in tanto splendore haud visis, octo Alumni Collegii Pazmaniani deferebant super humeris suis, vestitu dalmatico cinctis, reliquias virginales Sanctorum Juventutis suae Patronorum coram Augustissimo Imperatore; ex quo etiam tempore non cessabant redeuntibus frequenter vicibus hymnum coelesti Lilio miri candoris in Sacello domestico concinere; cumque tanto divinae gratiae afflatui condigne cooperari ob multimodas infirmitates non valerent: naevos diligenti exomologesi deflebant suos, ut vasa similia electae innocentiae fierent; pio corde imitantes Angelicum

Festivitas SS. Aloysii et Stanislai.

juvenem poenitentem, dum eum non perfecte imitari potuerunt innocentem.

Duo interim charitatis Alumnorum objecta ab iis ablata sunt. Socium unum optimae indolis tristi conductu sepulturae tradiderunt, Regentem autem suum per biennium, Andream Bossani, Superiorum dispositione aliorsum translatum non sine dolore amiserunt. Huic ad initium anni scholastici suffectus est Laurentius Tapolcsányi, vir gigantea corporis mole non minus, quam vastissimi ingenii solidaeque doctrinae fama longe celebris; quem dum Societatis moderatores Collegio Pazmaniano praefecerunt, eum huic non tam dederunt, quam reddiderunt, quoniam illum prius e numero Alumnorum Collegii societati suae adlegerunt. Brevi attamen tempore hic Collegio praeesse potuit, defluente enim in dies vasta mole corporis, morbus vires ejus ad finem anni contrivit, non tamen fortitudinem animi quoque, qua molestias aegritudinis suae ferebat, acutissimos inter dolores solita studia tam frequenter volvere visus, ut ea tempore orationis solum linqueret.

Ast post longiorem narrationem ad statuam Graduum Deiparae Virginis revocat nos pietas, quae illam decursu temporis hujus de novo ornabat, colebatque. Nullo quidem momento defecit illa in animis Alumnorum, nunquam steterat desolata ornatu, nunquam derelicta sola. Supellex sacra, quae speciosis, auro argentoque intextis coronulis, vestibusque constans, copiosa in ejus honorem annorum defluxu e profusa liberalitate cultorum hujus Virginis parabatur, in molem excrevit; nec tamen cessavit fervor amantium, obulos, nummosque suos in gazophilacium optimae Matris conferentium; semper item prostratos ad pedes suos videbat, audiebatque precantes sodales suos, quorum etiam ii, qui ingenio debiles erant, sub patrocinio ejus mirabiles in scientiis ac pietate fecerunt progressus. Verum prout amor in corde, ad instar ignis in visceribus montium latentis, aliquando potentius erumpit: sic fervor sodalium

Statua B. M. V. in Gradibus ornatur dono Can. Agriensis Georgii Handler.

Virginis semper ardens, annis descriptis impulsum coepit plane singularem. Piam enim in consuetudinem induxere Alumni, non linquere Musarum cubicula, quin Virginem in gradibus semper proximam salutarent devotionis affectu. Alumnus autem unus, ante paucos annos Collegii incola, nunc Cathedralis Ecclesiae Agriensis Canonicus, Civitatis ejusdem Parochus, Seminariique Praefectus, Georgius Handler, pro sua in magnam Matrem pietate, quam e gratioso Virginis Graduum conspectu hauserat, quaeve auxilium, fonsque consolationis ipsi in vita remanserat: liberaliter 100 fnos augendis honoribus Virginis obtulit. Cujus piae intentioni ut morem gereret P. Regens, elegantem ad gradus hujus B. Virginis aere hoc parari jussit arulam, conservavitque cum ea Maecenatis vere piissimi, tabe attamen corporis laborantis, memoriam in domo hac quoque, quum ejus munificentiam narrent Ecclesiae Dioecesis suae multae quas, ornatu sacro instruxit, pauperes item animarum curatores ejus beneficiis copiose suffulti.

1729—1732. Alumni Jaurinenses et Nitrienses e Collegio aliorsum transferuntur.

Superioribus jam annis nova discordiarum fomenta inter Alumnos exurgere coeperunt, quas ob notabiles mutationes in historiam Collegii inductas narrare series objectorum exigit. Solebant Alumni pro praestitis diversis in Ecclesiis assistentiarum servitiis certam remunerationem percipere; ii autem ex Alumnis, qui Presbyteratus gradu insigniti erant, determinata quaepiam Missarum stipendia pro sacris in Ecclesia Academica persolutis referebant. Summae hae in unum conflatae in libros potissimum manuales convertebantur, quibus Alumni ad curam animarum exeuntes providebantur, pluribus insuper minutis Alumnatus expensis tegendis inserviebant, nemine per longam annorum seriem ex Alumnis contradicente, omnibus potius consentientibus. Verum cum is sit constitutus ordo in rerum natura, ut penes triticum purum pullulent etiam zizania, id in Collegio quoque per vices observabatur. Plurimis enim pietate, omnique modestia diffluentibus,

ad obediendum, seque excolendum paratissimis, pauci alii refractarios se exhibere, charitatem mutuam violare, et Superioribus oneri esse coeperunt. Talibus jam instigatoribus agitati Presbyteri quidam sacra persolventes, aut Alumni altaris ministerio inservientes, summulas has in privatos suos usus convertere praeoptabant, dumque Superiores longae consuetudini insistendum esse decreverunt, sibi injuriam hoc modo inferri, et domi, et foris clamitabant. Variis de negotio hocce in vulgus sparsis rumoribus, ad inquirendam rei veritatem Canonicus Jaurinensis Carolus Károli olim Collegii Alumnus, cum Vicario ejus temporis Strigoniensi Viennam venit. Viri hi re omni ex parte cognita, Principem Protectorem Collegii, Archi-Episcopum Strigoniensem Emericum Eszterházy Posonii adierunt, statumque rei fideliter huic exposuerunt; cujus etiam mandato statutum est, ut pecunia Stipendiorum e Missis Templi Academici aquiri solitorum more recepto ad gazophylacium librorum reponatur, serviatque pro emendis libris, quos Alumni Presbyteri ad curam animarum exeuntes percipere solent. Litibus hisce novis quorumdam exorbitantium compositis, mox anni 1731 mense Septembri omnes Alumni Nittrienses, qui in Collegio Pazmaniano numero 12 per quadraginta octo et amplius annos instar Convictorum tenebantur, e Collegio hoc ad generale Cleri Regni Hungariae Collegium Tyrnaviam sunt translati a suo Episcopo. Simili sorte anno insequente 1732 Alumni Jaurinenses, qui passim numero 10 ad rationes Dioeceseos suae in Collegio per septuaginta annos vivebant, ad Seminarium Jaurinense translati fuere, administratione fundationis Episcopi Dallos 25,000 fnorum, ex quorum censibus adusque Alumni hi alebantur, ad Capitulum Jaurinense transeunte; unde etiam Praefectus Seminarii Clericorum Viennam veniens, potestatem levandi annuos census, Patribus Collegii Pazmaniani Regentibus inscriptam, recepit. — Sic autem omnibus de

jure et ordine perfectis, Collegium Pazmanianum solis suscipiendis Archi-Dioecesis Strigoniensis Alumnis inservire coepit, ex iisque passim quadraginta per annos singulos sustentabat [1]).

Fundationes piae consignari jubentur a Consilio locmt. regio.

Alumnis extraneis vix discedentibus Paulus Spáczay Generalis Vicarius Strigoniensis, die 1ª Februarii 1733 transposuit Patri Regenti Collegii copiam literarum, a Consilio r. locumtenentiali hungarico, ad principem Primatem Regni Hungariae die 23ª mensis Decembris anni 1732 dimissarum, in quibus facta provocatione ad mandatum Suae Majestatis adhuc 31. Dec. 1724 expeditum, atque annis 1727 et 1732 republicatum, scribitur Archi-Episcopo: ut „juxta tenorem hujus mandati universas pias Fundationes in Archi-Dioecesi prout alii Episcopi quoque in suis Dioecesibus existentes, cum specifica connotatione obligationum iisdem inhaerentium, et circumstantiali illius, qua-

1) Capitulum Jaurinense Alumnos Jaurinenses e Collegio Pazmaniano ad Seminarium Tyrnaviense optabat transferre, requisivitque eatenus Metr. Cap. Strigoniense anno 1731; non tamen videtur voti compos factus fuisse, nam protocollum Collegii de anno 1732 haec continet: „non secus actum est anno 1732 quo haec scribimus cum Alumnis Jaurinensibus — prout nempe cum Nittriensibus uno anno citius — nam et hi numero 10 sunt ad suum Dnum Gralem Vicarium Jaurinensem mense Septembri expediti". Caeterum tenor literarum Capituli Jaurinensis est sequens: Illustr. ac Rssmi Dni Dni et fratres in Xto nobis colendissimi. Quale discrimen quoad numerum alumnorum hujus Dioecesis in Collegio Pazmaniano Viennensi hactenus ali et interteneri consuetorum et ulterius quoque alendorum inter nos et P. P. Societatis Jesu ejusdem Collegii Administratores vigeat, verseturque, id notum esse praetlis. Dnanibus Vestris non ambigimus. Cum autem praecipua pars promovendi Cultus divini, augmentandaeque Rei Ecclesiasticae, provisionisque Curae animarum ea esset, quatenus ex fundationalibus summis plura subjecta ad praemissa promovenda educari, instrui et multiplicari possent, necessitasque hujus vel maxime Dioecesis exigeret, ut id, quo Deo chariori et Ecclesiae magis proficuo modo fieri posset, non diffidimus, quin potius plena fiducia nobis pollicemur, ad effectum hunc vel ex charitate Xtiana, eo magis promotione Cultus divini et Rei Ecclesiasticae ac hujus Dioecesis praettas. Dnones. Vestras omnem favorem, subsidium et Patrocinium contribuere contendere, siquidem alioquin sub administratione hujus Archi-Capituli Dioecesis haecce numero certo a diuturnis jam abhinc annis intertentos haberet et consecuta esset Alumnos, speraretque per Gratiam et favorem ibidem numero plures ali et interteneri posse. Ideo fiducialiter ac simul fraterne praetas. Dnes. Vestras requirimus, quatenus Viennae intertentos, ex reflexione etiam facilioris alimentationis hic in Patria acquirendae in Gremium suorum recipere, ac deinceps omnes nostros Alumnos insimul adnumerandos erga hactenus praestitum Censum intertenendos resolvere non gravarentur. Quo in passu dum favorabilem praetarum. Dnum. Vestrarum praestolaremur Resolutionem manemus Earundem praet. D. V. fratres in Xto et servi obligatissimi. Jaurini 8 Augusti 1731. Capitulum Jaurinense. — Ex Arch. M. Cap. Strig. privato Lad. 67. fasc. 8. nr. 19.

liter menti Fundatoris satisfiat declaratione eruere, ejusdemque connotationem et specificationem cum annexis fundationalium literarum authenticis et genuinis paribus Consilio Regio Locumtenentiali . . . . indubie usque ad diem Cinerum anni 1733 proximam submittere velit". Regens igitur P. Andreas Sigray, his perceptis, mox brevem elenchum Capitalium et documentorum Collegii confecit, Tyrnaviamque ad Vicarium Generalem transmisit.

Interim eodem anno 1733 die 17ª Martii aliud iterum Decretum ejusdem Consilii publicabatur, quo plures Augustissimi Caesaris Resolutiones de Parochiis novitus instituendis, visitandis, dotandis, nec non de Seminariis erigendis et administrandis etc. continebantur, et in quo circa Seminaria, Convictusque et Collegia sequentia statuebantur: „Et quia Sacratissima sua Caesarea ac Regia Majestas Inspectionem omnium Seminariorum, Convictuum et Collegiorum pro Hungaria et partibus eidem annexis fundatorum, et cum exactione Rationum, utrum Fundationi satisfiat? investigationem, tenore etiam Articulorum: 74: 1715, 70: 1723 sibi benigne reservasset, hancque investigationis Provinciam hujus Regni Dnis Archi-, et Episcopis quoad ipsorum Dioeceses et in illis habita Seminaria, Collegia, et Convictus, benigne delegare dignata fuisset, ac ideo iisdem clementer et serio sub nomine suo Regio praecipi clementer commisisset, quatenus singulus illorum statum Seminariorum, Collegiorum et Convictuum in Dioecesi sua habitorum, et an Fundatorum mens, et quousque sit, vel non sit impleta, tam pro praesenti, quam pro praeteritis decem annis, seu ab anno 1722 inclusive, sollicite indaget, et disquirat, an tot, quot interteneri saltem valent subjecta, in illis continuo alantur, desuperque genuinam Relationem Regio huic Locumtenentiali Consilio de tempore in tempus faciat. Imo singulis annis de supra dictorum Seminariorum et Convictuum administratione confectas Rationes, ad inspicien-

dum illas eidem Locumtenentiali Consilio exhibeat. Eapropter idipsum Religiosae Rev. Paternitati Vestrae Consilium hoc pro sui directione et fine eo significandum duxit quo . . . . Rationes a decem annis modalitate praespecificata exhiberi curare haud intermittat". — Regens itaque Collegii novas easque fusas de decem annis dederat rationes, ex quibus apparet quod subtractis 35,000 f. pro Alumnis Nittriensibus, ad Collegium Rubrorum Tyrnaviam una cum dicta summa capitali translatis, aliisque 25,000 f. pro Alumnis Jaurinensibus domum remeantibus, Summa capitalis Collegii Pazmaniani pro Alumnis Strigoniensibus effecerit 203,000 fl. qui censum annuum 9590 frnorum pendebant. Ad rationes horum proventuum anno 1733, 43 Alumni alebantur; detractis jam in salaria et conventiones fixis 1519 fnis: provisio unius Alumni non plene 187 fnis veniebat, quos ob adaucta rerum pretia, aedificiorum vetustatem, contributionis rapidum incrementum futuris temporibus non immerito insufficientes praedixit Collegii Regens. E rationibus his praeterea notum fit, ab anno saeculari superius descripto, i. e. 1723 usque ad annum 1733 in Collegio denuo 695 Alumnos sustentatos fuisse.

1733—37. L. B. Fr. Klobusiczky Franc. Kazy et Franc. Faludi.

Gloriam attulit Collegio annus 1735 ob Alumnum quondam suum L. Baronem Franciscum Klobusiczky in Vicarium generalem Strigoniensem constitutum, moxque anno sequente in Episcopum consecratum. Anno autem 1737 duumviris regebatur illud magni in annalibus Hungariae nominis. Historiographus enim Hungariae percelebris, saepiusque jam laudatus Franciscus Kazy regimini Collegii admotus anno priore, socium, moderandis conscientiis Alumnorum Praefectum, Franciscum Faludi nactus est, litteraturae hungaricae, poëseosque sacrae in Hungaria si non satorem, promotorem certe longe celebratissimum, Ciceronemque hungaricum compellatum, ex cujus operibus compluribus hymnus quidam in memoriam

Christi patientis compositus „Keresztények sirjatok“ in minimis etiam vicorum Templis hodiedum mirifice resonat.

1738—40. Mutantur Regentes, hujus sequelae, lues pestifera, jejunium solenne.

Decursu anni 1738 quatuor semet mutuo exceperunt Regentes. Francisco Kazy Josephus Ritter, huic Antonius Vánossy, huic ad tempus Adamus Fenzl, ac tandem cum initio anni 1739 Jacobus Urient successit. Sequela mutationum harum relaxata disciplina domestica erat, cui mederi solum praesentia omni cum energia intervenientis Vicarii Strigoniensis potuit. Caeterum ob crescentem in dies luem pestiferam in Hungaria, Alumni ante tempus feriarum domum dimissi sunt. Solenne autem in pane et aqua per Eminentissimum Urbis Viennensis Cardinalem Archi-Episcopum incolis fidelibus civitatis indicebatur jejunium pro die 7ª Septembris, ob bellum Turcium a Seckendorfio male omnino coeptum, nec felicius deinceps quoque continuatum. Turca enim exercitum caesareum ad Groczkam ingenti clade prostravit; praefectis militaribus cum magna cohortum multitudine ut plurimum caesis, residuis in fugam actis. — Anno 1740 ob luem contagiosam limitibus inter Austriam et Hungariam severissime interclusis, Alumni pleno numero nec advenire poterant, nec si potuissent, eos Collegium ob rerum victualium penuriam, debitumque propterea contractum sustentare potuisset. Auxit autem penuriam hanc ingentis insuper rigoris hyems, quae ad dimidium mensis Maji protendebatur, dura quidem, admirabili attamen providentiae divinae dispositione merito doni instar reputanda, cum contagioni pestiferae modum posuerit.

1741—50. Domum milites occupant.

Vix ac contagio pestifera diminui coeperat, ampliora Collegii incrementa mox itidem bellicosa impediverunt tempora. Invictissimo enim Romanorum Imperatore Carolo VI° morte sublato, dum in defectu masculae prolis vi sanctionis pragmaticae filia ejus Maria Theresia in throno successerat, bellum Austriae omni ex parte inferebatur. Motiva causasque moliminum horum sanguinolentorum

profundius non inquirentes, id solum adferimus, quod mox ac Maria Theresia 25ª Julii Posonii inaudita eatenus pompa, et splendore in Regem Hungariae inaugurata fuisset: furor belli tam minaci impetu ruerit in provincias Austriae haereditarias, ut obsidio ipsius Metropolis in dies praevideretur, metuereturque [1]. A facie igitur hostis fugam caepere multi; remissi sunt ad suos etiam Collegii Alumni, senis solum cum Regente ejusque socio in domo remanentibus, et his quoque ob proventus penitus exsiccatos, vix sufficientem alimoniam invenientibus. Insuper ad sumptus bellicos tegendos, miserrimo alioquin Collegio pensio ac statutio personarum laboribus publicis destinatarum imponebatur. Domum miles occupavit per menses plures. Scholae annona refertae erant militari, omniaque musarum loca occupata sunt, donec hoste jam ferro, jam pactis remoto, cessasset panicus quoque obsidionis timor, milesque cum annona sua excessisset; quo facto studia litterarum reassumi, Alumnique successive ad Collegium reverti coeperunt.

---

[1]) Historia Regni Hungariae docet, quod criticis his pro Monarchia et Dynastia Austriaca temporibus, Regina Maria Theresia hoste undique conclusa, spem omnis salutis jam jam linquere coacta, ultimam salutis ancoram in fide ac fortitudine gentis Hungarae quaesierit, inveneritque. Filiolum enim Archiducem Josephum infantem adhuc super brachiis suis tenendo, in Comitiis Posoniensibus inter singultus, lacrimasque opem Hungarorum implorasse narrat aevi illius historia, addens, Hungaros hac confidentia, hocque magnifico spectaculo commotos, vitam et sanguinem Reginae acclamando obtulisse. Quamvis autem factum hocce historia et traditio uno ore narrent posterioribus saeculis, inventi tamen sunt diebus nostris homines, omnia facta historica etiam evidentissima ad suum genium jam negando, jam pervertendo contorquentes, qui veritatem hujus acclamationis quoque pertinaciter negarunt. In obversum horum liceat audire Scriptorem Annalium Collegii Pazmaniani coaevum, bellum, et factum hoc fuse et eleganter describentem, ac inter caetera sic loquentem: „Haec ubi Vienna audivisset — Saxonum, nempe Gallorum et Bavarorum irruptiones — denuo consternata, ultimum sibi adesse periculum arbitrabatur. Sed iterum juvit Deus, et fidelitate Hungarorum ab interitu servavit Austriam. Enimvero Regina dum se ab omnibus derelictam cerneret, dum mala omnia metueret, congregatos tum Posonii Status et Ordines Hungariae allocuta, se liberosque suos post Deum in eorum tutelam deposuit, et inter lacrimas auxilium imploravit. Vix sermonem finiit, Magnates consolari Reginam et bono esse animo jubent. Esse adhuc in statu Hungariam asserunt, ut afflictis Reginae rebus auxilio esse possint. Nec mora: ad arma conclamatum. Nemo erat qui *Vitam et Sanguinem* pro Regina (quae jam pridem omnes Clementia et affabilitate sua in amorem sui traxerat) non offerret. Et sane sepositis rebus aliis, nihil aliud egere Status et Ordines, quam ut modum juvandi Reginam invenirent“ Ms. Hist. Coll. Pazm. ad annum 1742 pag. 328.

Nec tamen ultra 30 Alumnos alere potuit Collegium bellicosis, et aere penitus exhaustis his temporibus. Inter hos ab 1741—1743 alebat ceu Convictorem Antonium Comitem Révai, qui Posonii Sacerdotio initiatus, Viennae in Templo Academico in Abbatem B. M. V. de Rátót benedictus, tractatumque de Jure publice defendens, Romam transiit. Dignitate ornatus, praetendebat primum in Collegio post Regentem accubitum, quem, simili dignitate ante se ornatorum complurium Alumnorum nemo unquam prius arrogabat. Verum re ad Superiores devoluta statutum est, ut vel se accommodaret consuetudini domus, ad exemplum praedecessorum suorum, aut extra Collegium de victu sibi provideret. Elegit primum, hocque facto exemplum promptitudinis ac subordinationis, sine qua nulla regitur societas, omnibus reliquit posteris. Caeterum pax et domestica disciplina viguit singulariter, unde etiam factum, ut a virtute et litteris majus sibi nomen in dies Alumni compararent. A rara disputandi dexteritate, ac scientia laudatur decursu anni 1745 Emericus Mattyasovszky, qui maxima cum gloria sub auspiciis Mareschalli Comitis Francisci Nádasdy, viri, sago celeberrimi coram nobili numerosoque Auditorio Universam Philosophiam propugnavit, lauream inter certantes primam cum applausu consecutus.

Comes Antonius Révai Convictor.

Emericus Mattyasovszky laudatur.

Ejusdem anni 1745 decursu dum domus post militem discedentem nunc primum penitus repurgari, ambitus ejus lapidibus quadris sterni, parietes iconibus, lucernisve ornari coepissent: Collegium e laeto nati Principis nuncio ansam gaudii, devotionisque sumens, fenestras suas festivis ignibus decoratas exhibuit, appositis, illuminatisque Imperatoris, Reginae parvorumque Archiducum iconibus, adjungens his icones scutaque gentilitia trium praecipuorum quoque Collegii Protectorum Archi-Episcoporum.

Illuminatio Collegii ob natum principem.

E nutu clementissimo Reginae duo juvenes Comites Ladislaus et Laurentius Kemeny, filii Comitis Ladislai,

Comites Ladislaus et Lau-

rentius Kemény Convictores. ab erroribus Calvini ad veram Ecclesiam non pridem reducis, Consiliarii secus Cancellariae, in Collegio sustentabantur, quos tamen anno mox insequente Collegium Daciae in spem optimam transmisit.

Sacellum domesticum. Laude merita per silentium privare haud conveniret Regentem hujus temporis Antonium Vánossy, qui curam singularem sacello domestico impendebat, paramentaque et utensilia sacra ex nobili materia fieri curabat. Novus calix, ciborium, thuribulum cum navicula, campanula, urceoli, pelvis ex probato argento in usus sacros sacelli comparata, pietatem ejus loquuntur. Squallorem enim in domo Dei nunquam tolerandum esse optime ratus est vir generosus.

1751—1761. Ultimum decennium, quod sub cura Patrum Societatis Jesu Collegium agere anno 1751 coepit, mox initio magnam rerum mutationem et factam, et ampliorem subsecuturam monstravit. Initium a censu solvendo coeptum est, cui domus Collegii adusque liberae, non obstantibus omnibus remonstrationibus subjiciebantur; mox sequebatur novum systema studiorum penes Universitatem ab illo Patrum Jesuitarum priore multum abludens, recenter inductum; Visitatio Seminariorum, Convictuum, Collegiorum omnium, curae Patrum Societatis subjectorum; rationes de administratione horum maximo cum rigore exactae, et quae fuere similia numero haud pauca.

Novi motus inter Alumnos. Genio aevi, sub influxu virorum principiis Jansenii saturatorum, ac ex subseliis, quae occupare eis successerat, liberales doctrinas in vulgus immoderate spargentium, non immerito adscribi potest ille etiam discontentus, obque minutas saepe res in commotionem pronus spiritus, qui Alumnorum animos decennio hoc captivatos tenebat. Majori enim itidem animositate recruduerunt inter eos motus, ob summulas certas pecuniarum, pro assistentiis penes functiones sacras sibi pendi solitarum. Initium a Sanctimonialibus Ursulinis coepit, quae dum conventione

quadam antiqua devinctos Ecclesiae suae tenerent pro ministeriis sacris Alumnos Pazmanitas: anno 1751° tenorem conventionis ad plura festa extendentes, eis pro functionibus his amplioribus justam obventionem se daturas negarunt. Regentibus Collegii occasio haec opportuna videbatur, Alumnos a ministerio Templi Ursulinarum revocandi, cum emolumento domus, ac disciplinae domesticae. Sorores quidem S. Ursulae serius rei aequitatem perspicientes, votis justis deferebant, servitiaque sacra Pazmanitarum sibi reddi, ipsum adeo Æpiscopum Posonii medio Ursulinarum illius urbis precibus exorando, efflagitabant; graves attamen jam nunc simultates inter ipsos Alumnos ob summulas illas enatae sunt; hi enim et summas has sibi relinqui, et tamen omnia illa quoque quae ex his pecuniis perstringebantur antea, sibi e fisco Collegii tribui, molestis verbis praetendebant, Regente Collegii ob magnam rerum penuriam id praestare non valente.

Spes quidem maxima affulsit Regenti, cum Nicolaus e Comitibus Csáky, olim Collegii Alumnus, in Archi-Episcopum Strigoniensem fuisset electus, ac Viennam veniens, festo Conceptionis immaculatae Virginis 1752° in Sacello Collegii sacra fecisset, coram Alumnis palam enunciando: „Non toleraturum se in domo hac vivere eos qui humilitati et obedientiae perfectae non asvescerent, sciens, quanto oneri sint Parochi Superioribus suis his virtutibus destituti.“ Parem spem fovebant Regentes de Vicario quoque generali nuper constituto Josepho Szentillonay; motus attamen non cessarunt, imo perdurarunt ad finem usque. Regentes enim ut paci domesticae consulerent, eos, qui reliquorum duces erant, nec ob potentes suos Patronos facile dimitti e Collegio poterant, Sacris ordinari, et sic ad curam animarum evocari fecerunt. Ast sane pro suo maximo damno. Alumni enim hi Ordinibus initati domi querelis suis adeo repleverunt omnia, ut in suas, caeteroquin injustas querelas, copiose pertraherent viros, quibus prius

jam in votis erat, ut instituta educationis Clericorum e manibus Jesuitarum eximantur.

Novum Studiorum Systema in Universitatem inducitur.

Quantopere autem contra docendi educandive modum Jesuitarum cuncti jam conspiraverint: e decreto Aulae apparet, mense Julio anni 1752[1] ad Rectorem Collegii academici dimisso, tenore cujus Scholae omnes reformari, huicque reformationi Jesuitae quoque semet accommodare sunt jussi ea comminatione addita: „Quodsi Jesuitae nollent huic Reformationi semet accommodare, constituendos fore alios, qui docturi sunt.“ Cum igitur decretum Aulae modo descripto scientias ad Universitatem anno jam insequente tradere praecepisset, parendum erat Patribus, ac Collegio Pazmaniano quoque. Juxta hocce Systema, sublata divisione Philosophorum in Metaphysicos, Physicos et Logicos: Philosophiae curriculum duabus solum classibus constabat, Philosophis nempe Anni I[i] et II[i]. Theologia quatuor annorum cursu erat absolvenda. Anno 1753 veluti primo inducti novi systematis, cursus Theologiae anni I[i], anno mox sequente cursus secundus, dein tertius, ac ultimo quartus vacabat, donec 1757 ordo systematis cum cursu quatuor annorum Theologiae, et duorum annorum Philosophiae stabiliretur. Anno 1753 Metaphysici in cursum Theologiae ascendentes, vacante cursu Theologorum anni I[i] nomen Candidatorum Theologiae tulere, et Grammaticam graecam, Eloquentiam sacram, ac Historiam ecclesiasticam tractabant. Libri scholastici praescripti erant: Theologia Dogmatica, Compendium Juris Canonici, et Theologia polemica auctore Vito Pichler, Institutiones Juris imperialis auctore Antonio Perezio, Grammatica haebraica auctore Georgio Haselbauer. — Sublatis insuper examinibus domesticis, publica tentamina inducta sunt ultimis quimestrium mensibus; in quibus, si turbulenta pacis domesticae tempora demantur, Alumni bonam Collegii existimationem eminentibus responsis suis firmarunt.

Alumnis S.

Quantum porro ad motus illos domesticos attinet,

quamvis illas vel commemorare taedeat, attingere tamen series narrationis postulat; quia statuto cuipiam Archi-Episcopali ansam dederunt. Alumni in praetensionibus suis circa pensa assistentiarum iterato serio reprehensi, mox aliis querelis fatigabant Protectorem Collegii, Archi-Episcopum Strigoniensem Nicolaum Csáky, ac se in Templo Academico in pietatis affectu turbari, plebique intermixtos sacra synaxi refici solere querulabantur. Querelas has, aliasque quasdam simul propositas, licet veritati non per omnia convenire cognosceret Archi-Episcopus, ut tamen omnem hoc etiam respectu querelarum ansam tolleret, sequentem in modum rescripserat: „Sub gravi animadversione statuimus, ut Collegii Nostri Pazmaniani Alumni a modo in posterum non in Templo Academico, vel alibi, sed omnes simul in Sacello domestico e manibus Patris Regentis sui, vel Spiritualis, aut Coalumni Presbyteri devote, et ut decet sacra synaxi reficiantur, ac in reliquo disciplinam domesticam accuratius observare, in Virtute et Literis majorem profectum facere, semet erga P. Regentem obedientes exhibere, mutuamque charitatem colere debeant et teneantur. Dedimus Posonii in Curia Nostra Archi-Episcopali die 19 Mensis Martii 1755 Nicolaus e Comitibus Csáky Princeps Archi-Episcopus Strigonienis“ [1]).

Communio in Sacello domestico sumenda praecipitur.

Studiorum ordine reformato, circa administrationem Seminariorum, Convictuum, Collegiorum, manibus Societatis Jesu concreditorum anno 1754 a consilio Regio locumtenentiali hungarico mandatum missum est Praeposito provinciali Ordinis, quo huic imponebatur, ut per Patres Regentes de statu commissarum sibi piarum fundationum, Collegiorum, Convictuum, Seminariorum, de omnibus mobilibus et immobilibus bonis, ac ex iis provenientibus emolumentis, de loco item, quo Summae capita-

Regens Collegii rationibus reddendis subjicitur.

[1]) Lib. Msp. Epistol. Coll. Pazm. in Bibl. Univ. Pestin. l. c.

les elocatae essent, ac de censibus earundum quorsum et quomodo administrandis, rationes authenticis documentis firmatas exhiberi, ac sibi submitti curaret. Quod mandatum cum a Praeposito provinciali Regenti Collegii quoque communicatum fuisset, hic ad quaesita mox respondit, nec tamen sic quoque voluntati altiori satisfecit; novo enim eoque fusioris tenoris mandato anno 1756 die 9ª Februarii dimisso, urgebatur, ut specialissimam de omnibus perceptionibus et erogationibus redderet rationem, utque id etiam consignaret, quantum e venditis vestibus antiquatis, mobilibus etc. percipiat, adjectis ubique ementium etiam attestationibus; ut porro capitalia minus securo loco elocata reciperet, novitus elocata in tabulas publicas inferret, rationes omni anno redderet, ab Archi-Episcopo consistorialiter revidendas; elenchum item omnium summarum capitalium et obvenientium censuum intra bimestre loco altissimo exhiberet, juxta tabellas hoc fine sibi submissas.

Quae omnia dum suis molestiis non carerent, in diesque protraherentur: *delegata* est potestas ab Augustissima Regina Praelatis Hungariae pias fundationes visitandi; quae tamen delegatio resensum auxit; plures enim Praelatorum, inter quos praecipue Agriensis, hanc delegationem aegre ferebant ideo, quod ipsis e jure Concilii Tridentini *ordinaria* potestas competeret pias fundationes visitandi; aegre ferebat Societas quoque Jesu ideo, quod Seminariorum curam a Fundatoribus ea sub conditione receperint, ut ea ipsorum fidei crederetur tota. His tamen omnibus insuper habitis, visitatores pro Archi-Dioecesi Strigoniensi constituti sunt; initiumque visitationis a Collegio Rubrorum Tyrnaviae coeptum est, ubi querelis omnibus contra administrationem et educationem Jesuitarum rejectis, hi triumphum reportarunt. An Visitatores post haec Viennam ad Collegium Pazmanianum pervenerint? quando item, quove successu? Ex Archivis Collegii

non elucet, mox enim novi belli tumultus eruperunt, sub quibus domus horti suburbani, quae annis prioribus fere 2000 fnorum expensis muro cincta fuerat, 1757 ab aerario occupata, conservandae avenae inservire coepit.

Cum anni subsequentes, praeter increscentes valde contributiones publicas, ob idque pressum nimis Collegii statum materialem, nil quod Collegium propius attigisset, memoratu dignum tulerint: advenit tandem annus 1761[us] quo in locum Nicolai Comitis Csáky Posonii ultima Maji 1757 pie defuncti, in sedem Archi-Episcopalem Strigoniensem nominatus fuit die 12[a] Maji Franciscus e Comitibus Barkóczy Episcopus Agriensis; qui, posteaquam Strigonii pallium e manibus Archi-Episcopi Viennensis Christophori Migazzi solenniter in Capella Bakácsiana recepisset, die 27[a] Septembris Tyrnaviae installatus fuit eo splendore, quo fortasse nullus illucusque antecessorum suorum. Collegium enim Societatis Jesu una cum Universitate Tragoediam in Theatro majore honoribus ejus lusit, turrim Mathematicam per biduum illuminavit, orationem panegyricam cum libro actorum et scriptorum S. Cypriani Africae Primatis, per Patrem Joannem Bapt. Prileszky Collegii Pazmaniani Regentem illustrato, eidem Principi illustri obtulit. Archi-Episcopus tamen his omnibus devotionis signis a concepto pridem proposito se dimoveri non passus: mox die 29[a] literas ad Praepositum Provincialem Societatis Jesu dimisit, quibus omnia Clericorum Seminaria sibi a Societate tradi jussit. Literae die onomastica Principis novi i. e. 4[a] Octobris Provinciae Praesidi traditae, effecerunt, ut Patres Jesuitae die 1[a] Novembris 1761 rebus omnibus Collegii in manus exmissorum Deputatorum Archi-Episcopalium fideliter resignatis, e Collegio excesserint Pazmaniano, quod centum triginta et octo annis juxta mentem Fundatoris immortalis nominis Petri Pázmány moderabantur. Jesuitae e Collegio excedunt

---

Merita Jesuitarum de Collegio.

Defluxu temporis hujus educavit Societas Jesu in Collegio Pazmaniano ad majorem Dei gloriam et Ecclesiae Hungaricae incrementum Alumnos ultra ter mille et quingentos, purpura, infulis, pietate, scientia ac disciplina sacra decoros. Merita tanta provocant nos, ne simplici narratione viros a regimine Collegii remotos abire sinamus, quin condignis reflexionibus ea, quae fecerunt magnalia celebremus. Curam Collegii a Fundatore maximi nominis Petro Pázmány manibus Patrum Societatis Jesu sapientissimo, saluberrimoque consilio creditam fuisse ipsa fatorum Collegii narratio evidenter docuit. Ut enim taceamus, tempore erecti Collegii non facile inventos fuisse viros, quibus educatio Cleri junioris tuto concredi potuisset: ipsa ratio methodusque educationis Jesuitarum talis est, ut teste celebratissimo illo philosophiae Magistro Bacone a Verulamio ,,nihil quidquid in usum venit his sit melius" [1]). Quod assertum viri spectatissimi de paedagogica celebritate Jesuitarum prolatum in genere, speciale momentum habet quoad Seminaria, Collegiaque Clericorum [2]), ubi pietas, scientia, ac disciplina, tria haec omnis vitae sacerdotalis fundamenta docentur.

Vis vitalis Ecclesiae fides est, quam a Christo acceptam incorruptam condit illa sinu suo. Hanc fidem firmiter tenere, hanc fidem intrepide annunciare, juxta ejus praecepta vivere, ea animis hominum imprimere, sicque eos in via salutis juxta exemplar proprium ducere, principalis est vocatio eorum, qui se ministerio divino manciparunt; quae tamen cuncta suum nutrimentum a pia affectione hauriunt, qua

1) De dignitate et augm. scient. libr. VI, c. IV. vid. insup. Schnitzer: Das paedagogische Geheimniss der Jesuiten.

2) Ipse Urbanus VIII Pontifex testimonium reddit de paedagogica celebritate Jesuitarum in moderandis Seminariis, dum in coordinatione Collegii pro scholaribus Germaniae Viennae dicit: „Coeterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Jesu in hoc educandorum instituendorumque Alumnorum munere, diligentia, fides, integritas in aliis hujusmodi Collegiis et in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta, idem Collegium, atque Scholares illius, Presbyterorum, sicut adhuc fuit, regimini, institutioni, doctrinae atque prudentiae eadem auctoritate etiam perpetuo subjicimus" Bull. Rom VI: p. I. pag. 57. Rom.

hi in Deum ducuntur. Haec iterum pia in Deum affectio ea in mensura crescit, animumque replet, zelo inflammat et fervore, qua cor hominis a mundo sejungitur, Deoque firmius jungitur; quod efficere ars est solitudinis illius sacrae, in quam modo peculiari sacerdotes ducere S. Ignatius docuit exercitiis suis, quae innumerabiles cum jam coelo pepererint cives, vix si non aliquo charactere inspirationis divinae gloriantur. Potentia, quam admirabili vi fervoris divini contra portas inferi, se irremisso impetu oppugnantes, nacti sunt Societatis Jesu filii, e latice promanant exercitiorum S. Ignatii. His enim in piis meditationibus acuitur ingenium, firmatur animus, nutritur voluntas, inflammatur zelus, vimque ad ardua quaeque pro gloria Dei perferenda aquirit pectus singularem. Per exercitia haec magni et admirabiles evasere Jesuitae in suggestibus sacris, in cathedris Doctorum, in sedibus Confessionum, in fatigiis periculisque Missionum; his nutritos Alumnos quoque suos, zelosos effecerunt animarum pastores, quos ex fructibus cognovit mundus, quod essent sacerdotes secundum cor Dei, charactere sacerdotali firmi, doctrinis et erroribus variis non facile seducibiles, quod non essent arundines vento agitatae, non prophetae hujus saeculi, dicentes bonum malum, et malum bonum, verum spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes [1]).

Si jam prima qualitas Sacerdotum Domini fides est, quae per charitatem operatur, alia certe scientia est; labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, et lex procedit de ore ejus [2]). Sacerdos, qui cuilibet poscenti paratus esse debet rationem reddere de illa, quae in ipso est, quamve profitetur fide ac spe, scientia imbutus esse debet, scientia non qualicunque, sed scientia sanctorum, scientia

---

[1]) Rom. XII. 11.
[2]) Malach. II. 7.

modesta, quae non inflat, scientia pura, quae non inficit, scientia vera, quae a Deo non abducit, scientia sacerdotali, quae omnia spiritu religioso scrutatur, fide apprehendit, spe fovet, charitate digerit. Talem autem scientiam Alumnorum animis instillare Jesuitas optime potuisse, cuilibet patebit, qui rationem, atque institutionem Studiorum Societatis Jesu penitius scrutatur [1]). In Theologia docuerunt S. Thomam, virum hunc Ecclesiae non solum sanctum, sed profecto doctissimum etiam, qui admirabilem eruditionem suam a pedibus Crucifixi hauserat, quam Ecclesia probavit, semperque commendavit. Ad doctrinam viri hujus profundi penitius intelligendam apud Philosophos praemitti solebat Aristoteles, juvenesque intra limites rationis humanae rectum cogitandi, ac ratiocinandi modum erudiebantur. Quae methodus certe longe magis favebat ipsis adeo dogmatibus, magisque practicos in scientia sua reddidit scholares, quam methodus per omnia speculativa, quae limitatae mentis humanae quasi oblita, ea quae Dei sunt, curiose scrutatur, terminisque ac formis verborum hiatum supplere nititur, quem, via positiva neglecta per evagantem volatus transcendentis speculationem in animis relinquit. Sicca Philosophiae themata amoeno concertationis involucro condere, per concertationes has scientificas in ludis litterariis ingenia discipulorum acuere, eos in inveniendo promptos, in exponendo faciles, in propugnando ingeniosos reddere; loca, temporaque disputationum solennia facere, aemulationem, magnum hoc perfectionis ulterioris incitamentum excitare, moderari, et in optimos fines convertere, Jesuitae tantopere intellexerunt, ut invida solum malitia, aut ignara Methodicae, ac Paedagogicae genuinae simplicitas id negare valeat.

---

1) Legi potest in opere: „Corpus Institutorum Societatis Jesu“ opus hoc celeberrimum, hodie jam rarum in optima editione Pragae anno 1757 prodiit, ast exemplaria editionis hujus rarissima sunt. Nos editionem Antverpiensem de anno 1709 possidemus in II Tomis, unde etiam loca citamus.

Quantum denique ad tertium vitae sacerdotalis fundamentum attinet, illud in disciplina salutari conspicitur. Disciplina conservat individua, atque ex individuis coalescentem totam qualemcumque societatem; absque hac ruit omnis, sanctissima licet institutio. Molimina revolutionaria, corruptio, mirias peccatorum ad radicem crescit eversae disciplinae! Teste enim historia generis humani, a creato primo homine vox omnium seductorum una fuit „inobedientia", quae ceu scintilla libertatis effrenatae, passionum ventis objecta, ac ultra disciplinae limites exardescens, mox coelum petebat furentibus flammis suis, pridemque consumsisset filios peccantis Adami, ni benigna manus Omnipotentis illam repressisset. Effraenorum ergo moliminum moderatrix disciplina quasi altera natura Clericorum sit opportet. Et hanc Alumnos Ecclesiae docere quis potuisset rectius, si non membra Ordinis illius, cujus disciplina phalanx semper fuit inimicis insuperabilis; qui multis quidem virtutibus eminebat, sed cujus virtus praecipua obedientia erat, humilis haec filia disciplinae sanctae. Mens illa fuit fundatoris Ordinis hujus, ut membra ejus ab aliis religiosis ordinibus facilius se superari patiantur jejuniis, vigiliis, victus cultusque asperitate; in obediendo tamen, abdicatione item voluntatis atque judicii prae omnibus emineant, hacque nota distinctiva Ordinis sui insigniti, omnia pro nomine, et in nomine Jesu linquere sint semper parati, utque membra Ordinis hujus nunquam intuerentur personam ipsam cui obediunt, sed in ea Christum Dominum cujus causa obediunt [1]). Personae ergo Superioris obedientiam perfectam exhibendam esse, regula ordinis hujus praecipit, obedientiamque sic praescriptam membra ejus strictissime tenebant semper, factique sunt celeres in exequendo, celebres in obtemperando, humiles in gloria, fortes in rebus arduis — sine molestia.

---

1) Epist. S. Ignat. ad frat. in Lusit. 1553. Corp. Inst. S. Jesu I. 614.

tarditate, lassitudine, obmurmuratione, excusationibus, aliisque omne meritum pretiumque obedientiae extenuantibus vitiis.

Ex quibus apparet, quod cura Collegii, sive pietatem, sive studia, sive disciplinam Alumnorum spectemus: in manibus Patrum vi instituti Ordinis sui optime locata fuerit. Nec spes expectationem fefellit; creverant enim Alumni in virtutibus sacerdotalibus in viros perfectos, euntes de virtute in virtutem, et semina ab iis jacta hodie etiam laudat Ecclesia.

Accedit insuper, quod cura Patrum Societatis Jesu materiali etiam Collegii incremento multum profuerit. Qui enim Collegio praeficiebantur Superiores, e fisco ejusdem nihil praeter victum et vestitum perceperunt, et tamen si de juribus aut emolumentis Collegii agebatur, ea tuiti sunt fortissime, administrabantque peculium Collegii fidelissime. Archiva Collegii fasces exhibent processuum, quos Regentes Collegii in bonum domus jam cum publicis Magistratibus, jam cum privatis ducebant, quosque fere usque ad unum lucrabantur, influxu suo ab aula altissima per omnia fora potentissimi, rerum agendarum dexteritate sagacissimi, in demulciendo animos vere admirabiles! Nullum ex diversis Collegii Capitalibus tanta aetate, tamve turbulentis temporibus periit, imo industria Regentum Summas capitales 16000 fnis auxit, molemque Collegii, quin fundum imminueret, e fundamentis tam solide erexit, ac si illam aeternitati tradere decrevisset. Mundities et nitor, quem externa non minus, ac interna Collegii facies referebat, in historia Collegii repetitim laudatur; supellex sacra et profana in inventario domus occasione resignationis Collegii consignata, laudi caedit Regentibus. Vix praeterea unus alterve elapsus est annus, quin zelosi Regentes e collectis per diversos Maecenates nummis non aliquos in itinere Romam ad Collegium Apollinare juvissent, sumptus disputantium in actibus

scholasticis liberaliter e conquisitis pecuniis tegendo, ad lauream obtinendam promovissent.

Has Societati Jesu ob regimen Collegii Pazmaniani per quatuor et decem fere decades annorum salubriter tentum dum grato pectore reddimus laudes: una fatemur, non praeconceptis affectibus infascinatos nos agere velle ejusdem encomiastas; nec enim diffitemur, naevos ipsorum quoque regimen habuisse. Ast vero ea est rerum humanarum conditio, quod eae absolute perfectae nunquam dici possint, omniaque, quae saeculorum decursu vertuntur fata, sua numerent culminationis quoque puncta. Cur ergo sola societas Jesu, etsi sub potentissimo nomine Salvatoris coadunata, societas tamen ipsa quoque humana, tanta praerogativa inerrantiae gaudeat, quae solis rebus divinis propria est? sufficit eam perfectione longissime superasse quam plurima instituta, quae saecula pepererunt; sufficit eam produxisse tanta taliaque molimina, quae sine admiratione ringentes ira ipsi adeo inimici conspicere nequeunt. Facta eorum loquuntur, quae negare velle aut turpis invidia, aut corruptus vitio genius, aut superba stultitia esset.

Magnifica Patriae nostrae artium, ac architecturae monumenta, refertarum Bibliothecarum volumina, fidei nostrae catholicae incrementa, testes meritorum hujus Ordinis sunt perennes! In obversum tantorum meritorum vereatur crisim praecipiti impetu proferre posteritas, asserendo hodie, Societatem Jesu haec et haec convenientius sic aut sic agere potuisse aut debuisse; salebrosam illa prima calcabat viam, dum vestigia ejus hodie nos commodo calle tenemus, e horreis adjuti paratis, in quae illa fructus laborum suorum congesserat.

Ad exactam fidei historicae veritatem decursu narrationis nostrae non dissimulavimus frequentiores sub regimine Jesuitarum inter Alumnos emergentes simultates, motusque haud leves, qui eorum regimen arguunt, quive

cum initio saeculi decimi octavi orti ad finem usque recruduerunt. Si causas harum contentionum quaeramus, ultro fateri cogimur, frequentes Rectorum mutationes, per annum aliquando quaternis etiam vicibus recurrentes, Directorem Spiritualem distinctum, ac in domo residentem sero, post unum saeculum solum constitutum, Praefectos studiorum e numero Clericorum fere semper delectos, annis singulis alios; Regentes saepe per menses ad alia negotia tractanda aliorsum evocatos, et quae sunt similia, causam tumultuum fuisse. — Omnis enim, qui scientiae paedagogicae lineamenta delibaverat, non ignorat, momentum primum educationis esse Alumnum cognoscere; cumque latibula cordis infinita saepe sint, longo studio, assiduaque observatione id obtineri; fiducia enim, quae sola pandit abscondita sensa cordium, non aliter, quam assuetudine excitatur; ut adeo frequens superiorum mutatio influxum in animos Alumnorum praepedire debuerit, in iisque sensa, disciplinae non faventia diu latere, atque maturata tandem sub concursu adjunctorum cum vehementia quadam erumpere fecerit, facile praepedienda, si ea per fiduciae influxum mature supprimi in animo potuissent. Quod eo magis necessarium erat inter juvenes, quos non soli Regentes delegerant, verum qui a Patronis suis missi, natura aliquando ferociores in Collegium venerant, aut Patronorum suorum favore freti, jugum disciplinae se impune excutere posse sperabant. Nec tamen diffitendum est, ex hac ultima potissimum causa sub talibus etiam Regentibus motus excitatos fuisse, qui longa annorum serie Collegio praeerant, omnibusque versati paedagogi qualitatibus gaudebant; dolendumque sane, quod tales Patroni frequentes fuerint, magis Clientum suorum, commoditatem vitae anhelantium querelis, quam Regentum verbis fidem adhibentes. Et jacta sic semel discontenti animi semina centies suppressa, iterum recruduerunt. Accessit insuper spiritus

aevi, qui in doctrina ac disciplina Jesuitarum obices sibi poni persentiscens, qua suspicionibus, qua mendaciis existimationi Ordinis Jesuitarum omni studio detrahere in dies magis conabatur, multosque corrupit praepotentis Jesuitarum magnitudinis invidos, qui dein late serpens, felicem eorum progressum prout in aliis multis, in educatione quoque impedivit.

Nihilominus tamen, qualescumque fuerint naevi, qui educationi Jesuitarum objici possunt, quantuscumque fuerit livor, quem successibus laborum suorum Ordo concitavit, quantaecumque fuerint recrudescentes inter Alumnos de tempore in tempus motus domestici: negari tamen nequit, incomparabiliter ampliora fuisse illa bona, quae Jesuitae in domo hac Ecclesiae et Patriae hungagaricae produxerant. Hinc si jam octuaginta octo illa Seminaria, quae in statu florenti Ordinis gubernio ac directioni Jesuitarum concredita erant, per latum quo patet orbem, grata memoria recolunt hos Magistros quondam, ac Educatores suos: non minori gratitudinis sensu fida tenet memoria merita eorum Collegium illud quoque, quod immortalis Pazmannus manibus eorum tradidit. Nam e longa serie eorum, qui in subselliis Ecclesiae enituerunt, cathedras doctrina sua ornarunt, eloquentia, fide et fervore suo plurimas Christo animas adduxerunt, quive in factis suis vivunt, nec unquam e memoria delebuntur hominum, quorum stupenda largitate exsurrexerunt Templa, Monasteria, Scientiarum palestrae, Nosocomia, et quocunque nomine veniant pia instituta, quive e scholis, institutisque ut plurimum Jesuitarum prodivere: multos sane e serie hac splendida suos numerat Collegium Pazmanianum quoque, cui moderando Ordo selecto studio optimos virorum suorum semper praefecerat. Ex his aliquos solum adferre, valde convenit sensui gratitudinis, quo eorum memoriam prosequimur. Ordimur autem mox a primo Regente. Henricus hic fuerat Lamormaini, vir

linguarum peritia, et longa triginta annorum experientia in moderandis poenitentium conscientiis clarus, qui Alumnos tum in via perfectionis manuducere, tum eos artem semet in tribunali Conscientiae gerendi edocere novit. Martinus autem Szentiványi alter ex Regentibus, stupendus quinquaginta fere operum auctor certe utilem in diversissimis scientiarum objectis eisdem communicandis, impendit operam. — Porro Joannes Ketskeméthy, celebratissimus aevi sui orator artem dicendi eos edocuit. Gabriel autem Hevenessy, perpetuus hic Sanctuarii ac tabulariorum incola, vir una angelicae innocentiae, vastissimaeque eruditionis, venerabilia antiquitatum monumenta, immenso noctis dieique labore e tenebris a se eruta, pandebat, seque rarum asceseos speculum eis palam exhibebat. Jus sacrum docere eos potuit Laurentius Tapolcsányi, vivum hocce circa quaestiones implicatissimas ipsorum Praesulum oraculum. His accessere Stephanus Dobner, et Joannes Szegedy, juris civilis magistri doctissimi. Nicolaus Hrabovszky in cura pastorali victima charitatis aegrotis et afflictis impensae; Stephanus Raab, „consummatum virtutum exemplar"; Mathias Pock, „vir singularis prudentiae" passim vocatus, Antonius item Vánossy „vir totius Societatis judicio magnus" compellatus; et qui agmen Regentium clauserat, Joannes Prileszky, vir doctrina non minus, quam sanctitate conspicuus, complurium operum patristicorum scriptor. — Praeter hos eminentiores e numero Regentium, fuere Directores Spirituales: Franciscus Kazy de historia Regni Hungariae bene meritus, Carolus Péterfy Conciliorum in Hungaria celebratorum collector doctus, Nicolaus Schmitth vitae Praesulum Strigoniensium, et Agriensium scriptor magni aestimatus, ac tandem, ne plurimos adferamus, Franciscus Faludi et Martinus Cseles Cicerones hi hungari passim laudati [1]) cum

---

[1]) Vide de his et reliquis, Scriptor. Prov. Aust. S. J. a. J. Stoeger Vien. 1856 sub suis titul.

plurimis Directoribus Collegii Spiritualibus, qui jam Exegeseos sacrae, jam Dialecticae, jam Ethicae ad Universitatem Magistrorum munere simul fungebantur, quive scientiam pietatemque suam longo studio, assiduoque exercitio partam Animis Alumnorum suorum impigro conatu implantare adnisi sunt, ut cor horum viva efficeretur bibliotheca Christi. Atque cum hoc eorum semine permanent bona, et haereditas eorum apud Dominum in aeternum!

Patres igitur Societatis Jesu, ita disponente Archi-Episcopo Strigoniensi Francisco e Comitibus de Barkóczy a regimine Collegii recesserant; quid autem Archi-Episcopum ad illos removendos moverit, quibus modis assensum Augustissimae Imperatricis ad hocce factum impetraverit? dici certo nequit; secreto enim agebantur omnia, nec ulla in Archivo Collegii supersunt documenta, quae lucem huic facto praebere possent. Id certum est, anno 1761° die 31ª Octobris Viennae comparuisse Deputatos Archi-Episcopi, ac sua forma omnia Collegii bona mobilia et immobilia e manibus Regentis recepisse. Instrumentum Resignationis quatuordecim titulos complectebatur: 1° Capitalia et Census Collegii. 2° Documenta literaria in Archivo Collegii existentia. 3° Debita activa et passiva. 4. Supellectilem sacram. 5. Bibliothecam. 6. Vinum et Cellaria. 7. Supellectilem laneam et lineam. 8. Supellectilem mensalem ex aere, stanno, ferro, testa, vitro. 9. Supellectilem cubiculorum, Musaeorum, Dormitoriorum. 10. Supellectilem culinae, dispensae, et contra incendia. 11. Aedificia et hortum Collegii. 12. Familiam domesticam, ministros et opifices. 13. Supellectilem graduum B. M. V. 14. Praesentem pecuniam in aerario Collegii, Romipetarum, et graduum B. M. Virginis; ac demum ita concludebatur „Ad mandatum Celsissimi Domini Primatis Archi-Episcopi Strigoniensis Anno 1761° die 31ª Octobris Collegium Pazmanianum Clericorum Vien-

nae fundatum, in statu hic descripto, cum omnibus rebus in Inventario praesenti contentis, Celsissimo ac Reverendissimo Domino Primati Principi Archi-Episcopo Strigoniensi Francisco e Comitibus Barkóczy de Szala, a Societate Jesu resignatum, et per suae Celsitudinis Deputatos infrascriptos receptum est. In fidem manu propria subscripsimus et Sigilla nostra appressimus. Viennae anno et die ut supra. Franc. Comes Berchtoldt, Can. Strig. Deputatus suae Celsitudinis m. p. (L. S.) Georgius Richvaldszky, Suae Celsitudinis a Latere Can. m. p. (L. S.) Josephus Grundl, Caes. et Acad. S. J. Collegii Rector m. p. (L. S.) Joann. Bapt. Prileszky, e S. J. Collegii Pazmaniani Regens m. p. (L. S.)" Tenore hujus resignatorii Instrumenti habuit Collegium Capitalia activa 203812 fn.; et debita 4800 fnos, quos Regens Collegii 1759 ad praestandum mutuum ab Augustissima Imperatrice imperatum a Venerabili Capitulo Strigoniensi levare coactus fuit. Istrumentum autem ipsum Inventarii propria resignantis Regentis manu conscriptum in Archivo Collegii existit [1]).


---

[1]) Numerabat Archi-Dieocesis Strigoniensis, quorsum Collegium Pazmanianum spectabat, temporibus his adhuc educationis instituta: 1⁰Antiquissimum Seminarium Tyrnaviae a Nicolao Oláho 1565 fundatum sub nomine S. Stephani. 2⁰ Seminarium S. Adalberto, Patrono Archi-Dioecesis Strigoniensis inscriptum; quod Petrus Pázmány anno 1619 Tyrnaviae erexit. 3⁰ Collegium generale Cleri junioris Hungariae ibidem anno 1648 a Primate Georgio Lippai, concurrentibus Praesulibus Hungariae erectum, etiam Collegium Rubrorum nuncupatum a veste rubra Alumnorum, qui sub lege Collegii Appollinaris Romani vivebant. 4⁰ Seminarium Marianum ibidem, a Georgio Szelepchényi 1678 fundatum, pauperibusque ac filiis haereticorum destinatum. 5⁰ Collegium Clericorum Budae a Georgio Széchenyi 1678 erectum, iisdemque cum Collegio Pazmaniano legibus provisum. 6⁰ Seminarium S. Emerici Posonii, ab Emerico Lósy Primate pro 12 Alumnis anno 1638 fundatum, ut hi Capitulo Collegiato inservirent, seque pro studiis philosophicis ac theologicis praepararent. — Omnia haec educationis instituta, si ultimum demas, sub moderamine Patrum Jesuitarum constituebantur. „Gentis enim hungarae antistites — ut ait Julius Cordara Hist. Soc. Jesu Rom. 1750 — cum ad deliberandum convenissent de re communi, ac de modis praesertim reparandae religionis, primum omnium multiplicanda censuerunt toto regno Collegia Societatis Jesu, idque in gratiam scholarum maxime, quorum disciplinam ipsimet laudabant haeretici." — Cf. Cretineau Joly histoire de la Compagnie de Jesus Paris 1845; et in idiomate germanico Viennae 1847 Vol. 4. — Quoad Seminaria Tyrnaviensia: Lányi, Cath. Clerus érdemei Posony II. 69. Cherrier a magy. Egyház története Pest, 1857 p. 454. Kazy Hist. Univ. Tyrnav etc.

HISTORIA COLLEGII PAZMANIANI.

PERIODUS SECUNDA.

AB ANNO 1761 USQUE ANNUM 1813.



COLLEGIUM TYRNAVIAM TRANSFERTUR.

Collegium Pazmanianum e manibus Societatis Jesu recipere, non unicum decretum fuerat Primatis Francisci Barkóczy; longe majora ille mente volvebat, dum in Archi-Episcopum Strigoniensem designatus, ante installationem suam pluribus mensibus Viennae morabatur, illucque post installationem suam Tyrnaviae maxima cum pompa die 21[a] subsecutam iterum revertebatur. Decreverat nempe animo Collegium a Societate Jesu recipiendum Vienna Tyrnaviam, inde Strigonium postea transferre, quorsum Tyrnavia sedem etiam suam Archi-Episcopalem una cum Capitulo, ceu nativum solum reducere ardentissime desiderabat. Intentionem attamen hanc adeo celabat, ut consilii hujus conscium habuerit neminem praeter Georgium Richvaldszky Secretarium suum, e Canonico Agriensi secum ad stallum canonicale Strigoniense translatum. Quo autem magis intentionem hanc suam occultaret: Comitem Franciscum Berchtoldt Canonicum Strigoniensem Tyrnavia Viennam illo sub praetextu evocat, ut Collegium Pazmanianum a Jesuitis reciperet, eumque deinceps Praefectum Collegii constitueret, jubens

Dispositiones occultae circa hanc translationem.

simul, ut Vicarius Generalis huic sacerdotem aliquem pro moderandis Alumnorum conscientiis adjungeret. Delecto pro hoc quoque munere Josepho Katona parocho Alistalensi, hic cum Praefecto, mox indicato, Viennam appulit, ac in Collegio sedem fixit. Vix attamen hi aliquot diebus ibidem morantur, dum Archi-Episcopus eisdem consilium suum de transferendis cum fundatione pazmaniana Alumnis in Seminarium Tyrnaviense aperit, seque pro actu hoc suscipiendo annutum Augustissimae Imperatricis obtinuisse clare significat, strictissimo caeterum eis imposito mandato, ut de decreto tali silentium altissimum servarent. Timebat quippe Archi-Episcopus omnes suos conceptus de transferendo Collegio mature evertendos, si intentio sua in vulgus nota fieret. Adveniente post factas in occulto dispositiones die 4[a] Novembris, ad vesperas ejusdem Praefectus supra fatus Comes Franciscus Berchtoldt portas Collegii omnes claudi, clavesque ad se deferri jubet. Tunc congregatis in unum omnibus Alumnis, idem Praefectus voluntatem Archi-Episcopi patefacit, ordinatque, ut singuli res suas componant, die sequenti ad auroram iter Tyrnaviam versus ingressuri. Quibus jussis conformiter inter commoti animi sensa peractis, illucescente vix sequenti die, 5[a] nempe Novembris, ad paratas in canali Danubii naves longa serie Alumni descendunt, ac secundo Danubio una cum rebus suis, utensilibusque Collegii, Posonium veloci remigio deducuntur. Stupebat e somno levata urbs, vacuum incolis contuens Collegium, quos centum triginta et octo annorum longo decursu spectare asvevit; rumor autem disparentis quasi uno ictu decorae juventutis hungaricae, rapido volatu totam permeavit urbem, dumque causae transitus tam celeris ignotae essent, suspiciones res concitavit diversissimas.

Longe autem amplius commovebat animos factum hoc in Hungaria. Capitulum Strigoniense, quod de jure

notitiam tam singularis tamve magni momenti actus sibi vindicare debebat, consilium Archi-Episcopi penitus ignorabat; dumve Alumnos Collegii Pazmaniani omnes Tyrnaviam ingressos cerneret, attonito haesit animo. Episcopi suffraganei rei novitatem inaudientes, dolorem simul atque resensum palam monstrabant. Ubique stupor, ubique moesta quedam agitatio tenebat animos, ubi fama Collegium Pazmanni Viennense sublatum clamabat; cuncti enim velut asylum juventutis sacrae spectabant ab olim Collegium illud, quod immortalis Pazmannus sagaci mente saeculorum revolutiones praevidens, in spem Ecclesiae Hungaricae Viennae erexerat; omnes recenti memoria tenebant adhuc tempora, dum hoste ethnico totam pene Hungariam depopulante, prostratae vineae Dominicae zelosos operarios solum fere Collegium hocce submiserat, quod in ruina tam late patente in Metropoli Imperii solum valebat adhuc educare juvenes ad ministerium altaris. Toties igitur cum partim per Muhamedanos, partim per insurgentium Rebellium cohortes, partim per violentiam haereticorum inductae in Ecclesiam hungaricam inopiae sacerdotum, per Alumnos suos succurrerit Collegium Pazmanianum: nunc temporibus semper adhuc inquietis, imo paria cum prioribus Ecclesiae ac Patriae pericula minantibus, Collegium etiam hocce Sacerdotum sufferebatur; sicque spe optima frustrabatur Hungaria, imminuendas nefors acies operariorum Domini exaequandi.

Alumnis Collegii Pazmaniani una cum Fundatione Tyrnaviam ad Seminarium generale Cleri Hungariae translatis, idem Archi-Episcopus cum Episcopo Zagrabiensi Francisco Thauszy de aedibus Collegii, deque domo vicina Mons aureus dicta Clericis Dioecesis Zagrabiensis resignandis tractare coepit, easdemque tandem quadraginta septem millibus florenorum vendidit. Confirmatur hoc literis obligatorialibus Joannis Bapt. Paxy

Collegium Croatis venditur.

Praepositi de Albei et Csazma, Canonici Zagrabiensis, qua in hoc merito Procuratoris plena potestate instructi 23ª Januarii 1762 exaratis, e quibus patet, praedictam quadraginta septem millium florenorum summam sic promissam, stipulatamque fuisse, ut anno eodem 1762 mense Majo septemdecim millia, et subsequis tribus annis decem et decem millia florenorum eodem mense dependantur.

Hortus in censum elocatur.

Hortus vero Collegii extensionis fere quinque jugerorum, undique muro cinctus, arboribusque obsitus, domum cum quindecim cubilibus spatiosis complectens, cum nemini, qui plus quam septem mille florenos pro illo obtulisset, vendi posset, sic jubente Archi-Episcopo in censum elocatus fuit, hortus quidem erga annuum 120, domus lotricis erga 30, domus autem in horto major erga 90 fnorum censum, pro quinque annis.

Cancellarius hungaricus de consensu Capituli in translationem et venditionem Collegii sciscitatur.

Collegium igitur Pazmanianum incolis suis orbatum, Dioecesique Zagrabiensi venditum, destinationem suam nomenque amisisse videbatur, nec facile restituendum amplius credebatur, dum repente mors Archi-Episcopum Strigoniensem Comitem Franciscum Barkóczy anno 1765 die 18ª Junii e numero vivorum evocaverat. Eo vix fatis suis cedente, jam die 1ª Julii 1765 a Cancellario hungarico sequentis tenoris literae sunt ad Capitulum Metropolitanum Strigoniense dimissae: „Ex quo V. Capitulo optime alioquin constaret, quod bonae memoriae recenter defunctus Dominus Princeps et Archi-Episcopus Strigoniensis non multo postquam dignitatem hancce suam auspicatus fuisset, hujatem fundationis pazmanianae domum in 47 millibus vendiderit: sua porro Majestas Sacratissima benignissime super eo, num videlicet ad praemissam talismodi venditionem positivus Ejusdem V. Capituli quoque consensus accesserit, et quo antelata 48 millium florenorum summa devenerit, quemve in finem conversa fuerit, informari cuperet: pro eo idipsum V. Capitulo de Benigno Jussu regio per praesentes officiose significare

habui, quo me super praemisso utroque Suae Majestatis Sacratissimae Benigno desiderio proximius genuine certiorem reddere dignetur. Viennae 1ª Julii 1765. Com. Franciscus Eszterházy" [1]).

His perceptis Metropolitanum Capitulum Strigoniense, quod translationem Collegii absque consensu suo factam dudum aegerrime ferebat, mox responsum dederat Cancellario, adjectis supplicibus ad Imperatricem quoque literis, quibus Collegium Pazmanianum illegaliter translatum, venditumque loco suo pristino restituendum, una vero contractum venditionis altissima auctoritate rescindendum enixe flagitabat.

Cancellarius Capitulo Strigoniensi nunciat factam venditionem Collegii altissima resolutione rescindi.

Cancellarius Capitulo mox respondit, et quidem praemissis praemittendis in huncce modum:

„Siquidem Sua Majestas Sacratissima pro Regio Apostolico munere suo, quamvis piarum Fundationum inspectionem sibi benigne reservatam habens, eo vel maxime intenta sit, ut illarum debita et Fundatorum instituto conveniens, conformisque conservatio, et administratio semper habeatur, neve ullum praejudicium aut aggravium, tanto minus ultima desolatio iisdem inferatur. — Hinc eo etiam in Clementissimam reflexionem sumto, quod — Archi-Episcopus Barkóczy — Junioris Cleri Alumnis hinc praevio modo Tyrnaviam translatis, subseque Collegium quoque eorundem hic Viennae habitum, citra consensum praetitulatarum D. Vstrarum, et neque Dominis Dioecesanis Suffraganaeis, quorum beneficium respective eidem Fundationi etiam involveretur, praevie auditis, antelato Domino Episcopo Zagrabiensi, pro quadraginta septem millium florenorum summa vendiderit, abalienaveritque, Sua Majestas Sacratissima factum hoc, veluti Benigno Regio Annutu, omnique legati solennitate, et validitate destitutum, ac insuper ipsius quoque

[1]) Ex Arch. Cancell. hung. aul. 1765 Jul. Nr. 95.

Fundatoris expressae menti contrarium, Ecclesiae autem et toti Clero dictae Archi-Dioecesis, ac in sede Archi-Episcopali futuris successoribus summe praejudiciosum, ex suprema potestate et auctoritate sua Regia penitus annullare atque Fundationem Pazmanianam, juxta illius instituti tenorem, rursus Viennam reducendam Clementissime resolvere, utque Cancellaria Regia Hungarico Aulica cum praedicto Domino Episcopo Zagrabiensi, qua emptore rem hanc totam, tam de meliorationum videlicet, si quae intercessissent, quam etiam expensarum compensatione, nec non de remunerationis quanto componat et pertractet, benigne jubere dignata est." — Addidit dein idem Cancellarius Franciscus Eszterházy, de subsecuto hoc decreto Imperatricis Episcopum Zagrabiensem jam certiorem redditum, provocatumque fuisse, ut fine tractandorum circa resignationem Collegii Pazmaniani cum Capitulo Strigoniensi negotiorum, Deputatum suum omnimode instructum Viennam mittere velit, ut totum coordinandum negotium altissimae decisioni ocyus substerni valeat; quae etiam Mense Novembri 1765 subsecuta est, Collegiumque Pazmanianum erga repersolvendos emptionis et meliorationis sumptus, intra sex menses reddi jubet in hunc modum:

Literae Suae Majestatis in hoc merito ad Capitulum Strigoniense.

Maria Theresia etc. Honorabiles Fideles Nobis Dilecti! Quandoquidem Fundationem Pazmanianam per ultimo defunctum Archi-Episcopum Strigoniensem Franciscum e Comitibus Barkóczy Tyrnaviam translatam, abinde juxta Instituti illius tenorem rursum huc Viennam reducendam, subsequenter Domum etiam seu Collegium Pazmanianum Episcopo Zagrabiensi pro parte Dioecesis suae Alumnorum divenditum, per eundem, erga effectivam ipsi praestandam totalis pactati emptionis pretii quadraginta septem millium florenorum renumerationem, ac praeterea impensarum medio tempore in meliorationem et conservationem aedificii factarum, bonificationem, ad summum intra sex mensium spatium dictae fundationi pazmanianae effective restituendum et remittendum clementer resolvimus. Hinc quemadmodum Benignam hanc Resolutionem Nostram ipsi quoque antelato Episcopo Zagrabiensi, sub hodierno Clementer notam facimus, ita eandem Vobis etiam pro ulteriori directione Vestra hisce benigne significantes. In reliquo gratia Nostra Caesareo-Regia benigne propensae manemus. Datum in Archiducali Civitatae Viennae Austriae

die 14 Novembris anno 1765. Maria Theresia m. p. Com. Franciscus Eszterházy. Franciscus Skerlecz m. p. [1]).

Metropolitanum Capitulum accepta altissima hac resolutione, anno adhuc eodem de gremio suo Raphaelem Szentiványi Viennam dimisit, atque negotium de restituendis quanto ocyus domibus cum Croatis tractandum, eidem concredidit. Ast vero tam graves obortae sunt circa negotium hocce difficultates, ut Deputatus Capituli incassum tentaverit in obversum praetensionum, omnem justi mensuram excedentium amica via rem cum Croatis componere. Novo igitur recursu ad Suam Majestatem opus erat, ut altissima sua auctoritate praetensionibus et tergiversationibus Dioecesis Zagrabiensis modum poneret. Neque recursus effectu carebat. Tenoris enim sequentis literae ad Capitulum Strigoniense sunt iterum e loco Altissimo dimissae: Tentamina recipiendi Collegium a Croatis.

Maria Theresia etc. etc. Quandoquidem benigna mens et intentio Nostra ulterius etiam ea foret, ut Collegium Pazmanianum per ultimo defunctum Primatem et Archi-Episcopum Strigoniensem Episcopo Zagrabiensi, ejusdemque Capitulo venditum, Archi-Dioecesi Strigoniensi denuo cedatur, et per eundem Episcopum Alumni Croatici in domum, quam prius inhabitarunt, reducantur. Quemadmodum proinde in ordine ad id, ut praeattacta cessio, et respective reductio absque illius detrimento peragi possit, clementer velimus, ut tam per antelatum Episcopum, quam et ex parte Vestri aliquis Plenipotentia munitus pro die 10ª proximi mensis Februarii huc mittatur, in cujus utriusque Plenipotentiarii praesentia sumptus ad restaurationem, instructionemque Collegiorum requisiti per artis peritos calculentur, ac circiter determinentur, unaque dignoscatur, qualiter et unde expensae subministrandae sint? Ita etiam Vobis harum serie Clementer committendum esse duximus, quatenus finem in praemissum, aliquam ex parte Vestra sufficienti Plenipotentia instructam personam, pro praescripta die horsum exmittere debeatis. Veluti id ipsum antelato Episcopo sub hodierna pariter benigne jam significavimus. Caeterum disponi benigne jam fecimus, ut illis, qui domum Collegii Croatici inhabitant, ex nunc contractus renuncietur. In reliquo Vobis Gratia Nostra Caesareo-Regia benigne propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate Nostra Viennae Austriae die 29ª Januarii Anno 1766º. Maria Theresia m. p. Com. Georgius Fekete m. p. Josephus Jablanczy m. p. [2]).

---

[1]) Ex Arch. Can. h. a. Novemb. Nr. 71. — Eppo Zagr. ibid. 70.
[2]) M. Archiv. C. h. a. Januar. Nr. 123, 124.

Croatae magnis praetensionibus receptionem. Collegii difficultant.

Capitulum Metropolitanum Strigoniense post hanc provocationem non cunctabatur Viennam iterum e gremio suo Comitem Franciscum Berchtoldt mittere: ast vero hic obortis jam prius difficultatibus, factisque praetensionibus alioquin ultra justi limites onerosis, novas easque ampliores adjectas maestus conspexit.

Existimarunt quippe Zagrabienses domibus Collegii bona fide emptis, in iisdemque per quadriennium possessis nihil porro juris Clero Strigoniensi remanere. At vero postquam Capitulum Strigoniense evidenter remonstrasset, denatum Primatem et Archi-Episcopum Strigoniensem Franciscum e Comitibus Barkóczy inscio Capitulo Clericos Pazmanitas, fundationemque transtulisse, eodemque invito domos quoque abalienasse; tunc postquam etiam de resignandis domibus mandatum regium supervenisset, nec ultro illarum resignationi obsistere potuissent: sumptus saltim in meliorationem domus impensos exaggerando, impedimentum ponere nitebantur.

Commissio regia ad controversiam dirimendam in hoc merito.

Cum enim adurgente potissimum Imperatrice Deputatus Zagrabiensis tandem animum adjecisset pro Alumnis fundationis croaticae in vicem evacuati Collegii Pazmaniani domum Tollbergianam ad „Albam rosam“ nuncupatam, iisdemque cum priori Collegio privilegiis ac immunitatibus e Clementia regia provisam pretio triginta millium florenorum emere: tunc nullis amplius tergiversationibus quidpiam opitulantibus, expensarum in restaurationem Collegiorum cum factarum, tum earum, quae praesuscipiendae instabant liquidatio et aestimatio sub praesidio Consiliarii unius aulici in diem 4^{am} Maji anni 1766 defixa fuit. Termino hoc adveniente Deputatus Zagrabiensis ad tegendas expensas in meliorationes Collegii Pazmaniani a Croatis factas, summam quindecim mille florenos excedentem postulabat. Summae hujus vix partem dimidiam aequitati respondere cognovit concertationis Praeses, Consiliarius aulicus; Deputatus autem Strigoniensis expo-

sitis fusa ac fundata argumentatione damnis, quae ipsi Collegio Pazmaniano per ablationem reductionemque Alumnorum, novam instructionem, et vel maxime per inquilinos rascianos, in aedes Collegii inductos inferabantur, non modo compensationi qualicunque exaggeratae contradixit, verum damna etiam Collegio illata in aestimatione decem millium florenorum e substantia posthuma Archi-Episcopi Francisci Barkóczy, alioquin piis finibus destinata, eidem Collegio per Clementiam regiam resarciri enixius orabat. — Opinionibus modo hoc non tam divergentibus, quam sibi mutuo oppositis, effectum est nihil, novaque post biduum conventionis tentamina ineunda decernebantur. Verum die hac adveniente, stupor occupabat omnia commissionis membra, dum Deputatum Zagrabiensem praetensiones suas ad viginti tria millia florenorum et amplius auxisse audiverunt, Deputato Strigoniensi in factas meliorationes non ultra bis mille florenos consensum praebente. Re tandem ad altius forum deducta, Clerus croaticus supra summam quadraginta septem millium florenorum, velut pretium redditae domus pazmanianae, alios octo mille florenos titulo factarum expensarum, die 16 Maji obtinuit, negotiumque totum controversum Imperatrix ad preces Deputati Strigoniensis in illum modum diremit, ut octo mille floreni fundationi croaticae, domos pazmanianas remittenti titulo indemnisationis, proque sumptibus in novam habitationem suam erogandis applacidati ex proventibus fiscalibus Archi-Episcopatus Strigoniensis actu vacantis numerentur; alia vero octo millia pro complemento quadraginta septem millium, pretii utpote Collegii Pazmaniani, fundationi croaticae renumerandi, ex substantia pie defuncti Archi-Episcopi Strigoniensis Francisci e Comitibus Barkóczy solvantur; quemadmodum etiam sumptus in restaurationem et instaurationem Collegii Pazmaniani cum omni parsimonia instituendam, et decem mille aut ad summum duodecim mille florenis

perficiendam ex eadem substantia Archi-Episcopi desumantur, et persolvantur [1]).

Tenore resolutionis hujus regiae triplex illa summa in simul 28000 florenos efficiens, a Consiliario Camerae regiae Francisco Török, ad manus Deputati Strigoniensis Posonii anno eodem exoluta fuit, nilque amplius obstabat, quominus Collegium Pazmanianum mox e manibus Cleri Croatici reciperetur. Neque tamen id facile successit. Clerus enim Croaticus expleto solum anno 1766 e domo exire intendebat, quo facto Clerus Strigoniensis illuc ad initium anni scholastici remeare haud potuisset. Noverat attamen cordatus Capituli Strigoniensis Deputatus, multumque de Collegio Pazmaniano meritus, primus per aliquot licet solum dies post Jesuitas Rector, morae hujus injiciendae opportunum remedium exquirere, mandatum eatenus a Praeside Regiminis implorando, quo accepto, Clerus Croaticus ultro cessit, et die 24ª Octobris ejusdem anni Collegium Pazmanianum reliquit.

Imperatrix dotem Collegii auget.

Ex omnibus hucusque narratis elucet Augustissimae Imperatricis et Reginae Mariae Theresiae de fundatione pazmaniana materna sollicitudo, et regia in restabiliendo ac instruendo Collegio hocce munificentia. Quamvis enim magna haec Domina in vota Barkóczyi ob rationes needum penitus cognitas consensum praebuerit, ut Collegium Pazmanianum Vienna aliorsum transferretur: consensus tamen hujus dati eam serius poenituisse zelus ostendit, quo illud revehere conabatur; factum item, quod recte ex caduca Antistitis illius substantia, qui Collegium sustulit, illud sublevaverit, dotaveritque. Nec enim contenta octo millia florenorum ex saepe fata denati Archi-Episcopi Francisci Barkóczy substantia Collegio in complementum summae Clero Croatico pendendae assignavisse, alios insuper 17500 fnos pro augenda dote ejusdem Collegii ex posthuma

1) Ex Arch. Canc. hung. 16ª Maji 1766, Nr. 163.

illa substantia addidit, consilio mota Francisci Török Consiliarii Camerae regiae, qui attenuatos restituti Collegii Pazmaniani proventus ex ore Comitis ac Canonici Berchtoldt intelligens, animum Imperatricis Collegio alioquin clementer propensum, ad actum hunc munificentiae permovit. Collegium igitur Pazmanianum, quod auctoritate Comitis Barkóczy Archi-Episcopi sublatum fuit, cujusque aedes jam divenditae etiam erant, non facile restituendum passim credebatur. Revixit interim post fatale lustrum repente, non tamen sine difficultatibus, iisque maximis. Opera enim monumentave saeculorum grandia, semel subruta, difficulter aut plane nunquam integritati restituuntur. Et tale opus grande erat Collegium Pazmanianum, quod cum optimos temporum decursu protulerit fructus, ignoratur, cur proprie Barkóczyus Antistes caeterum magnus, illud sublatum habere voluerit. Factum hocce tantopere mysticum, cujus causae in vulgus notae non sunt, cujus arcanum nec tabularia pandunt, nec traditio ulla explicat, facile sinistram interpretationem subire posset, ni literae quaedam adhuc superessent, quae rei huic dubiae tantillam lucem affundere queunt, quasve, cum incognitae adusque fuerint, pandere, aequitas piis Manibus Antistitis magni debita postulat.

Causa principalis sublati per Barkóczium Collegii indicatur.

Scripserat literas has Barkóczyus Imperatrici Mariae Theresiae occasione illa, dum census fundationis pazmanianae apud Status Austriae inferioris elocatae contributioni extraordinariae subjici intentabantur, orabatque, ut fundatio ab onere tali ultro immunis reliquatur, motivi instar sequentia subjungens verba: „Clementissime meminisse dignabitur Majestas Vestra, quod *inter alias* fundationis hujus Tyrnaviam translatae causas ea mihi fuerit *praecipua*, quod messis Dominica per Dei gratiam in dies crescens, sicut plures operarios poscit, ita numerum studentium Clericorum augere cogat. Impar vero huic augmento fuisset fundatio relicta Viennae, ubi et rerum ad usus vitae necessariarum

pretium est majus, et diversa tributa notabilem fundationalium censuum partem absumebant; cum e contra Tyrnaviae nec ulli publico tributo piae fundationes subjaceant, et victus amictusque sit parabilior, sed et praeterea vis fundationum unita visa sit futura ad emolumenta vel per hoc fortior, quod sub uno coco et foco, sub uno tecto et praefecto, sub una eademque familia omnes fundationes minore impendio gravantur. Ea industria etiam Clementissimo Majestatis Vestrae beneplacito adprobata tantum lucratum me fuisse experior, ut in generali Seminario Tyrnaviensi, cui fundationem pazmanianam inscripsi, pro anno sequente scholastico constituerim alere Clericos viginti plures quam hucusque fuerint intertenti, aliturus subinde adhuc plures, si vires fundationis admiserint" [1]. Ex quibus verbis patet, motivum saltim principale A-Episcopi Francisci Barkóczy tale fuisse, quod majus Ecclesiae emolumentum intendebat; reliqua quae fuerint? nuspiam deprehenditur. — Providentia divina caeterum mirabiliter disposuit, ut quod Barkóczyus vivus facere poterat, fundationem nempe magni antecessoris sui loco, quo sapientissimo sane consilio constituebatur, non movendo, sed adaugendo: id vita functus faceret, loco suo nativo restitutam fundationem Pazmanni e posthuma sua substantia vel invitus dotando.

Capitulum interim Metropolitanum Strigoniense, quod cura vere paterna rem Collegii suam fecerat, ad conservandam Clementiae hujus regiae memoriam, omnia benevolentiae in Collegium Pazmanianum testimonia in unum complectens, sequens pro Collegio eodem anno 1768° die 24ª Junii edidit statutum:

Statutum Vicarii Generalis de Benefactoribus Colle-

„Nos Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis memoriae commendamus significando, quibus expedit Universis. Quod exurgens e medio Nostri Reverendissimus

[1] 4ª Augusti 1763. Inter Corresp. eccl. in Arch. Cancell. hung.

Dominus Ladislaus Bányay, Abbas S. Michaelis Archangeli in Insula B. M. V. juxta Budam, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Lector, ac per Archi-Dioecesim Strigoniensem, sede Archi-Episcopali vacante Vicarius, et Causarum Auditor Generalis, Socius, alias et Canonicus Noster, fundationales quasdam in papyrum relatas, debito cum respectu Nobis exhibuerit, officiose Nos requirendo, ut eas Nostris insertas literis, ac authentico, eoque majori sigillo Nostro munitas, Eidem, et quorum intererit, pro futura jurium cautela, in triplici exemplari extradaremus. Quarum tenor talis est:

gii pia memoria recolendis.

Ad perpetuam memoriam praesentes exaraturus, dum Seminaria pro juniore Archi-Dioecesis Strigoniensis Clero fundata contemplor, repleor consolatione, superabundo gaudio, atque inter dulces lacrymas, gaudii magnitudine expressas, magnifico providentiam Dei miserentis, qui cor flexibile et ad excitanda Seminaria propensum tribuere dignatus est, non minus Principibus Terrae, quam Archi-Episcopis, quorum alii gloriosae memoriae Regum liberalitate usi, alii accisis reditibus, ad Archiepiscopalem mensam pertinentibus, insignia posteritati reliquerunt monumenta.

Postquam enim Concilii Tridentini decretum de forma erigendi Seminaria Sess. 23[a] Cap. 18[a] de Ref. conditum ad publicam Cleri Hungarici notitiam pervenisset, Nicolaus Oláhus, summus tunc Hungariae sive Strigoniensis Antistes, omnem curam, sollicitudinem, ac studium omne eo contulit, ut laboranti in Apostolico Regno rei catholicae opem ferre, et subintranti in charam patriam haeresi, jamque diffuse grassanti strenuos athletas opponere valeat; hinc coacta anno 1566° Synodo Dioecesana, Seminarium pro decem Clericis intertenendis erigere occeperat, ea lege, et conditione, ut pro illorum intertentione Ipse, ac sui in Metropolitana Sede successores de mensa Archi-Episcopali ducentos quinquaginta florenos, totidem item Capitulum Strigoniense annue, et in perpetuum dependeret.

Flagrantem hanc Oláhi non minus erga Deum pietatem, quam zelum, erga salutem ovium pastorali suae sollicitudini creditarum tantopere ferventem imitati sunt, quantum per temporum injuriam licuit, qui successive Ecclesiae Strigoniensi praefuerunt, effeceruntque, ne deessent in agro coelestis patrisfamilias operarii, qui zizania praesulibus non sane dormientibus, ast tristi clade ad Mohács exstinctis superseminata, vel evellerent, vel a tritico segregarent. Ampla namque pro educando et in spiritu roborando Clero erexerunt Seminaria, jam beneficia, tum regularia, tum saecularia, sive ecclesiastica, a gloriosis Imperatoribus et Regibus Hungariae impetrando, jam proprias facultates frugalitate partas, his pientissimis structuris in vivis vel post fata applicando; praesertim ab anno 1625°, quo gloriosae recordationis Ferdinandus secundus Imperator et Rex Hungariae ad demissas Hungarici Cleri preces de facultatibus decedentium praelatorum, edita Sopronii diplomatica Constitutione, clementer decernere dignatus est: quod superfuerit Mobilium cujuscunque generis, etiam Allodialium, ejus media pars in usum erigendi Seminarii, vel postquam Seminarium in statu perfecto fuerit, parochiis meliorandis seponatur.

Ab anno certe 1625° incredibilis Archi-Episcoporum in Seminaria effulsit beneficentia; omnes enim fere aut nova erexerunt, aut erecta novis Fundationibus auxerunt; alii quidem vita adhuc comite, quid pro gloria Dei Altissimi per frugalitatem et sinceram redituum ecclesiasticorum administrationem, praestare potuerint, effectu probarunt, partim Seminaria, partim Ecclesias, aliasque pias et Deo sacratas Domos excitando, et ornando, atque fortunis amplificando; alii praeconceptam salutarem intentionem, ad benignum Ferdinandi Imperatoris decretum accomodatam, morte praeoccupati, vivis reliquerunt effectui mancipandam, quorum numero jure aequissimo accensendum video, Celsissimum ac Reverendissimum S. R. I. Principem

et Archi-Episcopum Franciscum e Comitibus Barkóczy de Szala, perpetuum in Palócz, nuper e Sede Metropolitana Strigoniensi praematuro fato ereptum, de cujus caduca substantia, et a testamentaria dispositione resultante, Viennensi Pazmanitarum Collegio pro meliori subsistentia numerati sunt septemdecim mille quingenti floreni titulo fundationis Barkóczyanae in perpetuum censum elocandi.

Atque fundatio haec, in quantum ex natura pia causa est, in sempiternum Barkóczyanam munificentiam repraesentabit, et Barkóczyana nuncupabitur; in quantum vero pro incremento domus pazmanianae deserviet, Alumni pazmanianae Fundationis, totaque Archi-Dioecesis Strigoniensis aeternas grates agere tenebitur: 1° Augustissimae Dominae modo Regnanti Mariae Theresiae, ad hunc salutarem finem summam illam convertenti; 2° Spectabili Domino Francisco Török Excelsae Camerae Regiae H. Consiliario, qui pro singulari suo in Archi-Dioecesim amore potens fuit cor Majestaticum, ad talem in specie erigendam Fundationem inclinare.

Majestatis Sacratissimae iteratis vicibus in immeritum Pazmanni Collegium Regia munificentia, et materna plane providentia Clementer propensae perennis erit recordatio, et quamdiu domus pazmaniana durabit, tamdiu per presbyteros ejusdem domus Alumnos duo annua pro Sua Majestate Sacratissima Missae Sacrificia celebrabuntur. Memoria et nomen Barkóczyi inter Fundatores, Törökii autem inter speciales Benefactores referetur, et non minus pro hoc, quam illo convenientia applicabuntur suffragia. Ego denique laudo et laudabo Deum, talia in Regibus Principibusque operantem, atque prius vivere desinam, quam ad aras meminisse omnium trium ad sanctam hanc operationem concurrentium. Dabam ad perpetuam rei memoriam Tyrnaviae die octava mensis Junii anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo octavo. Ladislaus

Bányay Vicarius et Causarum Auditor Generalis, Sede Archi-Episcopali Strigoniensi vacante Capitularis m. p. (L. S.)

Super quibus modo praevio Nobis exhibitis, praesentibusque de verbo ad verbum, diminutione, immutatione et augmento, absque omni etc. Datum Feria sexta proxima post Dominicam post Pentecosten in diem 24am mensis Junii incidente. Anno Dni 1768° Lecta in Capitulo et extradata per me Martinum Turányi antelati Capituli substitutum Lectorem m. p. (L. S.) [1]).

Alumni Strigonienses Collegium ingrediuntur.

Adpropinquante die 24a Octobris, ceu termino praefixo pro exitu Cleri Croatici e Collegio Pazmaniano, Vicarius Generalis Strigoniensis in Praefectum ejusdem Franciscum Galgóczy, olim Collegii Alumnum, nunc Canonicum Strigoniensem, in Vice-Praefectum Antonium Nagy, adusque in Seminario generali Tyrnaviensi Vice-Praefectum, in Directorem autem spiritualem Ladislaum Verebélyi parochum Nagyszeghiensem nominavit. Hic postremus die 23a ejusdem mensis Viennam venerat, ut occasione egressus Cleri Croatici coram adesset, qui etiam die 24a ad vesperam subsecutus est. Mox die sequenti advenit Praefectus ipse, et omnibus domus habitaculis perlustratis, magnam reperit desolationem. Collegium enim ipsum in tractu suo inferiori mercibus Rascianorum prius inserviebat, domus contigua Collegii, Mons aureus dicta, habitaculum erat Rascianorum, qui quoniam ibidem sacra quoque sua agere fuerint adsueti, oblata ampliori pecuniae summa pro his finibus illam retinere omni studio conabantur; ast locum cedere sunt coacti. — Cum autem tempus anni novi scholastici inchoandi urgeret, mox die insequenti Praefectus conductis quinquaginta murariis, operariisque, iisque per totam domum dislocatis, restabiliendo

---

[1]) In Arch. Collegii de 1768. Lit. T. Ibidem prostat fusa deductio Concertationis Deputati Cap. Strig. Com. Berchtoldt cum Deputato Capit. Zagrabiensis, reliqua item acta in Copiis authenticatis, sub Litt. R) S).

Collegio manus admoveri fecit, ac tempore nimis favente, opus tandem consummavit, ita, ut Alumni die 3a Novembris illud ingredi potuerint, qui etiam, numero 36, ipsa eadem die, hora nona matutina e nocturna sua statione novem curribus Posonio vecti, comitantibus eos aliis 16 curribus rusticanis, impedimenta diversa eorum secum deferentibus, longa serie Urbem ingressi, Collegium occupaverant, deducente eos Antonio Nagy, Vice-Praefecto. Erant autem Alumni hi, a restituto Collegio in illud primo dispositi sequentes:

THEOLOGI ANNI IVi.

Franciscus Hubert. — Georgius Kanderka. — Josephus Maffey [1]). — Josephus Piringer.

THEOLOGI ANNI IIIi.

Andreas Kruslics. — Georgius Schmidt. — Joannes Antolik. — Joannes Prohaszka [2]). — Josephus Mondok. — Sebastianus Somogyi.

THEOLOGI ANNI II.

Adalbertus Csenkey. — Carolus Clement. — David Zsolnay [3]). — Franciscus Dominikovics. — Franciscus Répásy. — Georgius Frank [4]). — Georgius Raisz. — Josephus Kovács. — Josephus Pereszlényi. — Josephus Vitalis.

THEOLOGI ANNI I.

Adalbertus Szántó. — Andreas Zsilavi. — Franciscus Handerla. — Joannes Harsányi. — Josephus Bartaloczky [5]). — Josephus Kazmér. — Josephus Stokker. — Melchior Nyizsnyszky.

---

1) Hic cum priore serius Spiritualis Seminarii B. M. V. Tyrnaviae.
2) Serius Canonicus Posoniensis.
3) Praepositus dein Maj. Veszprimensis.
4) Prof. Hist. eccl. dein Rector Semin. gener. Poson. et Canon. Jaurinensis.
5) VAD. et Paroch. Vadkert. † 1811.

CANDIDATI THEOLOGIAE.

Andreas Dobisz. — Franciscus Nagy. — Franciscus Baro Orbán. — Franciscus Payer. — Leopoldus Najmajer. — Michael Madutka. — Paulus Huri.

E numero horum duo, Franciscus videlicet Hubert, qui tardius Can. Strig. et Praefectus Collegii evasit, item Josephus Piringer Physici tunc erant, dum Archi-Episcopus Comes Barkóczy Alumnos et Fundationem Pazmanianam Tyrnaviam transtulit, adeoque tum migrationis ejus, tum reductionis testes fuerant. Omnes porro supra recensiti Theologi quarti anni anno insequenti scholastico, universam cum applausu defenderunt Theologiam, hoc suae industriae splendido testimonio pulcherrime redivivum inaugurantes Collegium Pazmanni, quod Alumnorum suorum laureis refertos semper tenebat fastos suos.

Duo Alumni ex Ordine S. Basilii in Collegium assumi jubentur.

Numerum Alumnorum superius expositum auxerunt mense Decembri anni 1766[1] duo alii Clerici Basilitae e Dioecesi graeci ritus unitorum Fogarasiensi, quos Imperatrix ac Regina Maria Theresia instante Episcopo ad Collegium Pazmanianum clementer disponi jussit, et pro quorum victu et amictu annuos 600 fnos benigne resolvit. Ultro vero pro sua Clementia, qua in unitos hos singulariter propensa fuit, Collegii Pazmaniani Praefecto referendum commisit, qualisnam summa pecuniaria pro extraordinariis illorum duorum Alumnorum necessitatibus a parte Collegii suppeditari haud solitis, verum propriis Alumnorum expensis procurandis, ad rationem singuli supplicantis annue necessaria futura sit? Quidnam in sequelam hujus resolutum fuerit? patet e. C. rescripto de 4ª Febr. 1767, ubi hi sumptus extraordinarii ex aerario Camerali assignati sunt.

Alumnis in Collegium reductis solenniter praelectae sunt novae leges, quas Metropolitani Capituli Strigoniensis nomine Vicarius Capitularis pro iisdem, sublatis prioribus, praescripsit. Ex ordinatione porro

ejusdem Metropolitani Capituli Alumni Collegii Pazmaniani diebus Domini ac festis in Ecclesia Patrum Societatis Jesu Divinis interesse jubebantur, utque pietate sua populo praelucerent, scamna pro iisdem in Sanctuario sumptibus Collegii collocabantur, in quibus veste lintea induti pietati vacare, menstrue binis vicibus Sacram Synaxim modo praescripto sumere, assistentiasque peragere tenebantur, ut in ritibus quoque et caerimoniis Ecclesiae debite exercerentur.

Alumni Collegia Professoris J. Rieger frequentare jubentur.

Ordo studiorum quoque intermedio tempore penes Universitatem diversas subiit mutationes; prius enim jam, ac Pazmanitae Viennam rediissent, die 29ª Martii 1766 tum Rector Collegii Croatici, tum etiam Metropolitanum Capitulum Strigoniense altissimum accepit mandatum ad mittendos Alumnos suos pro praelectionibus Professoris Rieger. Metropolitanum quidem Capitulum die 6ª Septembris ejusdem anni humillimo suo responso coram Imperatrice exposuit, Alumnos, si ad audiendas praelectiones super Jure Canonico Professoris Rieger stringerentur, ob coincidentes praelectionum horas, praelectiones theologicas neglecturos fore: quia tamen Professor hic a Regimine constitutus, de paucitate auditorum suorum coram patronis suis iterato questus fuerat; obsecrationibus et precibus Capituli, ut Alumni penes scholas patrum Jesuitarum relinquerentur, nihil opitulantibus, mensis Novembris die 10ª novum editum fuit Decretum, in quo eam esse Suae Majestatis positivam voluntatem repetebatur, ut tam Pazmanitae, quam Croatici Alumni quoad Jus Canonicum lectiones Professoris Rieger audire teneantur. Praefectus itaque altissimo huic mandato delaturus ex una parte, alia autem ex parte ut Alumnos Theologiae studentes a disciplinis suis non retineat, ipsum Professorem Rieger adiit, ac cum eo effecit, ut Theologiae Candidati, utpote Sacrae Scripturae studio necdum obstricti, praelectiones ejusdem super Juris Canonici disciplina audiant, caeteris

studio Scripturae Sacrae in schola patrum Jesuitarum vacaturis [1]).

Alumni praelectiones P. P. Jesuitarum linquere, Professoresque novos Universitatis audire stringuntur.

Ut vero eas, quae studia litterarum penes Universitatem concernunt mutationes, Alumnatum quoque Pazmanianum propius tangentes, continuata enarratione referamus: decretum novum 4ª Novembris anni 1767 adferimus, in quo Alumni Praelectiones Theologicas non apud Professores Societatis Jesu, verum in Universitate audire jubentur; dicit enim Decretum hocce ad Praefectum Collegii Pazmaniani Franciscum Galgóczy missum:

„Altefatam Suam Majestatem Sacratissimam, posteaquam in eo demisse fuisset informata, quod Alumni dicti Collegii Pazmaniani Praelectiones Theologicas non in Universitate, verum apud Professores Societatis Jesu audiant, et frequentent, clementer resolvisse et a modo in posterum istud facere nullatenus praesumant, verum ut omnes ii, qui studio Theologico, sive hoc anno, sive in futurum initiandi erunt, in praeattacta omnino Universitate constitutorum Theologiae Professorum praelectiones audire, et frequentare teneantur: qui nihilominus eidem Studio Theologico in secundum, tertium, et quartum jam annum operam dant, talibus Summefatam Suam Majestatem Sacratissimam benigne concessisse, ut ipsi idem Studium Theologicum apud Professores Theologiae Societatis Jesu plene terminare possint."

Nuncius Apostolicus Viennensis circa hanc dispositionem attonitus sciscitatur.

Decretum tale luculenter prodidit intentiones viri, Imperatrici ob artem medendi, et humanisticam culturam acceptatissimi Gerardi a Swieten „Augustalis Bibliotecae olim Praefecti, cujus ob procuratam Scientiarum, Artiumque instaurationem, in Salutaris Artis Collegio, Augusta Imperatrix in exemplum, quod Posteri imitentur, effigiem

[1]) Acta huc respicientia partim originaria, partim in authenticatis transsumptis exstant in Arch. Collegii de anno 1766, 67 lit. U. X. et Orig. IV—24. — Item in Arch. Canc. h. a. 12 Aprl. 1766 Nr. 13, Nr. 10, Nr. 130. Causas, et historiam harum mutationum, vide: Kink. op. cit.

solenni ritu collocari jussit"[1]). Intentiones enim hae Jesuitas ab Universitate omni meliori modo amovere pro scopo habebant, et a discipulis Gerardi a Swieten cum voce, tum scriptis, cum in Aula tum in plebe, in Universitate, verbo ubique magis ac magis evolvebantur. Cum autem procella contra Societatem Jesu in diversis regnis Europae concitata, veloci volatu semet in Imperium Austriacum quoque jam jam effundere minaretur, facto hoc recentissimo, quo Alumni Collegii Pazmaniani Professores Jesuitas linquere, et Professores penes Universitatem a regimine constitutos audire jubebantur, scrupulum haud exiguum incussit Nuncio pro tunc Apostolico, ad Aulam Viennensem residenti. Ut primum enim Ordines de Alumnis Collegii Pazmaniani, ad audiendas praelectiones Professorum in Universitate constitutorum inviatis, eidem innotuissent, primarium Camerarium suum ad Praefectum Collegii misit, et medio ejus, num verum esset, quod Alumni Collegii Augustinianorum et Dominicanorum scholas frequentent, tum quaenam novae hujus dispositionis causa esset, percontabatur. Praefectus prout in veritate fundatum erat, ad Mandatum Regium provocavit. Tum Camerarius Praefecto aperuit, quod Nuncius Praefectum die sequenti libenter apud se visurus foret, item quod cursore publico eadem adhuc ipsa die de revocatis e schola Jesuitarum Alumnis Pazmanitis Romam Summo Pontifici nuncium missurus sit. Praefectus ob tale effatum attonitus, ne factum hoc, in causis suis ac motivis ne sibi quidem ipsi clare cognitum, gravibus quaestionibus ansam praebeat, mox Cancellariam hungaricam adiit, acceptave ibi ab uno Cancellariorum, quem deprehendere potuit, pluribusque Referendariis inviatione, die sequenti semet coram Nuncio Apostolico stitit, exposuitque, mandati hujus regii causam illam assignatam fuisse, quod Alumni Collegii Pazmaniani,

[1]) Inscriptio simulacri aenei Gerardi Swieten in Conclavi Facult. Medicae.

qui testimonio ipsorum etiam Professorum nobiliorem portionem scholarum Vindobonensium constituerent, Sua Majestas Universitati, a se quasi de novo fundatae ornamentum e voto ipsorum Professorum addere velit. Neque tamen declaratione hac Nuncius contentus esse videbatur; cum enim sibi machinationes notae fuerint, quae in occulto contra Societatem Jesu parabantur, noti item conatus, quibus Jansenii discipuli cor Imperatricis, Jesuitis semper propensissimum, variis technis avertere moliebantur: non erat facilis ad deponendam suspicionem fundatam, in facto hocce etsi exiguo, initium tamen persecutionis contra Jesuitas elucescere. Nihilominus, cum viri alta in dignitate constituti eum affidaverint, in facto hoc nulla molimina contra Jesuitas intenta fuisse, conquievit, dimissoque Romam alio cursore, priorem de inchoata persecutione Jesuitarum relationem retractavit. Quantopere de caetero suspicio Nuncii de persecutione Jesuitarum in Imperio Austriaco quoque etsi occulte, in motum tamen posita, fundamento suo non caruerit, anni mox sequentes ostenderunt, qui palam fecerunt, translationem Alumnorum quoque Pazmanianorum e scholis Jesuitarum regio mandato factam, signum fuisse consiliorum occultorum, quae sublationem Jesuitarum in Austria maturabant.

Spinosa igitur, ut ex narratis liquet, erant temporum adjuncta, dum anno 1766 cursus scholasticus inchoavit; Alumnorum enim Collegii una pars Professores audiebat Jesuitas, alia Professores recenter in Universitate constitutos, iterum una pars ad audiendas Lectiones Professoris Rieger stringebatur; quae diversitas animos juveniles Alumnorum non parum confundebat. Maximum tamen periculum eisdem minabantur praelectiones e Jure Canonico praescriptae, in quibus genuinus ecclesiasticus spiritus desiderabatur quoad plures quaestiones, relationem inter Ecclesiam et Statum, naturamque Primatus in

Ecclesia concernentes adeo, ut Praefectus, qui testibus observationibus in protocollo domus a se concinnato sparsis, ipse quoque jam liberaliora secutus fuisse videtur Juris Canonici principia, tamen conscientiae duxerit, Candidatis Theologiae, e praelectionibus Professoris Rieger redeuntibus, privatis in horis, institutione domestica saniorem Juris Canonici doctrinam instillare.

Rebus scholasticis et domesticis sic compositis, provida Praefecti sollicitudo se ad recaptivandum et repurgandum hortum Collegii convertit. Hortus hic, e voluntate Archi-Episcopi Francisci Barkóczy venui exponendus, pro maxima Collegii fortuna emptorem non invenit, adeoque in censum elocatus fuit cuidam byssi confectori, vili nimis pretio. Ast vero homo hic in aedibus horti non tam levi pretio, quam potius gratuito habitare praeoptans, inquilinis et horum iterum subinquilinis domum adeo replevit, ut dum Collegium Pazmanianum restitueretur, ibidem praeter viros, mulieres undecim cum triginta duabus prolibus habitaverint, e quorum habitatorum censibus confector byssi lucrum reportavit pro se haud exiguum. Praefectus Viennam veniens, tertia mox die hortum adiit, hominemque ad relinquendum horti aedificium provocavit; risit tamen ille, sententia tutus judicii, quod eidem, domum pro annis quinque in censum contractu firmatum sumenti, contra Agentem Capituli Strigoniensis eum lite convenientem, usque lapsum temporis stipulati incolatum adjudicaverat jam ante adventum Praefecti. Quod igitur Agens contra confectorem hunc byssi coram jure lucrari nequieverat, id Praefectus amica via pactare coeperat, promittendo homini florenos centum, si finita hyeme pro festo Georgii domum linquere vellet. Effecit tamen et ipse nihil, nam inquilinus hic mordacis naturae se ante defluxum duorum annorum, qui adhuc vi contractus restabant, domum se nullatenus relicturum palam enunciavit. Anxius, quo per aestatem Alumnos suos mit-

Hortus Collegii revindicatur.

teret, Praefectus, cum juris, et pacificae conventionis via non amplius opitularetur, ad clementiam recurrere statuit Imperatricis, Collegio tam benigno affectu propensae. Porrecto igitur libello supplici, exposuit inconvenientiam, et pericula, quae Alumnos manerent, si hortum adire cogerentur, in cujus domo tanta caterva feminarum, proliumque habitat, maximumque incommodum, si Alumni per aestatem fine exhilarationis commeatum ad hortum suum seclusum non haberent. Movit vivida rei expositio Imperatricem puritati morum alioquin intentissimam, mandatumque ad supremum securitatis Praesidem dimisit, ut hic inquilinis domus in horto Collegii Pazmaniani sitae exitum inde pro festo Georgii jubeat. Ad maturandam hanc clementissimam dispositionem, adiit ipse Praefectus fatum Praesidem Comitem a Strottenbach, virum ex opinione vulgari, rigidum; in cujus conspectu constitutus, etsi duriorem illum in principio deprehendisset, maxime ideo, quod ipso inscio, Praefectus Clementiam Imperatricis contra sententiam judicii imploraverit, mollior tamen mox Praefecti affabili ac sagaci ingeniositate factus, ipse etiam affabiliter byssi confectorem et loco moturum se spopondit, et reipsa ad festum Georgii e domo exesse jussit. Quo termino adveniente caterva hominum vilissimae conditionis in domo prius conclusa, illam deserens, domus a squallore, qui omnem mensuram superabat repurgata, una cum horto denuo exclusivo Alumnorum usui deservire coepit.

Praefectus cum Alumnis quatuor ad audientiam Majestatis admittuntur.

Restituto per Clementiam regiam quoad omnes suas partes Collegio, Praefectus ob tanta Benignitatis testimonia gratitudinis sensu diffluens, nil ardentius desiderabat, quam homagium restitutorum in Collegium suum Pazmanni filiorum personaliter in conspectum altissimum Augustissimae Dominae deferre; ob idque ad benignam audientiam loco congruo admitti flagitabat, votoque potitus est. Die enim 4a Januarii 1767[1] Augustissima Im-

peratrix Praefectum cum quatuor Alumnis in conspectum suum clementissime admittere dignata est. Praefectus cum Alumnis quatuor, Francisco scilicet Hubert, Josepho Piringer, Georgio Frank, et L. B. Francisco Orbán die constituta in atrio caesareo comparens, tanta Clementiae comitate susceptus fuerat, ut demissam erga se, ac suos Majestatis benignitatem quoad vixerat, laudibus efferre non cessaverit. Ut autem cuncti Collegii Pazmaniani Alumni Beneficiorum Clementissimae hujus Dominae, continuo recordarentur: simulacrum ejusdem Imperatricis, ac Reginae Mariae Theresiae subtili accuratoque penicillo Josephi Jacobe anno eodem depictum, formaque altitudinis naturalis tabulae marginatae venustissimae inclusam, annuente Vicario Capitulari Strigoniensi in habitaculo Praefecti appendit, die Collegio solenni, Apostolorum Petri et Pauli sacra. — Imago haec inscriptione ornatur sequente:

Depictum Imperatricis simulacrum in perennem benefactorum memoriam solenniter in Collegio appenditur.

„Maria Theresia Romanorum Imperatrix Augusta, Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. etc. Regina Apostolica. Altera Collegii Pazmaniani Fundatrix 1767", et quemadmodum ad praesentem diem acceptorum beneficiorum memoriam conservat: ita princeps in habitaculo Rectoris ornamentum constituit. Orationem autem, quae eadem die velut tutelari Collegii dici ex more antiquo consueverat, Praefectus Altefatae Augustae dedicavit, quae etiam opusculum innata sibi Clementia benigne acceptavit.

Collegium illuminatur Imperatrice resanata.

Caeterum annus hic 1767 pro Collegio Pazmaniano solatio ad initium plenus, fatalis pro ipsa Augustissima Domina exstitit; siquidem vix ac Conjugem Imperatoris Josephi secundi grassans variolarum virus occupaverat, morti tradendam: ipsa etiam Augustissima Imperatrix eodem morbo correpta angores ac dolores fidelibus populis suis superinduxit inexplicabiles. Qui morbus adeo ferox dum opem terrenorum medicorum eludere minaretur,

Alumni tantae patronae plurimis beneficentiae titulis gratitudine obstricti, Supremi Coelestis Medici opem pro Matre, Reginave tam benigna, enixis precibus implorabant, dulcique animi exultantis jubilo solennes Deo egerunt grates cum Urbe et Imperio, dum Deus fervidis precantium votis exoratus, illam sanitati restituit; festivis porro micabat Collegium ignibus occasione exitus primi post infirmitatem publici, quem Imperatrix Deo gratias actura, ad Ecclesiam Urbis principalem susceperat.

Exundatio et festum tutelare Collegii in horto.

Hyeme, quae annum mox descriptum 1767 sequebatur, ultimis diebus Februarii ingens glacialis Danubii exundatio, quae altitudinem septem pedum in refectorio domus Collegii in horto suburbano attigit, quinquaginta octo orgias muri, quo hortus claudebatur, in rudera conjecit. Damno hoc reparato, jucundior erat aestas; etenim festum Collegii tutelare die Apostolorum Petri et Pauli sacra, in eodem horto recolebatur, ubi praesentia sua Primores Excelsae Cancellariae Hungaricae prandium festivale cohonestaverant; orationem Francisco Nagy primi anni Theologo et componente, et cum applausu perorante, quae Cancellario Regni Francisco e Comitibus Eszterházy inscripta fuit.

L. B. Ladislaus Luzsénszky Praefectus.

Anno 1769° vix inchoato, die 21 Januarii Franciscus Galgóczy, primus a restituto Collegio Praefectus, expleto cum emolumento Collegii in munere hocce plus quam biennio, ad Capitulum suum remeare desiderans, Collegium magno cum dolore Alumnorum omniumque, quibus praeerat, deseruit, successorem nactus Ladislaum L. B. Luzsénszky de Riglicze, Albo Canonicorum Capituli Metropolitani Strigoniensis a trimestri solum adscriptum, ac in decursu praefecturae suae titulo Abbatis B. M. V. de Campo Strigoniensi, et Archi-Diaconi Neogradiensis ornatum.

Alumni Cameralia et politica Collegia frequentare jubentur.

Praefecto hoc gubernacula Collegii vix capessente, Cancellaria Hungarica nomine Suae Majestatis die 12 Maji

1769 eidem decretum submisit, quo omnes Collegii Pazmaniani Alumni, qui studiis Theologicis in annum quartum vacant, cameralia et politica Collegia penes Universitatem frequentare jubebantur [1]). Decretum hoc ordinem praelectionum non minus, quam domesticum turbaverat; praeterea disciplinae hae lingua germanica tradebantur, hujus autem gnari plures ex Alumnis non erant. Praefectus cuncta haec Vicario Capitulari Strigoniensi significavit, qui etiam difficultates ejuscemodi, porrecta via Cancellariae Hungaricae humillima repraesentatione, exposuit, orabatque, ut Alumni a tali obligatione dispensarentur; nec tamen superest aliquod vestigium, preces Vicarii exauditas esse.

Tres Alumni e Transylvania permanenter in Collegio alendi disponuntur.

Eodem anno 1769° et sub eodem dato diei 12ae Maji decretum aliud regium tres siculos ex Transylvania juvenes in Collegium Pazmanianum suscipiendos, atque ex fundatione Pazmanni alendos disposuit. Sede quippe Archi-Episcopali vacante, Antonius Bajtay Episcopus Transylvaniensis, illis verbis, quibus Petrus Pázmány in literis fundationalibus Collegii sui statuerat, „ut Transylvanorum, Siculorum et eorum, qui ex partibus Turcis subjectis mittuntur, prae reliquis peculiaris ratio habeatur in receptione ad Alumnatum" in emolumentum Dioecesis suae uti volens, supplex accidit Reginae, ut fundamento hujus clausulae benigne disponeret, quatenus terni in Collegio Pazmaniano e Dioecesi Transylvaniensi alerentur. Imperatrix ac Regina, Transylvaniae ex quo illa e Turcarum, ac cum iis junctorum insurgentium principum jugo reviviscere coepit, singularem semper curam habuit, sperabatque Alumnos Transylvanos in dilecto pariter sibi Collegio Pazmaniano educandos, in terra hac Ecclesiave multum afflicta optimo successu olim operatu-

[1]) Int. acta. orig. Coll. Nro. 27° de eodem ann., item in Arch. Canc. H. et Mens. Maj. Nr. 190.

ros. Ideo jam anno 1768 die 3 Decembris per Cancellariam Hungaricam a Consilio locumtenentiali hungarico quaeri jussit, cur ab anno 1733° Alumni e Transylvania ad Collegium Pazmanianum assumpti non fuerint? Consilium quale responsum dederit? consignatum non reperimus, id tamen constat novo Intimato 5ª Julii 1769 Consilio commissum fuisse, ut circa Siculos apud Vicarium Strigoniensem necessaria disponat; idemque dein Cancellariae Transylvaniensi 19ª Augusti communicatum fuit, ac tandem altissima Resolutione 25 Sept. susceptionem trium Alumnorum Transylvaniensium in Collegium Pazmanianum serio demandatam, neque contradictionem Metropolitani Capituli Strigoniensis eatenus exauditam fuisse [1]). Recruduit quaestio haec non multo post iterum, cujus causam defluxumque antequam narremus, quaepiam, quae intermedio tempore evenerant, commemorare juvat; sunt haec quidem pauca, eaque minoris momenti, ad seriem tamen historiae Collegii pertinent.

Privilegium inferendi vina hungarica Collegio adimitur.

Duo tempore hoc incommoda Collegio accesserunt: sublatum nempe eidem per Cameram aulicam Privilegium, pro necessitatibus domus invehendi vina hungarica; dein officina Fabri in foro ante Collegium erecta. Jam de anno 1648° adsunt in Archivo Collegii documenta, quod illi licentia data fuerit vina ex Hungaria erga relaxatum nimis teloniale pensum pro suis necessitatibus invehendi; licentiam hanc anno primum 1769 Camera aulica sustulit, cum nempe proventus teloniorum in arendam fuerant elocati, arendatoresque hocce privilegio Collegii Pazmaniani jus suum laesum querularentur. Tardius quidem adhuc una aliave vice similis licentia data fuit, donec tandem totum privilegium exoleverit.

Faber ferrarius officinam ante Collegium erigit.

Quantum autem ad fabrum ferrarium adtinet; incepit hic dimidio mensis Maji anni 1770 officinam struere

---

[1]) Acta vid. in Arch. Canc. H. A. 1768. Decemb. Nro. 24. 1769. Maji. Nro. 85. Julio Nro. 49. Aug. Nro. 199. Sept. Nro. 122 et 184.

ex asseribus in foro ante Collegium sito. Patres Societatis Jesu in Collegio vicino annutum, Regimen Austriae inferioris et Magistratus indultum fabro ad tale molimen dederant; Collegium attamen Pazmanianum nec auditum quidem fuerat. Officina sic constructa, strepitus et clamor ininterruptus tantopere inquietabat Alumnos Collegii, ut hi in literariis, spiritualibusque suis exercitiis penitus impedirentur. Recursus igitur Regiminis Praesidi exhibitus fuit, Cancellariave Hungarica in subsidium ac medelam exorabatur. Praeses nihilominus tum paupertatem fabri, prolibus gravati, tum defectum loci in vicinia novi telonialis aedificii, in quod faber labores suos contulerat, tum datae fabro facultatis firmitatem allegans, rei mederi non aliter posse enunciavit, nisi incommoditas talis altissima Suae Majestatis resolutione tollatur. Praefectus itaque Collegii ad Clementiam Imperatricis recurrit, atque sic officina fabri solo aequata quidem fuit, ast unus interea cum dimidio defluxerat annus, donec Collegio quies a strepitu Cyclopum redderetur.

Neque prosperum recursus sui effectum amplius in Collegio supervixit laudatus praefectus Ladislaus L. B. Luzsénszky, eo enim in Capituli sui Metropolitani gremium redeunte, Vicarius Capitularis Ladislaus Bányay pro regimine Collegii Nicolaum Konde e Capitulo Scepusiensi evocaverat anno 1772°, post effluxum unius anni ad Metrop. Cap. Strigoniense dein promotum. Caeterum hic de triennio praefecturae suae nil consignatum reliquerat, nec ulla tempus ejus illustrantia in Archivo Collegii Pazmaniani reperiuntur documenta. Successor ejus Andreas Szabó Eccl. Metrop. Strigon. Canonicus illum munus suum laudabiliter terminasse adnotavit, adjiciendo, quod anno secundo praefecturae ejus, i. e. 1773° quo videlicet Societas Jesu exstincta est, Collegii Vicepraefectus Franciscus Hubert Tyrnaviam ad obeundum primarii in Universitate Professoris munus

Nicolaus Konde fit Praefectus.

Andreas Szabó Praefectus.

fuerit translatus, cujus officii partes suo tempore in Universitate Budensi egregie et pro Dioecesis honore sustinuerat. In munere Vicepraefecti successorem nactus Joannem Vancsay, Capellanum antea Posoniensem, post annum ad parochiam Szempczensem promotum.

Valentinus Seredy Aram in Sacello erigit.

Pariter anno citato 1773° Velentinus Seredy domus Pazmanianae ordinarius medicus, in testimonium grati sui animi erga Collegium, cujus domum contiguam incolebat, Aram elegantem e ligno duro affabre sculptam, atque icone B. M. V. Jesulum in brachio tenentis, vulgo stellatae, stylumque graecum prae se ferente ornatam, propriis sumptibus in Sacello domestico Collegii erexit; in qua ipsa die Annunciatae prima Deo hostia litabatur. Imago haec, penicillo subtili ac dextero depicta, a die illa ad praesentem usque diem, quantos pietatis sensus excitaverit, quot salutaribus propositis impulsum dederit, quot poenitentis cordis lacrimas cierit, quot mentes illustraverit, pro quantis fons gratiarum exstiterit? noverit dicere longa illa caterva juvenum Deo sacratorum, qui Deiparam hanc immaculatam Virginem in conscientiae moderatricem, vitae tutelam, innocentiae exemplar, studiorum praesidem ac patronam dulces inter cordis pietate diffluentis spes elegerant, continuoque eligunt. Imago porro haec, brevissima, pulcherrima tamen inscriptione illa fit spectantibus conspicua „AVE".

Joanni Vancsay in officio Vicepraefecti Ladislaus Tompa successit, qui 1775 mense Januario Viennam veniens, eodem adhuc anno universam defendit Theologiam. Novus autem Praefectus Andreas Szabó, ut plures in publico scientiae tentamen facere possint, tum ipse sumptibus liberaliter succurrit, tum pro quinque Alumnis a Sua Majestate sumptus impetravit. Usi sunt etiam plures ex Alumnatu tanta beneficentiae gratia, anno enim 1776 tres universam Theologiam, octo partem unam ejusdem cum plausu defenderunt. Eodem anno vice-Praefectus Ladis-

laus Tompa, promotore potissimum Praefecto a Sua Majestate Romam pro condiscendis Ritibus sacris resolutus, illuc mense Martio discessit, cui Franciscus Krammer successit, Capellanus antea suburbii Budensis Neustift, qui etiam universam defendit cum applausu Theologiam, factus subin Theologus celebratissimus. Anno enim eodem publico in concursu pro Cathedra Historiae sacrae et Patrologiae penes Academiam Jaurinensem dignissimus judicatus, in Collegio Pazmaniano locum cessit Michaeli Klimkó ante biennium ejusdem Collegii Alumno.

Annus 1776 in annalibus Ecclesiae Hungaricae summopere memorabilis evasit; praeterquam enim, quod viduatae diu Archi-Dioecesi Strigoniensi Clementia regia Praesulem dederit Josephum e Comitibus Batthyányi, e sede Archi-Episcopali Colocensi cum indultu Summi Pontificis translatum: tota etiam Archi-Dioecesis Strigoniensis novam quoad territorium suum induerat faciem; dismembratione enim facta tres novi ex ea exsurrexerunt Episcopatus, Neosoliensis nempe, Scepusiensis et Rosnaviensis, quarum prima Episcopum e membris olim Collegii Pazmaniani acceperat, Franciscum quippe Berchtholdt Praepositum Capituli Collegiati Posoniensis, Collegii Pazmaniani restituti primum Praefectum.

Josephus C. Batthyáni Archi-Episcopus Strigoniensis. Tres novae Dioeceses.

Inductum est anno eodem in Universitatem Viennensem novum systema studiorum penes Facultatem Theologicam, ita quidem, ut Theologi anni I[i] Historiam Ecclesiasticam cum Linguis sacris; Theologi anni II[i] Patrologiam et Hermeneuticam utriusque testamenti, Theologi anni III[i] Theologiae Dogmaticae in systema redactae partem primam, et Theologiam moralem, Theologi anni IV[i] Dogmaticae partem alteram et Canones, Theologi anni V[i] tandem Theologiam Polemicam et Pastoralem seu practicam audiant; sicque Theologia pastoralis ceu peculiaris disciplina primo tradi coepit.

Novum systema studiorum.

Controversia de Alumnis Transylvaniensibus ad

Controversiae de Alumnis Siculis reassumptae.

rationes fundationis pazmanianae in Collegio Viennensi educandis hoc anno denuo reassumptae sunt. Causa rei hujus fuerat illa, quod Episcopus Transylvaniensis Ladislaus e Comitibus Kollonics ad numerum illorum trium Alumnorum Siculorum, qui anno 1769°, Capitulo Strigoniensi contradicente, in Collegium Pazmanianum mandato regio illocati fuerunt, decretum exoperatus fuerit [1]), vi cujus Praefecto Collegii Pazmaniani committitur, ut respondere velit, an pro subsequente mox anno scholastico duae in Collegio Pazmaniano vacantiae exoriturae sint; quo illuc duo adhuc Alumni ex Transylvania mitti possint? Praefectus respondit medio Cancellariae Hungariae [2]), quaestionem hanc ad Principem Archi-Episcopum Strigoniensem, Praesulem suum pertinere, cui in sensu literarum fundationalium jus et auctoritas designandi, qui in hoc Collegium recipi debeant, soli, dum sedem tenet Archi-Episcopalem, competit; rogat igitur Cancellariam, ut intimatum Cancellariae Transylvanicae, adnexis suis quoque peculiarem reflexionem deposcentibus observationibus, Archi-Praesuli suo, tunc Viennae commoranti, transponatur.

An in sequelam hujuscemodi praetensionis Episcopi Transylvaniensis in Collegium Pazmanianum, Praefectus Andreas Szabó, ab Archi-Episcopo fine dandae opinionis provocatus fuerit, an vero proprio motu suas reflexiones eidem exhibuerit, non quidem certo constat; reflexiones attamen hujus propria manu in protocollo Collegii V° conscriptae supersunt. Dicit jam in hisce reflexionibus laudatus Praefectus, posteaquam sensum Diplomatis Pazmanni exposuisset, inter caetera de loco Transylvanos in Diplomate respiciente sequentia:

„Quamvis Dioecesis Transylvaniensis in literis fundationis, ceu talis memoretur, cujus peculiaris ratio in

---

[1]) 1776, 11ª Julii; in Cancell. Transylv. public. Nr. 3588.
[2]) 22. Julii.

receptione habetur his verbis: „Volumus tamen, ut Transylvanorum Siculorum, et eorum, qui ex partibus Turcis subjectis mittuntur, prae reliquis peculiaris ratio habeatur in receptione ad Alumnatum“ haec tamen verba non tantum complectuntur, quantum Transylvani ex iis pro se inferunt; si enim sub receptione etiam aequale jus in fundationem cum Strigoniensibus intelligeretur: tunc exinde sequeretur, quod non Transylvani solum, sed ii quoque qui de terris sunt Turcis subjectis, praeferenter assumi et ex fundatione interteneri debeant; parque cum Transylvanis jus in fundationem haberent Bosnensis, Csanadiensis, Syrmiensis, Quinque Ecclesiensis, Varadiensis et Agriensis Episcopi, nam teste historia illorum temporum, omnes hae Dioeceses sub jugo Turcarum erant, quin illarum Episcopi similem cum Transylvanis in fundationem pazmanianam formassent unquam praetensionem. Noverant enim omnes Episcopi illi, post clausulam hanc sibi aliquatenus faventem mox subjici: „Finitis studiis sacerdotio initiatos . . . tempestive praesentabunt Patres Archi-Episcopo, vel sede vacante Capitulo“, quod certe disponere Pazmannus non potuisset, si inter fundatos a se Alumnos etiam aliqui sub jurisdictione horum Episcoporum fuissent; omnes enim Alumni alterius Dioecesis, cum annutu Æppi vel Capituli Strigoniensis in Collegio pazmaniano instar Convictorum intertenti, studiis finitis sub jurisdictionem sui respectivi Episcopi semper redierunt.

Caeterum nulli mirum videbitur quare Pazmannus haberi voluerit rationem Transylvanorum et Siculorum in receptione ad Collegium a se fundatum, quicunque circa extensionem jurisdictionis Archi-Episcopi Strigoniensis peregrinus non est. Constat cuique, quod Æppus Strigoniensis duos in Transylvania Decanatus, Brassoviensem nempe et Cibiniensem sub immediata sui jurisdictione ab antiquo habuerit; habebat praeterea non paucas exemptas parochias in partibus Turcarum dominatui subjectis,

quarum cura et provisio ejus sollicitudinem pastoralem respiciebat. Hinc est, quod Pazmannus providere cupiens partibus illis de idoneis curionibus peculiarem voluerit haberi rationem subjectorum inde oriundorum in receptione ad Collegium, ut hi alacrius revertantur pro cura animarum ad Patriam, quam alii animo satis invito illic amplectebantur. Imo ut hoc intentum obtineat Pazmannus, Alumni sui juramento polliceri debebant, se pro cura animarum illuc profecturos, quo ab Æpiscopo vel sede vacante Capitulo fuerint dispositi. Ita nempe necessitati totius Hungariae prospectum voluit Pazmannus, qua Pater communis, et Primas Regni, ut nihilominus jus praesentandi et disponendi, quoad Alumnos a se fundatos, sibi soli, et suis successoribus, aut sede vacante Capitulo Strigoniensi expresse reservaverit.

Caeterum nihil juris et auctoritatis fuisse attributum Episcopis Transylvaniensibus in Collegio Pazmaniano per paragraphum, quo Transylvanorum et Siculorum ratio in susceptione habenda memoratur, inde etiam evincitur, quod Alumni e Transylvania et Siculia ad Collegium recepti, constanter Alumni Archi-Episcopi, vel Dioecesis Strigoniensis in protocollo domus nominentur. Sic vivente adhuc Fundatore, qui ad Archi-Dioecesim pertinebant „Alumni Eminentissimi Cardinalis“ vel „ad rationem Eminentissimi Cardinalis suscepti“ nuncupantur, et hos inter recensentur etiam Alumni e Transylvania oriundi. E contra Clerici aliorum Episcoporum, qui ex indultu Fundatoris, tanquam Convictores ad Collegium admissi erant, hoc distinctivo ab Alumnis Pazmanianis secernebantur „Ad rationes Illustrissimi Domini Stephani Sennyei“ item „ad rationes Illmi Dni Lippay Cancellarii“ vel „ad rationes Illmi Dni Episcopi Jaurinensis Georgii Draskovics ad Collegium venerunt.“

Et haec quidem ratio suscipiendi ad Alumnatum et accomodandi Transylvanos eousque serie continuata per-

duravit, donec Æpiscopi administrationem parochiarum in duobus Decanatibus Transylvaniae existentium Patribus societatis Jesu credidissent; hoc enim facto non amplius recipiebantur Transylvani ad Collegium, imo duo ultimi Pazmaniani Alumni e Transylvania oriundi, videlicet Franciscus Pécsy, et Stephanus Csáky in Archi-Dioecesis Strigoniensis beneficiis sunt adcommodati [1]; indicio satis manifesto non ad Episcopi et Dioecesis Transylvaniensis, verum ad titulum Archi-Dioecesis Strigoniensis recipi solitos fuisse in Collegium Pazmanianum, et titulo Parochiarum, quas Archi-Dioecesis in Transylvania suae jurisdictioni subjectas tenebat, hoc beneficio fuisse gavisos.

Quae cum evidenter doceant, nullum jus, nullamve potestatem competere Transylvaniensi Dioecesi in fundationem Collegii Pazmaniani, non solum moliminibus et postulato recentiori omnibus viribus obnitendum existimo, sed etiam agendum apud Suam Majestatem, ut A.-Dioecesis Strigoniensis sede vacante trium Alumnorum Transylvaniensium intertenendi onere gravata, et injuriose oppressa, in integrum restituatur, ipsa vero Dioecesis Transylvaniensis ad suum, si quod habet jus, nunc plena jam Sede Archi-Episcopali, via debita extra dominium quaerendum, aut saltem coram deputandis a Sua Majestate arbitris edocendum relegetur. Neque aliquid postulato Episcopi Transylvaniensis suffragari potest, sacerdotum, quam allegat, penuria; nam eadem difficultas premit etiam Archi-Dioecesim Strigoniensem. Dein in praesenti statu quaestionis agitur de jure, an aliquod Dioecesi Transylvaniensi competat in Collegio Pazmaniano sumptibus fundationis Alumnos intertenendi? quam quaestionem nunc decidi oporteret, antequam Cleri in neocreatos Episcopatus repartitio instituatur, ne Archi-Dioecesis Strigoniensis omni

---

[1]) Anno 1733° unde simul responsum habetur, ad quaestionem Cancellariae Hung. superius ad ann. 1769 relatam.

ex parte damnum et defectum notabilem in Clero persentiscat."

Hucusque vir doctus. An hac repraesentatione, cujus partem solum potiorem hic adduximus, quidpiam effecerit? liquido quidem non constat; illud tamen certum est, duos illos Alumnos, quos Episcopus Transylvaniensis aliis suis tribus Alumnis in Collegium ad rationes fundationis sede Archi-Episcopali vacante illatis addere voluit, sede Archi-Episcopali plena inferre illuc non potuisse, nuspiam enim tales in elencho Alumnorum comparent. Tres attamen illocati adeo firmiter Collegio inhaeserant, ut dum illi serius una cum Collegio Vienna discedere, ac alibi mansionem figere fuissent coacti: fundatio pazmaniana eos etiam ibi sustentare debuerit. Caeterum controversia haec cum Dioecesi Transylvaniensi finita plane non est, imo serius iterato recruduit, prout e serie narrationis suo loco apparebit.

Postquam Andreas Szabó, qui Praefectus Collegii vere beneficus, zelosusque erat, tempus muneris sui in Collegio complevisset, atque sacellum, suppellectilem, habitaculum Rectoris, hortumque in optimum ordinem redegisset: anno 1777° mense Februario ad Universitatem Regiam Tyrnaviensem pro Directore et Praeside sacrae facultatis Theologicae translatus est, et successori suo Emerico L. B. de Perén Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonico Collegium Pazmanianum gubernandum reliquit.

Emericus L. B. de Perén, Praefectus.

Alumni Tyrnavienses in Collegio Pazmaniano.

Hoc tempore, cum Seminarium generale Budense, quo totus Clerus, remanentibus solum in Seminario S. Stephani triginta philosophis, una cum Universitate Tyrnavia translatus fuit ideo, quod perfectum nondum esset, et omnes Alumnos illuc transferendos capere non posset: ex Seminario S. Stephani Alumni numero 10 mense Novembri anni 1777[i] ad Collegium Pazmanianum translati sunt; nihilominus tamen ex fundatione ejus-

dem Seminarii, depositis pro singulis ducentis florenis alebantur [1]).

Caeterum quod tempus muneris L. B. de Perén adtinet: non videntur res notatu dignae sub eo evenisse, cum nec documenta, nec protocollum e diebus ejus supersint. Successit eidem anno 1779° Ladislaus Gulik, Ecclesiae Collegiatae Posoniensis Canonicus, mox anno sequente ad Metr. Capitulum Strigoniense translatus; vir, uti acta Collegii ab eo diligenter connotata testantur, activus, et Archi-Episcopo valde acceptus. Eo Collegium gubernante, per mutatum valorem pecuniae, provisio Collegii nimium tenuis reddita fuit, ita, ut pallia Alumnorum e leviori materia confici, Alumni ad Collegium venientes veste talari caerulea per sua respectiva Seminaria, unde mittebantur, provideri, portio item vini, Alumnis dari soliti ob inductum consumptionis vectigal imminui juberentur. Quae mutationes ansam dedere querelis, prout hoc in communitatibus frequenter recurrere solet, ubi unus alterve incontentus incentor, facile in motum ponit reliqua quaeque Communitatis membra, ut adeo ex parva scintilla sic facile exoriatur incendium. Evenit id nunc in Collegio Pazmaniano quoque. Dum enim Alumni Praefecto, miserum Collegii statum alleganti, fidem querulantes adhibere nollent: ad Archi-Episcopum, et Vicarium Generalem recurrunt; ast responsum tulere sane meritum. Dicit enim in responso suo nomine Archi-Episcopi Vicarius Generalis Stephanus Nagy Episcopus Themysiensis: „Supersedendum erat ab hoc seu ad me, seu ad Suam Eminentiam Recursu, qui si non turbulentum et inquietum, certe sollicitum earum rerum animum denotat, quas etiam gentes inquirunt. Vos autem Dilecti Filii non sic: sed habentes, quod manducetis, et quibus induamini, his contenti sitis. Studiorum ac

Ladislaus Gulik Praefectus.

---

1) Debuissent 20 Alumni ad Pazmaneum transponi, ast testibus Ratiociniis eorum annorum, decem solum ibidem alebantur, aliis 10 Budae locum invenientibus.

Virtutum palestra est, in qua degitis. Finis Vester, ad quem tam vocatione ipsa, quam pientissimorum Fundatorum intentione ac voluntate tendere obligamini, est. ut per solidum litterarum studium atque exercitium tales in Alumnatu evadatis, quales non ita multo post ad procurandam animarum salutem evocati, alios efficere debetis. Ad quod profecto nec esca nec potus quidquam momenti adferet, sed cooperante Domino virtus scientiae conjuncta. Nec vobiscum illud persuadeatis, quod tamen fundamenti instar habere videmini, omnia illa, quae vobis adhuc praestabantur, jure nescio quo vobis deberi. Qui enim Collegium hoc instituerunt ac fundarunt, pientissimi parentes Vestri, de Vestro tantum, filiorum olim suorum, in virtutibus ac literis progressu solliciti erant, ut hoc dupplici quasi praesidio muniti et Vestram et aliorum salutem tanto securius impensiusque procuretis. Victus ac vestitus rationem nullam stabilem praefixerunt, sed eam ita ordinandam commiserunt, prout successivis temporibus e re ac utilitate magis fore videbitur."

Aluit anno hoc scholastico 1781 Collegium e dispositione ejusdem Vicarii Generalis Ladislaum Comitem Csáky, et Carolum L. B. Perényi, qui quidem victu, cubiculo ac servitio ad rationes distinctas gaudebant: omnem tamen disciplinam domesticam cum Alumnis reliquis observare debebant.

Annus porro hic tristissimus pro Imperio, et Urbe principali, Collegio etiam suum cum fine reliquit dolorem. Augustissima enim Imperatrix, quae Collegium de novo fundabat, quia abolitum restituebat: die 3[a] Decembris 1780 solennibus cum funeralibus exequiis tumulo illata est. Membra Collegii ut eam, quam gratitudo et fidelis subditorum jubebat devotio, testarentur pietatem, precibus, oblatisque Domino pro requie Clementissimae Collegii Benefactricis sacrificiis, memoriam Matris potius, quam Dominae assidue recolebant.

Imperator Josephus II[us] Regnorum Imperio Austriaco subditorum gubernacula mox ut capessiverat solus, curas suas convertit in plurima, quae sub trutinam penitioris indagationis revocare cum non sit instituti nostri ratio, ea solum, quae Collegium ex ordinationibus ejus concernunt, referemus.

Per hortum Collegii via publica ducitur

Et primo quidem, presso moerore adhuc gravi Collegio, vix ab exequiis suae Benefactricis reduce, die 15[a] Decembris superveniens caesareum mandatum jubet excisionem integrae seriei arborum in horto, quo sic Imperatori, palatium suum in horto Au dicto inhabitanti, prospectus aperiretur ad hortum alium caesareum Prater dictum. Jussum caesareum adeo urgebat, ut jam 20[a] Decembris arbores caeciderint. Ingruente vere anni 1781[i] horti, qui inter fatum palatium, et pratum caesareum siti erant, volente sic Imperatore transsecti, viaque per illos publica ducta fuerat, sicque factum, ut hortus Collegii quoque bifariam divisus fuerit. Pro parte occupata Fiscus caesareus 2500 fnos Collegio solvit, qui mox, disponente sic Cardinale Archi-Episcopo apud fratrem ejusdem Theodorum Comitem Batthyányi elocati sunt. Horti nunc divisi pars anterior arboribus consita, distractioni Alumnorum, posterior oleribus excolendis inservit.

Alumni ad ordines majores non amplius promoventur sub cursu.

Sublata est anno 1782 consuetudo, a temporibus Pazmanni in Collegio ejus constanter observata, Alumnos aetatem canonicam habentes sub ipso cursu Theologico ad sacros Ordines promovendi. Imperator enim decreto suo altissimo cavit, ne quisquam Presbyteratus Ordine ante terminatum cursum Theologicum initietur; quod quidem Decretum cum proxime Dioecesim Viennensem attigisset: Praefectus Collegii Pazmaniani Archi-Episcopum Viennensem adiit, ab eoque quaesivit, an haec lex Pazmanitas quoque tangeret? in vicem responsi tamen ad suum Episcopum Strigoniensem reinviatus, ab hoc illud responsum tulerat: nullum dehinc ante terminata studia ad Pre-

sbyteratus, ac nequidem Diaconatus ordinem admittendum esse, absque praescitu suo. — Atque a temporibus istis nullos dein Collegium in sinu suo complectebatur Alumnos majoribus Ordinibus initiatos.

Collegium Pazmanianum pro Seminario generali Cleri junioris Austriaci destinatur.

Ast parva haec sunt, si comparentur cum moliminibus majoribus, quae Caesar mente volvebat. Inter coordinationes enim rerum ecclesiasticarum, quae suis non carebant violentiis, Collegium etiam Pazmanianum in computum venerat. Agebatur nimirum non solum de sufferendis pluribus ordinibus religiosis: verum etiam de conjungendis dioecesanis educationis institutis in unum Seminarium Generale, ubi inspectioni Episcoporum subducti, sub regimine virorum ab Imperatore constitutorum in Sacerdotes formarentur, Status intentionibus per omnia obedientes. Collegium igitur Pazmanianum quoque, ablatis inde Alumnis, mature aliam in mente Imperatoris destinationem obtinere coepit. Pro Clero enim Austriaco generale aliquod Seminarium erecturus Josephus, huic scopo Collegium Pazmanianum in principio destinaverat assignandum; quia tamen aedificium insufficiens videbatur, negotium in dies protractum tandem silentio premebatur.

Cardinalis et Archi-Episcopus Strigoniensis Josephus Comes Batthyányi, fama percrebescente de translatione Collegii Pazmaniani, a Praefecto ejusdem Ladislao Gulik sciscitabatur, quidnam de fama hac tenendum, quidve in obversum translationis intentatae praesuscipiendum foret. Reflexiones Praefecti eatenus transmissae, Vicario Generali Stephano Nagy communicatae fuisse videntur; hic enim tam insigni deductione depromebat opinionem suam, ut haec digna omnino sit, quae in annalibus Collegii adferatur.

Reflexiones Vicarii Gen. Strig. de sublatione Collegii.

Postquam laudatus Vicarius in reflexionibus suis exposuisset causas, cur immortalis Pazmannus recte Viennae Collegium suum erexerit, ut nempe in loco tuto et tamquam in asylo turbulentis etiam patriae temporibus

Clerus pro Hungaria educari et necessariis scientiis optime instrui possit; quod item causae translationis ab Æppo Francisco Barkóczy factae ignotae sint, quodve magnae memoriae Maria Theresia illud ideo restituerit, quoniam ejus translatio menti Fundatoris contraria fuerit, factaque sine Capituli Strigoniensis consensu vero; vero inquam ideo, quia Capitulum ab Æpiscopo adactum non quidem ad translationem, ast facta jam translatione, ad venditionem domus Collegii Dioecesi Zagrabiensi factam, consensum dederat, citatis nihilominus literarum fundationalium verbis, domus abalienationem vetantibus, ut adeo consensus hic magis resensus dici possit; his inquam praemissis, prosequitur doctus hicce Vicarius: „Ex quibus deduco, consilio nostro ad id influendum non esse, ut Pazmanaei Collegii Alumni loco et statione sua deturbentur. Ego quidem me nec cogere possum, ut in contrarium motivum vel unicum adferam. Praescindo enim a sequelis aliis, quae forte juste praemetui possunt, etiamsi nunquam eveniant, non boni res esset exempli contra manifestam piorum Fundatorum voluntatem agere et consilia suppeditare; *si enim in una re ambulatoria efficiatur Fundatorum intentio, nulla erit tam pia et tam sancte statuta fundatio, quae ad arbitrium sub praetextuum nonnullorum velamine, primum quidem in alios fines converti, tandem autem evelli non possit.* Si Rex, qua piarum Fundationum inspector, ad manutenendas piorum Fundatorum intentiones, et destinationes se obstrictum profitetur, quanto potiori obligamine Nos ad id stringimur, qui directi et immediati harum Fundationum Administratores sumus? *Pessime res agitur, ubi pupillum suum jam nec Curator ipse defendit.*

Caeterum si est benigna determinatio Caesareo-Regia, ut Alumnatus Viennensis in obversum praeexpositarum et demisse repraesentandarum rationum Budam transferatur, denique mea demissa opinione Collegium saltem,

juxta mentem Fundatoris vendi non deberet, sed ad censum elocari.

De ipsis porro Alumnis ita statuendum esse censerem, ut illi ad Seminarium Generale Budense transferantur, ea tamen conditione, ut Széchenyianum Seminarium, retento vestitu, nomine et distinctis Superioribus suis, eisdem assignetur. In quantum vero Seminarium Generale iis recipiendis non sufficeret, in tantum et in tali numero Clerus hujus Dioecesium aliarum, qui nunc primum Seminario Generali adjectus est, Clero graeci ritus adjungeretur.

Quod enim retentionem vestitus nominisque concernit, id propterea censeo, ut Pazmanni memoria, quae aeternitatem promerita est, conservetur [1]; quae facile ex animis hominum elaberetur, nisi per vivas imagines continuo refricaretur. Multum alioquin jam ab eo tempore passa est detrimenti, a quo fundata ab eodem Tyrnaviensis Universitas, post sui reformationem Regiae Universitatis nomine insignita est.

Distinctos pro illis superiores propterea projecto, quod, ut est vetere proverbio traditum „ubi multitudo, ibi confusio". Manifestum ejus rei exemplum est in moderno Seminario Generali, ubi res ad plenum et debitum ordinem hucdum non pervenit, neque vero in tanta multitudine unquam deveniet. Artis enim est, in tanta copia nominetenus omnes noscere, nedum in comperto habere de quovis individuo, quid sponderet ingenio? quive valeat moribus? quod tamen ad rectum gubernium necessarium esset. Huc accedit, quod nec illa, quae pertinent ad escam tantae multitudini rite administrari possint; quae quidem sunt ultima; sed longa experientia docuit, nisi inferioribus accurate praestentur, quae debentur, sine debito fructu ab illis exigi, quae praecipiuntur. Neque unquam fuit mens

---

[1] Jam anno 1781 de 8ª Martii quaesivit Cardinalis Episcopus a Praefecto Collegii Pazmaniani, an non Pazmanitis in locum caerulei nigrum in futurum vestitum dare praestaret?

piorum Fundatorum, ut multiplicentur subjecta in Seminariis, cum onere communitatis, et singulorum individuorum, sed cum utilitate totius Dioecesis. Praeterea nec in modo dicendi semet sufficienter exercitare possunt, atque adeo nec ejus rei specimen in Alumnatu dare, cujus tamen intuitu potissimum ad statum ecclesiasticum assumpti sunt; actualis enim numerus Seminarii Generalis Alumnorum causa fuit, quod ad complures ordo concionandi non devenerit.

Denique neque in eo errare me puto, quod censeam in casum translationis Pazmanitarum ad Universitatem Budensem, locum pro illis in Seminario Generali cum exclusione alienarum Dioecesium Alumnorum, qui ad hoc Seminarium jus antea nullum habuerunt, praeparari oportere. Si enim novum parandum est hospitium, ipsi rationi et aequitati conformius est, ut retentis domi domesticis, illud pro extraneis praeparetur. Quis enim Paterfamilias ad id se cogi et induci pateretur, ut hospitium conducere teneatur pro filiis familias, quo hospitari in domo ejusdem commodius possint extranei?

Quodsi autem e certis quibusdam principiis illud effici non posset, ut qui jam ad Seminarium Generale recepti sunt Alumni recenter erectarum Dioecesium, inde ob adventum domesticorum Alumnorum emigrent, commodissimum pro Pazmanitis hospitium in domo Tyrnaviensi condam Rubrorum paratum est, quae domus, licet in eam magnae factae sint expensae, inanis tamen et vacua hucdum haeret. Sed in hac hypothesi demisse petendum esset a Sua Majestate Sacratissima, ut Academiam suam Regiam Tyrnaviensem ad eum pedem collocet, in quo subsistit Jaurinensis; nimirum ut ad praeexistentes jam hic facultates, Artisticam, Philosophicam, et Juridicam, Theologicam etiam Facultatem e fundo Studiorum clementer resolvere dignetur; quod Sua Excellentia Comes Balassa tum coram Eminentia Vestra, quam nuperrime coram me se

effecturum adpromisit. Quo pacto melius adhuc consuletur Dioecesi, quam si Pazmanitae Budam transferantur, sub immediata enim Superiorum suorum inspectione erunt."

Alumni Budam translocandi decernuntur.

Reflexiones hae viri defecatissimae mentis, doctique vere paedagogi tempore hoc, dum ad exemplar Regis, cunctas institutiones ecclesiasticas juxta certam praeconceptam sibi ideam convellentis, movebantur cuncti, proh dolor carebant effectu. Jam enim mense Martio 1783° resolutio regia Collegium Jesuitarum Viennense pro Seminario Generali assignavit; adjecta fuit huic resolutioni sequens clausula: „Cum autem Pazmanitae alioquin Budam sint transferendi, domus illorum Seminario huicce etiam, et quidem gratis adjungatur; mihi enim — verba fuere Majestatis — perinde est Episcopus aut Clericus unius vel alterius Provinciae." — Vix autem elapsis paucis diebus jam Cancellarius Hungaricus ab Imperatore sequentis tenoris accepit resolutionem: „Cum Seminario Pazmanitarum pro hujate Seminario generali opus habeam, illud una cum horto in hunc finem occupabo; quare faciat requisitas dispositiones, ut Pazmanitae cum initio futuri anni scholastici in Seminario Generali Budae erigendo constituantur, hujas autem supra attactum Seminarium tempestive evacuent." Retulit Praefectus haec omnia Cardinali Æpiscopo Comiti Josepho de Batthyányi, addiditque novas sub 28ª ejusdem mensis Martii literas, quibus Cardinali significat, qualiter Cancellaria Hungarica, quo Pazmanitas Viennae conservaret, projectum Suae Majestati fecerit, ut Collegium quidem usibus Seminarii Generalis inserviat, Pazmanitis autem Claustrum olim Nicolaitarum Monialium assignetur. Nil tamen Cancellaria obtinuit, Imperatore penes suam resolutionem permanente; et solum erga personaliter iteratas Cancellarii preces enunciavit Imperator, se contrarium non esse seu Budam, seu Tyrnaviam Alumni Collegii transferantur.

Imperator Alu-

Periculum translationis Collegio imminens, aliquan-

tulum dilatum fuit propterea, quod Seminarium Generale numero Alumnorum in projectum sumpto sufficeret; nec tamen Imperator in rescripto suo ad Cancellariam dimisso plus favoris Pazmanitis pollicebatur, quam moram, Collegio eousque immanendi, donec illo Imperator non indiguerit pro scopo sibi praefixo. Quae dum sic agerentur, post breve tempus iterum alia mens erat Imperatoris. Volebat quippe tum Pazmanaei, tum Collegii Croatici, et Graeci Alumnos in vastum Viennense, de novo erectum Seminarium inferre; qua intentione cognita Praefectus Mensis Octobris die 18ª Cardinali Æpiscopo Batthyányi consilium illud suggesserat, ut saltim illos fundationis Seminarii S. Stephani Alumnos decem, qui ab aliquot annis hic alebantur, ocyus Budam transferri curaret, quo sic in casu translationis Pazmanitarum in Seminarium Generale Viennense adminus hi decem salvarentur. Consilium Praefecti acceptatum fuit, Alumnique illi cum mobilibus, quae Tyrnavia partim secum tulerant, partim, quae pro ipsis sumptibus Seminarii Tyrnaviensis hic curabantur, navi impositis, Budam remigarunt.

mnos in Seminarium generale Viennense incorporare intendit.

Ad cumulum tantorum periculorum, quae Collegio Pazmaniano in dies magis minabantur, accessit et aliud, quod internam Collegii vitam afficiebat. Doctrina quippe novella, perversa tamen nimium, a Jansenio cognominata, quae multas Ecclesiae undique superinduxit calamitates, ispam adeo Aulam Caesaris penetravit, ac potenti aulicorum patrocinio suffulta, proselitas sibi ubique, maximo tamen cum studio in educationis ecclesiasticae institutis colligere conabatur. Nec sine successu. Ex literis enim Cardinalis Batthyányi ad Praefectum Collegii anno 1782 29 Augusti dimissis clarum fit, placita novae hujus doctrinae ipsa atria sacratiora penetrasse; injungit enim Cardinalis Praefecto ,,ut Alumnis suis omnem accessum, colloquia et familiaritatem cum Domino Plorer Collegii Migazziani Viennensis Directore, velut homine pernicioso,

Jansenii principia in Collegia pullulare coeperunt.

Jansenisticisque principiis saturato inhibere, caute tamen ob evitandum strepitum scandalumque, adlaboret.“ Quantopere autem sollicitudo haec Cardinalis fundata fuerit: e relatione apparet Praefecti diebus 25 et 27 Augusti anni 1783 Cardinali facta, ubi hic queritur, quod non obstante omni cautela sua, sub absentiae ejus a Collegio tempore, fatus Plorer, cum sociis suis Hanko et Molinari iterato Collegium subingressi fuerint, ibique fautorem et discipulos invenerint; quomodo item libros Jansenistarum pseudomysticos inter Alumnos distribuerint, quodve Alumnorum plures lingvae gallicae, ob intelligentiam horum librorum condiscendae, toti intenti sint. Cardinalis igitur his perceptis fautorem et discipulos doctrinae hujus a Collegio removit, sicque malum, quod sub aegide genii regnantis facile perniciem afferre potuisset, in radice mox eliminatum fuit.

Collegium pro habitaculo Academiae Theresianae destinatur.

Periculum translationis Collegii ad preces Cancellarii hungarici paululum dilatum, elapsis vix aliquot mensibus recruduit. Refert enim Praefectus 8 Decembris anni 1783 Cardinali Batthyányi: „Baronem Stillfried Theresianae Academiae Directorem, mandato regio provisum in aedibus Collegii comparuisse, atque domum inspexisse, an illa suscipiendis nobilibus Academiae hujus Alumnis sufficeret, simulque promisisse, Collegio, si pro Academia hac aptum judicaretur, pensum certum ab aerario dependendum fore. Quia tamen idem Baro Stillfried simili scopo Collegium etiam Graecorum lustraverat, illudque finibus suis aptius deprehenderat, ne in angustiori Collegio Pazmaniano magnis sumptibus multae adaptationes praesuscipi debeant, Collegium Graecorum delegerat.“

Ladislao Gulik in Collegio mortuo succedit Georgius Riczinger.

Haec dum Praefectus Collegii pro munere suo fideliter Cardinali a Batthyán refert: die 27[a] Decembris ictu apoplectico lethaliter tactus, occubuit, sepultusque est convenienti cum decore Viennae. Cujus repentinam mortem ut audiverat Cardinalis Æpiscopus, exigentibus id criticis

rerum adjunctis, mox die prima Januarii 1784[1] Georgium Riczinger, Ecclesiae Collegiatae Posoniensis Canonicum Collegio Pazmaniano praefecit, eumque instructione debite provisum, absque mora munus suum ordiri jussit. Quo autem novus Praefectus actorum ante se negotiorum penitiorem cognitionem nancisceretur, Cardinalis omnes suas, quas cum denato Praefecto Ladislao Gulik fovit circa Pazmaneum correspondentias partim in origine, partim in copia consignavit [1]). Qui primis diebus Januarii Viennam pertingens, cum Collegium omnem in casum aliorsum transferendum audiret, praedecessoremque suum ad quaesita Cardinalis responso teneri ex actis intelligeret: ipse statim retulit nuncium Cardinali circa domum Collegii contiguam, seu Montis aurei, hortum item in suburbio locatum, quae omnia, prout et Collegium Cardinalis Batthyányi sine strepitu sub manu divendere optabat. Praefectus Georgius Riczinger hanc Cardinalis mentem cognoscens, respondit: medicum Collegii Valentinum Seredi paratum esse domum contiguam 9000 fnis emere; quoad hortum autem plures emptores praesto haberi, quorum tamen nullus pro horto, aedificiisque ejusdem plus quam 11500 fnos polliceretur [2]).

Rapido cursu tempore hoc destructionis vehebantur cuncta; singula dies, nova in publicum deduxit decreta, incessanter sibi subsecuta, quae ordine deleverunt monasteria, seminaria, instituta, confraternitates, loca pia, quae longo temporis decursu parta, novo aevi genio de repente locum cedere debebant. Voluntas Imperantis — qui quantopere nullam toleraverit repugnantiam, exempla satis docuere — timoris, velocisque determinationis ansa fuit urgentissima. Quid mirum igitur, si Cardinalis Batthyányi

---

[1]) Fasciculus hic correspondentiarum, inter quas Cardinalis Episcopus literas suas potissimum proprio pugno scripserat, adest in Archivo Collegii; in quo fasciculo etiam cuncta adusque de temporibus illis relata continentur.

[2]) Act. de 1784 Nr. 31, 32.

quoque, removendos e Collegio Pazmanitas certo cognoscens, contractum de vendendo horto ab Episcopo, et Referendario Aulico Okolicsányi etiam probatum, ratihabuerit, sibique ocyus transmittendum disposuerit, quo sic Metropolitani Capituli sui consensum in projectum hocce exquireret.

Provida Capituli Metr. Strigoniensis contra alienationem fabricae Collegii enunciatio.

Ast vero Metropolitanum Capitulum Strigoniense bene mente tenens tempora Barkóczyana, sequelasque, quae ex venditis Collegii Pazmaniani aedificiis Capitulo ipsi superinductae sunt, inamoenissimas: dum Cardinalis Archi-Episcopus ejus in alienationem horti consensum peteret, digno sane omni posteritati exemplo in hunc modum reverenter semet enunciavit:

„E benigna dispositione Eminentiae Vestrae communicavit nobiscum Dominus Episcopus Generalis Vicarius certa acta velut praeliminares tractatus de venditione horti, et censualis domus Collegii Pazmaniani, quae de jure speciem alienationis sapit. Ad quaestionem requisiti consensus Capitularis, sequentibus demissa sensa nostra depromimus. Et quidem

Imprimis ea nobis obversatur consideratio, quod nos eo ipso vocationis Nostrae instituto praecipue debeamus eniti, ut mutatis etiam temporum circumstantiis, quantum fieri potest, si non in toto, saltem in parte satisfiat menti Fundatorum. Dum autem magnus Pazmannus Viennae comparavit domum, et appertinentes Fundos pro juniore Clero, id etiam inter caetera prae oculis habuit, ut is tutum domicilium teneat in urbe Caesarea, quod pro ea tempestate in Patria, plena securitate non poterat obtinere. Cessarunt quidem ea tempora, neque sub felici providentia gloriosi imperii principum Nostrorum amplius sunt metuenda; haud tamen provideri potest, annon fortassis ex alia emergente utili causa Fundi illi Collegio non erunt aliquando necessarii?

Vidimus ante paucos annos diversa Clericorum tyro-

cinia in unum Seminarium Generale conflata, et rursus Pazmanitas suis avitis laribus restitutos esse. Videmus etiam hodie vastum Seminarium Budense, nuper Tyrnavia eo translatum, in plura iterum disjungi domicilia.

Quodsi ergo subinde, ex quocumque demum incidenti, Pazmanitas Viennam redire contingeret, irreparabile damnum subiret Fundatio ex praemissa abalienatione; neque jacturam tam utilis censualis domus, tamque commodi et elegantis horti reparare posset.

Deinde autem etsi certum est et fixum, Alumnatum Pazmanianum proxime transferendum ad novum regium Seminarium Posoniense, reservatio tamen eorundem fundorum in natura, cum longe utilior futura sit pro bono et securitate Fundationis, tum etiam principali benigno systemati plene cohaerebit. Si enim Majestas Regia pro summa sua aequitate et Clementia anno adhuc 1777 mediante peculiari Decreto in salvo reliquit utiles fundos Tyrnavienses, eorum Seminariorum, quorum Clerici Budam commigrarunt, non videtur esse ratio dubitandi, relicturam etiam benigne Pazmanianos Viennenses.

Praeterea constat quotidiana experientia, summas capitales et eorum interusuria, variis et frequentibus periculosis casibus obnoxia esse. Qua de causa etiam Fundationis Pazmanianae major erit utilitas et securitas in praenotatis fundis immobilibus, quam eorum pretio ad censum elocando. Tanto a fortiori, quod omnes Collegae nostri, qui praefecturam Collegii Pazmaniani gesserunt, una voce recognoscant, et domum censualem et hortum notabiliter plus valere, quam summae pecuniariae pro illis oblatae. Atque adeo, si subinde fortassis ex inevitabili necessitate vendi debuerint, praestabit mediante licitatione pretium augere. Quamdiu autem in natura retineri potuerint, ex locatione eorundem et sarta tecta commode conservabuntur, et fundo Collegii fructificabunt.

Denique priusquam Clerici Pazmaniani effective

domum vacuam relinquant, nonnihil praemature nobis videretur esse eorum fundorum distractio; utpote, quae ex natura sua justam posset praebere ansam suspicandi, Eminentiam Vestram cum Suo Capitulo ante tempus consensisse in abalienationem et commassationem fundorum Collegii Pazmaniani.

Quibus omnibus attentius pensatis ex parte nostra demisse in Domino existimamus, propositam venditionem domus censualis et horti, tamdiu suspendendam esse, donec urgens periculum et necessitas aliud non svaserit. Nos enim humillimam opinionem fundamus unice in praesentibus rerum et temporum adjuctis, dispositioni legis Canonicae accomodatis, quae generaliter vetat alienationem bonorum ecclesiasticorum, nisi id evidens beneficii utilitas, vel necessitas exposcat, qualem de facto nondum adesse putamus.

Oramus autem demisse Eminentiam Vestram, ut hanc nostram candidam declarationem in benignam partem interpretari, neque ulli nostro vitio, sed praecise gravissimis Ecclesiae constitutionibus et ligatis per eas conscientiis nostris attribuere dignetur.

Qui in reliquo etc. Tyrnaviae 28 Februarii 1784. Capitulum Strigoniense.

Caeterum hac enunciatione Capituli sui percepta, tantum abest, ut offenderetur Cardinalis, ut potius die 13 Martii reflexiones Capituli Metropolitani in copia Praefecto submittendo [1]) edixerit: „Siquidem plures a Capitulo adducerentur reflexiones, et consequenter deficeret conditio, sine qua non, seu defectu Consensus requisiti, cessat ratio perficiendi Contractus venditionalis“. Commisit una Praefecto, ut fundos in majus Fundationis praesens, et futurum emolumentum elocaret. — Quod ipsum etiam Praefectus jussis conformiter praestitit, actuali hortulano

---

[1]) Acta de 1784 Nr. 34 in Arch. Colleg.

Collegii hortum cum domo erga quadringentos annuos florenos pro sex annis vi contractus, ab ipso etiam Cardinale Batthyányi subscripti, elocando [1]).

Mensis agebatur inter haec Martius, et Alumni paulatim e Collegio dilabi, in patriamque suam remeare coeperunt. Collegium enim ad Seminarium generale Posoniense transferre verbum regium jubebat. Qualis vero sors fabricam Collegii cum domo contigua mansura sit, adhuc ignorabatur; cum a proposito, illuc Academiam Theresianam transponendi, recessum fuerit. Nec tamen diu incertitudo haec durabat; die enim 4ª Aprilis comparuit in aedibus Collegii Joannes Storck nuper transplantati in Austriam surdomutorum instituti Magister [2]), exhibuitque Praefecto consignatum sibi, ac a Comite Leopoldo Kolowrat subscriptum mandatum, quo jubebatur Collegium Pazmanianum sine mora adire, domumque hanc, In- Collegium Surdomutis traditur.

---

1) Ibid Nro. 35, 36.

2) Ab anno 1779, quo institutum hoc saluberrimum ad instruendos in religione et scientiis homines sane infelicissimos, ad normam Parisiensis omnium primi similis instituti Viennae fundatum est. Dum enim Imperator Josephus II. anno 1778 Parisiis versaretur, audivit, irremissis conatibus presbyteri l'Eppée inventam esse artem instituendi compassione dignissimos surdomutos, stupendoque effectu tales jam per viginti circiter annos in religione, scientiis ac artibus instrui. Adiit igitur institutum hocce, ac per duas horas infelicium horum hominum aquisitam sub institutione svavissima senecionis illius presbyteri dexteritatem admiratus, decrevit animo, institutum tale pium ac salutare Viennae quoque erigere. Redux domum a Cardinale Æpiscopo Viennensi Christophoro Migazzi sacerdotem sibi praesentari petiit, qui tanto negotio suscipiendo aptus videretur. Cardinalis laudatum Joannem Storck sacerdotem, in Ecclesia Metropolitana ad S. Stephanum Choro inservientem Imperatori praesentavit, qui etiam sumptibus Imperantis Parisios missus, octo mensium decursu cura presbyteri l'Eppée sic instructus rediit, ut testimonio magistri sui splendido aptus declararetur institutionem surdomutorum suscipiendi. Suae igitur Majestates scholam surdomutorum in nosocomio civico, anno citato aperiri fecerunt, Joannesque Storck institutionem suam cum sex pueris, totidemque puellis occeperat. — Institutum istud serius, anno videlicet 1782 e nosocomio civico in domum Stogerianam in platea Wollzeil dicta penes portam Stubenthor appellatam, fuit transpositum, numerusque alumnorum ad triginta fuerat elevatus, qui munificentia Imperatoris ibi quoque gratuito victu, vestitu, gratuitaque institutione providebantur. Admirabilem autem surdomuti hi fecerunt profectum; dum enim e loco suo angusto, juxta mandatum Imperatoris in aedes Collegii Pazmaniani deinde transferrentur, ibidem pro iisdem typographia fuit erecta; quod factum tam splendido effectu coronabatur, ut anno jam 1785 primus liber a surdomutis his impressus in lucem prodierit. Non minores autem in aliis quoque ramis scientiarum, artium, opificiique fecerunt progressus. Sicque homines hi, qui pro societate humana quasi perditi credebantur antea, onerique solum fuerant suis parentibus, et patriae: in individua efformati fuere societati utilia. Vid. Geisau. Geschichte der Haupt- und Residenzstadt Wien. IV. pag. 459. 509.

stituto surdomutorum decreto Majestatico addictam perlustrare, de eoque opinionem suam enunciare, quaenam mutationes fine hoc in domo praesuscipiendae forent. Praefectus jussis altissimis parendo, fato Presbytero Joanni Storck domum totam perlustrandi copiam fecit, cui etiam domus tota veluti aptissima valde placuit, maxime tamen habitaculum Praefecti, quod suae commoditati destinavit.

Praefectus cuncta haec Cardinali Archi-Episcopo Batthyányi retulit, addiditque, se ab eodem Joanne Storck intellexisse, multam spem fore, ut hospitium instituti surdomutorum Collegio bonificetur. Ejusdem mentis etiam Cancellarium aulicum esse una enunciavit. Nihilominus tamen e mente Cancellariae insinuat Cardinali, de re futurum esse, porrecto Imperatori recursu, quamdam etsi exiguam recompensationem pro Collegio petere, saltem ad conservandum jus dominii in illud. Praestitit hoc Cardinalis, verum absque effectu.

Imperator Josephus II Collegium visitat.

Die 15ª Aprilis horis matutinis iterum comparuit in Collegio fatus Joannes Storck e Cancellaria Suae Majestatis missus, qui Imperatorem, eadem adhuc die hora meridiana in Collegium venturum, cunctaque perlustraturum Praefecto nunciavit. Praefectus ad tanta jussa paratissimus, omnia musaea, dormitoria, ambitus, et quaevis domus reclinatoria, quantum per tempus licuit mundata, ad exhibendum praeparabat. Imperator inspecto hora constituta prius Graecorum Collegio, hora media ante primam Collegium Pazmanianum subingressus est, ac homagiali cum submissione per Praefectum salutatus, in praesentia Joannis Storck cuncta domus habitacula perlustravit. Complacuerunt autem Imperatori Collegii spatiosa musaea ac dormitoria adeo, ut praesenti Joanni Storck demandaverit, sibi quo ocyus exhiberi projectum de adaptandis fini praefixo domus habitaculis [1]).

---

[1]) Dum haec Praefectus Cardinali et Archi-Episcopo significabat, complacuisse

Nullus exinde morae relictus est locus. Cancellaria hungarica jam 17ª Aprilis Praefecto translationem Alumnorum mandavit; quia tamen Praefectus Alumnos ex inviatione Cardinalis Archi-Episcopi non prius se moturum loco enunciavit, quam repraesentatio ejusdem Cardinalis de praestando pro habitatione surdomutorum censu, responsum non tulerit: ideo Imperator, sequentes ad Cardinalem Archi-Episcopum die 18 Maji dimisit literas regias: „Josephus II etc. Reverendissime in Christo Pater, et Illustrissime S. R. C. Princeps, Cognate nobis sincere dilecte! Quoad pazmanianum hujus junioris Cleri Seminarium in clementer destinatos surdomutorum usus convertendum, Rdssimae Paternitati, Dilectioni, et Fidelitati Vrae. sub 27ª Aprilis benigne jubere dignati sumus, ut omnis eo dirigatur conatus, quo cuncta quo citius effectui mancipentur. Quoniam autem Nobis demisse relatum habeatur, quod adusque nec resignatio quaestionati Collegii subsecuta, nec de censu annuo tractatus initus existeret, hinc Rsae. Paternitati Dilectioni et Fidelitati Vestrae hisce rursum committendum esse duximus, ut cum antelatorum surdomutorum Professore Presbytero Storck tractanda medio constituendi eatenus Deputati, mora absque omni tractare, consummandaque quantocyus consummari facere haud intermittat. Qui de reliquo etc. Josephus m. p. Comes Carolus Pálfy m. p. Joannes Schmith m. p. [1]).

Citius attamen, quam literae hae ad Cardinalem Archi-Episcopum pertigissent, Alumni in Collegio undique pressi, dilapsi sunt. Die 14ª Maji ultimus Alumnus, die 1ª Junii ultimus e Superioribus Vice-Praefectus domum deseruit, cum jam prius mobilia Collegii partim

---

nempe Imperatori Collegium: Cardinalis literis in margine apposuit: „praestitisset si non placuisset“ Arch. Coll. 1784. Nro. 40. — Acta porro vide ibid Nro. 39.

[1]) Act. orig. in Arch. Coll. Litt. A.

vendita, partim Posonium translata fuerint. — Jussus quidem est Praefectus per Cardinalem Archi-Episcopum post acceptum Imperatoris rescriptum rursum Viennam ascendere, ac secundum instructionem sibi submissam ibi permanere, nec Collegium, etsi erga pactandum censum, ulli tradere, nisi traditio directe ab Imperatore per scriptum, verbum, vel per intimatum Cancellariae hungaricae demandetur. In casum autem, si Collegium occuparetur, tunc inviatus fuit Praefectus, cautela interposita, illud derelinquere absque oppositione; si autem alicui tractatui adhuc locus daretur, vel reservatae, tunc in pessimum casum negati omnis census, jussus est Praefectus reservare saltim ea, quae a necessitate surdomutorum remanerent, tamquam usibus illorum superflua, vel ad minimum ea, quae jam in censum elocata sunt. Si tandem nil impetrari posset, jussus est Praefectus Posonium redire.

Et tristis hic casus evenit pro Collegio; quod enim Praefectus viva ex voce die 10 Maji audierat, quodve mox die sequenti Posonium abiens Cardinali retulerat, id die 15 Mensis ejusdem Maji anni 1784 in Cancellaria publicatum erat, decretum nempe Imperatoris manuale ad Baronem Kresel dimissum, quo tum Collegium Pazmanianum, tum domus ejus censualis, tum hortus, surdomutorum Collegio gratis resignanda praecipiebantur, Collegium usibus surdomutorum adaptatum inscriptionem tulit deinceps sequentem:

SURDORUM. MUTORUMQUE.
INSTITUTIONI. ET. VICTUI. JOSEPHUS II. AUG.
MDCCLXXXIV.

Sublatum erat hac ratione Collegium Pazmanianum iterum, posteaquam illud semel sublatum, a fatis Archi-Episcopi Francisci Barkóczy, ante annos octodecim pristinae sedi reddidisset magnae memoriae Imperatrix

Maria Theresia. Sufferri Collegium Pazmanianum eo majori moerore vidit Ecclesia Hungarica, quod illius sublatio verbo regio facta sit; ob idque ejus restitutio non facilis credebatur. Collegium ipsum occupabant surdomuti, hortus etiam eisdem assignabatur; reditus domus censualis, Mons aureus dictae, pariter huic instituto fructificabant; quae omnia Imperator gratis huicce instituto cesserat, factum suum illi motivo superstruendo, quod Alumni Collegii Pazmaniani ad Seminarium Generale Posonium translati, ibidem alioquin gratuito habitare possint. Capitalia etiam fundationis Imperator cum reliquis cunctis Seminariorum fundationalibus pecuniis in fundum Religionis inferre jubebat, unde Alumni Dioecesium Hungariae in Posoniense, et Pestinense Seminarium Generale collecti sustentabantur. Molimen hoc, cui simile per totum Imperium, Episcopis nec quaesitis, nec auditis, Imperator praesusceperat, nimiopere commovit animos cunctorum. Dum enim viderent Episcopi, a magistris per Imperatorem constitutis, collectae in unum violenter juventuti ecclesiasticae talia proponi principia, quae a genuino spiritu Ecclesiae, salutem suam in Capite suo non immerito repositam credentis, multum abludebant, magisque apta erant nationalem quamdam, placitis Status civilis per omnia ancillantem, quam libertatis suae a Christo acceptae consciam Ecclesiam catholicam in vasto Imperio Austriaco constituere: non immerito cohorrebant, omnem erga visibile Ecclesiae Caput pietatem juxta praemeditatum systema ex animis juventutis etiam ecclesiasticae eximi cernentes. Timor tamen tenebat plurimorum animos, paucique solum valebant spiritu, levare voces suas, dum Imperator sanctuarium ipsum cum ritu reformando convellebat. Ordines religiosi adinstar paleae e horreo suo sacro in omnem ventum fori mundani dispersi, Sacrorum antistites omni pene auctoritate privati, a vitalique fonte suo Romano Pontifice avulsi, objecta ludibrii evaserunt, juvenesque omnibus

paedagogiae principiis in obversum in generalia Seminaria contrusi, cum spiritu disciplinae genuinum etiam ecclesiasticum spiritum mature, si non plene amiserunt, cum certo non imbiberunt.

Inter tanta, quae in universali hac conflagratione Collegio supervenerunt mala, illud tamen bonum remansit, quod Alumni ejusdem ad Seminarium generale Posoniense, magis Status quidem, quam Ecclesiae Institutum translati, quoad spiritus sui puritatem minori in periculo versabantur, quam si Magistros audire debuissent, institutioni Cleri junioris in Universitate Viennensi praefectos, doctrina quidem excellentes, verum mensuram genuinae disciplinae ecclesiasticae non exaequantes, prout libri eorum scholastici posteritati relicti id abunde testantur. Nihilominus periculum a foris et ab intus in dies crescebat, donec repentino, nec exspectato eventu tota moles aedificii, violenta manu Josephi II fundati, in rudera concidisset.

Nova rerum facies illucescit.

Historia enim aevi Josephini refert, quod Belgae catholici per insolentiam arbitrii, quo conscientia eorum, sensusque religionis ininterruptim perturbabantur, vehementer offensi, praeeuntibus scholaribus Lovaniensibus motus cierint tam validos, ut huic accedentes Hungari, avitae constitutionis suae tenacissimi, aliaeque circumstantiae minantes, animum Imperatoris, viribus corporis alioquin fracti, moverint, ad revocanda paucis demptis cuncta, quae annorum decursu in obversum autonomiae ecclesiasticae, avitaeque constitutionis ac consvetudinis nationum sub Imperio Austriaco conjunctarum lege nova statuebat; sicque evenit, quod eadem velocitate disjungerentur ea, quae violenta, nec respectus congrui scia manu struxerat arbitrium Imperantis Josephi II. Mox enim ut breves suae, in extraordinaria intentae vitae dies cum aeternitate anno 1790 commutaverat, successor ejus Imperator Leopoldus animos subditorum, per antecessorem suum nimis exacerbatos cognoscens, prout nationi hungaricae jura et leges

antiquas, violenter sibi ablatas restituit: sic erga Ecclesiam quoque benigniorem se exhibuit. Omnia, quae primis statim regiminis sui mensibus in favorem Ecclesiae et Cleri praestitit, referre negotium nostrum non est; illud solum rem nostram propius adtinet, quod Imperator conjectas in unam massam Fundi Religionis fundationum pecunias, suis specialibus finibus mox anno 1790 reddi jusserit, qua resolutione Collegii Pazmaniani etiam fundatio e communi massa denuo segregata fuit; quae segregatio desiderium excitavit Cardinalis Batthyányi, Collegium hoc Viennam denuo revehendi. Quod autem Cardinalis animo sic conceperat, id etiam paulo post in effectum deduxit.

Mortuo praemature Imperatore Leopoldo, qui eum in regimine sequebatur, Imperator Franciscus I pio benignoque in Ecclesiam ducebatur affectu. Igitur Cardinalis Archi-Episcopus Josephus Comes Batthyányi anno 1794 die 4 Augusti una cum Capitulo suo Metropolitano recursum ad Imperatorem per Ablegatum suum Viennam missum direxit, Collegiumque Pazmanianum in suum antiquum locum restitui, aedesque Collegii, cum domo advicinata, ac horto suburbano, nunc usibus surdomutorum inservientes, juventuti ecclesiásticae Strigoniensi, menti fundatoris conformiter reddi, lucrum tandem cessans, et damnum emergens, quod Collegio e retentis in ejusdem surdomutorum instituti usus censibus, annorum novemdecim decursu accesserat, clementissime compensari petiit. Inter motiva recursus adferebatur, quod proprietas Collegii Pazmaniani, et huic adnexae domus Montis aurei, literis fundationalibus luculenter probetur; quod item ex benigna resolutione Mariae Theresiae Imperatricis proprietas Collegii hujus ad Clerum Strigoniensem pertinere dignoscatur; quod porro ipse Imperator Josephus II Collegium surdomutis pro incolatu solum, et non jure proprietatis assignavit; quod denique Clerus junior e molesto arcis

Molimina pro restitutione Collegii Pazmaniani.

Posoniensis incolatu, ubi complures sputo sanguinis corripiuntur, ocyus ad Collegium Pazmanianum reducendus sit, quo sic a morbo hoc periculoso liberetur, Ecclesiaeque servitiis conservetur.

Imperator recursum, qui etiam pro censu domorum Collegii sonticis ex rationibus petebat recompensationem, ad Cancellariam hungaricam aulicam ea cum inviatione remisit, ut desuper votum Consilii locumtenentis, commissionisque ecclesiasticae, nec non officii Directoratus cameratici audiatur. Consilio et Commissione ecclesiastica Cardinali Archi-Episcopo adstipulantibus, Directorium in negotiis publico-politicis et cameraticis jus Cleri Strigoniensis in fundos Collegii Pazmaniani agnovit; a refusione tamen censuum temporis intermedii, eo quod Pazmanitae Posonii gratuitum hospitium habuerint, prescindendum, Pazmanitasque in regno retinendos esse censuit.

Negotium sic per diversa dicasteria pertractatum, judicio Cancellariae hungaricae aulicae subjiciebatur, quae digna tantis Consiliariis sapientia, aedificia fundationalia supra fata, velut pro educatione et institutione junioris Cleri destinata, et per semialterum saeculum cum magno Religionis, et boni publici emolumento pacifice possessa, deinceps etiam ad mentem Fundatoris administranda opinabatur, addiditque, non eam hic esse quaestionem, an Clerum Strigoniensem pro futuro hic, an in Regno Hungariae educare expediat? verum an mens Fundatoris, qui partem Cleri sui majoribus etiam impensis in ipso celebrioris Universitatis loco educari voluit, adimpleatur; adeoque ut menti Fundatoris conformiter aedificia Collegii Archi-Episcopo restituantur. Quantum autem ad census recompensationem adtinet, censuit Cancellaria, Alumnos Collegii Pazmaniani ob id, quod Posonii in Seminario generali vixerint, ibidem eos non gratuito, verum sumptibus fundationis suae, in fundum Religionis conjectae, sustentatos fuisse, censumque propterea per annos novemdecim

restantem de jure quidem restituendum fore. spem attamen fundatam adesse, Cardinalem Archi-Episcopum a petito hoc recessurum [1]).

Concertatio post haec cum Directorio in negotiis cameraticis et publico politicis celebranda altissimo jussu demandatur, cujus effectus quis fuerit? docet Decretum sequens:

„Clementer visum est Majestati Suae Sacratissimae, ut Seminarium hujas Pazmanianum cum cohaerentibus domibus et fundis Clero hungarico Archi-Dioecesis Strigoniensis cum fine praesentis belli (gallici) restituatur, de praesenti nihilominus omnia in statu quo permaneant, et a petita Censuum resarcitione praescindatur" [2]). Commissum praeterea fuit Cancellariae bohemico-austriacae „ut cum Directione instituti surdomutorum modo statim circa institutum hoc finito bello alio transferendum se cointelligenter habeat."

Pace igitur anno 1801 cum Gallis conclusa, Capitulum Metropolitanum Strigoniense, Sede Æpiscopali a biennio jam vacante, eodem anno 1801, 17 Octobris orabat Suam Majestatem, ut secundum suum decretum Collegium Pazmanianum restituere, unaque translationem Seminarii Posonio Tyrnaviam resolvere dignaretur. — Vicarius Capitularis tunc erat Josephus Vilt, vir pietate et rerum gerendarum peritia celeberrimus, serius Episcopus Jaurinensis, quo avunculo gloriari nobis jucundum est. Hic zelosissimus Collegii Pazmaniani patronus, dum post pacem conclusam annum elabi, ac in obversum decreti, et repetiti oralis promissi caesarei Collegium tamen suo fini non reddi cernebat: anno 1802, 31 Julii iterum supplex factus est Imperatori, ut Collegium quo ocyus Archi-Dioecesi Strigoniensi redderetur, sicque Alumni pro susci-

---

1) Arch. Canc. h. a. 1795. 25ª Junii Nr. 8496.
2) Ibid. 5ª Oct. ej. Nr. 11059. Arch. Cancl. h. a. ann. et mens. eod. Nr. 10707.

piendis ad Universitatem praelectionibus anno jam scholastico 1802/3 illuc disponi possent. Imperator igitur his precibus motus, per manuales literas ad Cancellarium Comitem Pálffy dimissas, Episcopum ac Vicarium Josephum Vilt de eo certiorem reddi jussit, quod locis suis demandatum existat, ut tum surdomuti aedes Collegii, tum inquilini domus censualis Collegii pro festo Georgii anni 1803 illam inomisse deserant [1]).

Collegium Pazmanianum denuo restituitur.

Quod dum mandato regio conformiter factum fuisset, per tempus aestivum Collegium ad exigentiam Alumnorum Clericorum adaptabatur. Non autem exiguis sumptibus id perfici potuisse inde apparet, quod saepe laudatus Vicarius Josephus Vilt, supplici libello Imperatori exposuerit, 13099 florenos in reparationem et accomodationem Collegii impensos fuisse, quam summam e proventibus vacantis Archi-Episcopatus Strigoniensis resolvi supplicabat ideo, quoniam fiscus Collegii ob multiplicem Alumnorum, Vienna Tyrnaviam, inde Budam, hinc Posonium, inde Tyrnaviam, atque hinc iterum Viennam translationem, quae ultimis duobus decenniis evenerat, penitus exhaustus sit. Annuit optimus Imperator, ac paucula summa juxta certum calculum detracta, anno 1805 31 Januarii Collegio 10595 fni exsoluti sunt, quibus Collegium debitum suum penes Seminarium Tyrnaviense contractum cum 10000 fnis expunxerat. [2]).

Domo convenienter instructa, pro occepto anno scholastico advenerunt Alumni; laeti, quod avitas sedes tantorum antenatorum denuo occupare potuerint. Magnas attamen mox ad initium experti fuissent difficultates in discendo propterea, quod ad Universitatem studia germanico idiomate traderentur, ni providus Vicarius Josephus Vilt huic etiam impedimento mature mederi scivisset.

---

[1]) Ibid. 1803 Nr. 8053.
[2]) Ibid. ad an. 1804. Nr. 4077 et 79.

Novo enim supplici libello orabat Imperatorem, quo clementer demandare dignaretur, ut studia theologica sermone latino ad Universitatem traderentur; cum Pazmanitae lingvae germanicae ut plurimum ignari, in studiis secus impedirentur. Cancellaria hungarica preces has Vicarii succollante, Imperator ordines convenientes ad Universitatem dimiserat [1]).

Interea Regimini Collegii denuo restituti admotus fuit Franciscus Krammer, Eccl. Metropolitanae Strigoniensis Canonicus, olim Collegii Alumnus, et Vice-Praefectus, qui etiam postea nomen Rectoris sortitus est, prout etiam Vice-Praefectus Ludovicus Fabriczy postea Vice-Rector compellatus fuit. His additus fuerat Director spiritualis Joannes Lochner. Rector Franciscus Krammer cum Adamo Kaszaniczky Seminarii Tyrnaviensis Praefecto concertationibus circa sequestrationem fundationis Collegii Pazmaniani, mobiliumque ejusdem a capitalibus ac mobilibus Seminarii Tyrnaviensis, Tyrnaviae sub praesidio Vicarii Josephi Vilt asservatis postea interfuit; quia tamen fragmenta solum hujus concertationis supersunt, quid in ea proprie conclusum fuerit? certo non liquet; id constat, mobilia Collegii Pazmaniani vi dispositionis ejusdem de novo curata fuisse.

Confusis Seminariorum fundationibus, altissima dispositione destinationi suae speciali redditis, posteaquam respectivis ex locis relationes de statu Seminariorum Gubernio factae fuissent; anno dein 1804 [2]) prodivit Regulatio Seminariorum Tyrnaviensis, Scepusiensis, Neosoliensis, Rosnaviensis, ac Collegii Pazmaniani, cujus Regulationis puncta, Collegium Pazmanianum respicientia erant sequentia: Regulatio Seminariorum.

„Quinto: In Collegio Pazmaniano Viennensi per Car-

[1]) Arch. Cancl. II. Ad an. 1804. Nr. 4079.
[2]) 4ª Sept. a Locumtc. Consil. hung. intimata Nr. 19384. Arch. Canc. h. 1804 Nr. 5586.

dinalem et Archi-Episcopum olim Strigoniensem Petrum Pázmány fundato ex consideratione praeexistentis fundationalis status, notabiliterque majorum hic loci, quam in gremialibus Dioecesis hujus Strigoniensis Seminariis requisitarum pro educatione Cleri Junioris expensarum non plures Clerici, quam 28 educandi erunt, ut absoluto quadrienniali Theologico cursu singulis annis septem Alumni ad curam animarum, aut alia dioecesana officia exinde evocari possint.

Sexto: Ad provisionem 28 Alumnorum singillative 300 fnos computando, requiritur summa 8400 fnorum praeter salarium subalternorum officialium et servitorum, 3241 fnos efficiens. Innuente autem Vicarii Capitularis Strigoniensis deductione, apparet, statum activum fundationalem Collegii hujus Pazmaniani, deductis oneribus subsistere in 10022 fnis, sed quia pro conservatione aedificiorum annui 500 fni excessive expositi sunt, ideo, quod nunc primo cum ingressu Cleri Junioris reparatio Collegii intervenerit, pluribusque annis nulla ejusmodi necessitas subversaretur, ac praevideretur: ideo ad statum activum Collegii hujus e summa 500 fnorum titulo conservationis annue expositorum, fnis 200 adjectis, realis status activus fundationalis actualis consistit in 10222 fnis.

Septimo: Cum proinde e combinatione status activi fundationalis, et requisitarum annuarum erogationum eveniat, etiam non obstante ad lucrandam omnem parsimoniam summa positionum erogationalium restrictione, adhuc defectum status activi provisionalis subversari in 1419 fnis; major autem Cleri Junioris in hoc Collegio educandi reductio ideo suscipi nequeat, quod tot expensas in Superiorum Servitorumque salaria et intertentionem requisitas, pro exiguo quopiam Cleri numero erogare opere pretium non sit, hinc praeindicatus defectus ex superfluis Archi-Episcopatus Strigoniensis proventibus in hujusmodi fines caeteroquin clementer destinatis, sarciendus erit.

Octavo: Rector Collegii hujus unus ex actualibus Metropolitani Strigoniensis, aut Collegiati Posoniensis Capitulorum Canonicis per Archi-Episcopum, aut vacante Sede Capitulum Metropolitanum constituendus erit, qui in Collegio gratuitam habitationem ac victum habiturus est. Cum autem talis residentiam personalem penes Capitulum facere nequeat, adeoque hoc ex incidenti proventibus nonnullis, potissimum autem votivalibus privari debeat, intuitu hujus indemnisatio quaepiam ex omni aequitate tribuenda erit; cujusmodi indemnisatio cum ex parte Seminarii ob subversantem fundi defectum fieri nequeat, ad Capitulum concernens regrediendum erit, ut vel Rectorem Seminarii quoad votiva sacra inter praesentes reputet, competentemque hoc titulo distrubutionem ibidem communem reddat, aut si hoc menti Fundatorum adversari praetenderet, de aequivalenti quopiam ad vires circiter 500 fnorum, e beneficio aliquo Capitulari, si quod praeexisteret, quotannis determinando, sollicitum sit; quodsi vero neutra ratione effectus hac in parte per Capitulum procuraretur, non aliud supererit, quam ut Rectoribus Collegii hujus per benignam collationem Stalli ejusmodi, cum quo distinctum etiam praeter praebendam canonicalem beneficium adnexum est, indemnisatio procuretur.

Nono: Rectori Collegii hujus incumbet debitae Cleri Junioris educationi in moribus ac literis, et de totius domus provisione principaliter intentum esse, et de perceptis et erogatis quotannis Capitulo Strigoniensi rationes reddere. Cui adjungetur etiam Vice-Rector, ad cujus officium pertinebit, sub directione Rectoris non tantum conservationem disciplinae domesticae procurare, sed etiam rem studiorum dirigere, cum ipse Collegii hujus Rector ab obligationibus personalibus Canonicorum penes Cathedralem Ecclesiam residentium penitus immunis futurus, totus quantus debitae Cleri Junioris educationi vacare possit; hacque ratione officium Vice-Rectoris tanto mino-

rem occupationem exposcat, superfluum foret distinctum individuum rei literariae praeficere, sed talis semper pro officio Vice-Rectoris deligendus erit, qui in profectu etiam litterario bene versatus, una vices studiorum Praefecti agere possit. Ultra officiales hos domesticos Spiritualis insuper in Collegio aeque gratuitam habitationem et victum habiturus, cum salario constituendus erit, cui incumbet et exemplari conversatione, et reliqua officii sui parte Clerum Juniorem in spiritu conservare, eundem in objecto conscientiae discreto zelo gubernare, atque in Theologia Pastorali et practica Morali sub tempus potissimum illud, dum curae animarum proxime admovendi erunt, formare."

Fundatio Helmuthiana.

Antequam coordinatio haec juxta planum Vicarii Josephi Vilt altissimo consensu ac approbatione firmata stabiliretur, nova Collegio Pazmaniano accessit fundatio a Casparo Helmuth, Metrop. Eccl. Strigoniensis Canonico, A.-Diacono Neogradiensi; qui prius quidem jam anno 1805, 29 Septembris quinque mille, ac iterum anno 1804 die 26 Novembris alios mille, adeoque per binas vices sex mille florenos rhen. fine sustentandi unius in Collegio Pazmaniano Alumni sub illa conditione reliquit, ut Alumnus hic in numero defixo reliquorum Alumnorum nunquam computetur, verum is veluti superadditus in Collegio alatur; dicit enim in literis suis fundationalibus:

„Cum numero Parochiarum, localium Capellanorum et Cooperatorum in hac Archi-Dioecesi notabiliter aucto, dissolutis vero, abolitisque plerisque Ordinum, Monasteriorum, Religiosorumque in Hungaria familiis, ex eorumdem individuis successive ad aeterna Tabernacula transeuntibus messem amplam, operarios vero paucos animadvertam: in conformitate benignae Ordinationis Regiae et statuti Venerabilis Capituli unumquemque ad quidpiam pro augmento Junioris Cleri ultimis tabulis legandum obligantis, matura deliberatione constitui ad majorem Gloriam Omnipotentis Dei, B. M. Virginis et OO. SS. Hono-

rem, Almae hujus Archi-Dioecesis incrementum, in spirituale concivium meorum solatium et emolumentum, quinque mille florenos ex substantia mea, pro educatione in Collegio Pazmaniano unius Alumni, ex annuo censu fnorum 250 ad obsequia dictae Archi-Dioecesis Strigoniensis nunc ac in vivis effective resignare, ut in suis temporibus operarius ad aliquam stationem Archi-Dioecesis cooperaturus Christo Principi Pastorum in salutem animarum mitti possit; his tamen sub conditionibus: *Primo:* ne post fata mea bis mille floreni ad augmentum Junioris Cleri Testamento meo inscripti et legati ex substantia mea desumantur, siquidem puncto illi et obligationi vita comite bis mille florenis superaddendo adhuc ter mille florenos, plene, imo superabunde satisfaciam. *Secundo:* ut pro casu cum Dioecesanis DD. Episcopis dividendi junioris Cleri, aut si nefors adhuc subinde ex Archi-Dioecesi novus Episcopatus erigeretur, Alumnus per me fundatus calculum repartitionis, defigendumque Archi-Dioecesi numerum nunquam ingrediatur, sed praeter talismodi numerum Alumnus ille privative sub eodem nomine permaneat, nec ab ea ullo tempore avelli possit. *Tertio:* ut si quando aliquis e descendentibus pronepotibus meis, utpote Anna et Josepha Halácsy, et priore quidem egregio Joanni Joanics nupta, posteriore vero in capillis adhuc existente, nec non Anna Schuch, egregio Michaeli Hollósy elocata, requisitis caeteroquin animi, corporisque dotibus ad sublimem hanc vocationem aspiraret, ejus ratio prae caeteris in complenda vacantia hujus meae fundationis habeatur, cum initio anni scholastici 1803/4 jam ad cursum ponendae" [1]).

Licet fundatio haec a Capitulo Metropolitano ejusque Vicario acceptata, ac confirmata, summaque 1000 floreno-

[1]) Quamvis tria exempla hujus fundationis parata fuerint, ex quibus unum Collegii Archivo inferebatur, hic tamen non invenitur et solum in protocollo adest.

rum penes civitatem Viennensem deposita fuerit: tamen occasione illa, dum Seminaria, adeoque Collegium etiam Pazmanianum anno 1804 regulabantur, nullo fundationis hujus habito respectu, Alumnus Canonici Gaspari Helmuth in numerum Alumnorum viginti octo defixorum inferebatur; ideoque laudatus Canonicus fundationem a se factam revocare, et indigentibus Ecclesiis addicere decrevit; quod ut Vicarius praeverteret, Imperatorem enixe oravit, ut praeter stabilitum pro Archi-Dioecesi Strigoniensi 180, et ex his pro Collegio Pazmaniano 28 Alumnorum numerum, unum adhuc resolvere e proventibus vacantibus Archi-Episcopatus Strigoniensis dignaretur, quo sic fundatio Canonici Gaspari Helmuth penes Collegium Pazmanianum relinqueretur. Annuit Imperator, sub conditione, si indigentiae Dioecesis id exigerent. Cum autem Vicarius exhibuisset, indigentias individuorum in Archi-Dioecesi adeo notabiles esse, ut quadraginta octo vacantiae actu existentes viginti solum et quatuor e Seminariis egressis Sacerdotibus tegerentur, alio rescripto caesareo statutum fuit, ut pro uno adhuc Alumno 300 fni e residuis Archi-Episcopatus bonis fisco Collegii Pazmaniani inferrentur, quo sic Alumnus Helmuthianus vigesimum nonum constitueret, qui dein numerus normalis in Collegio Pazmaniano pro Alumnis Archi-Dioecesis Strigoniensis permansit [1]).

Controversiae de Alumnis Transylvaniensibus recrudescunt.

Vix ac Collegium Pazmanianum gratia Caesaris denuo restitutum, negotia coordinare coeperat, primo mox anno recruduerunt antiquae praetensiones Dioecesis Transylvaniensis in illud. Episcopus enim Transylvaniensis inaudiens, Collegium restitutum esse, anno 1805 tres Alumnos suos, temporibus Mariae Theresiae sede Archi-Episcopali Strigoniensi vacante, Capitulo contradicente, prout jam relatum est, illuc illatos, Collegio autem abolito, cum aliis Clericis dispersos, ad illud nunc referre desiderabat;

1) Arch. Canc. h. 23 Apr. 21 Aug. 185. Nrus 5333 et 9839.

porrectoque loco altiori supplici libello, ut Alumni sui ocyus reponerentur, orabat, nixus fundamento illi, quod a sublato Collegio Pazmaniano sub Josepho II° Imperatore fundatio pazmaniana pro alendis Alumnis Transylvaniensibus Camerae regiae 450 fnos annuos dependere debuerit. Literae Episcopi Vicario Strigoniensi pro danda opinione a Cancellaria hungarica Mensis Julii 26 transponebantur [1]), qui easdem Rectori Collegii Pazmaniani longe tardius, die quippe 31 Maji 1806 communicabat. Quaerit in his literis Episcopus, quomodo posthac summa florenorum 450 applicanda sit? anve Alumnus unus ad Collegium Pazmanianum erga annuos 300 fnos disponi possit? — Rector Collegii respondit, quoad Alumnum unum Tyrnaviensem ad Collegium Pazmanianum suscipiendum difficultatem vix poni posse; putabat tamen ob ampliores viae expensas 350 fnos pro eo solvendos fore. Quoad summam autem 450 fnorum opinabatur, optimum expedire, si eidem correspondens quodpiam Capitale e fundatione Collegii exscinderetur; projectum tale, quod jam anno 1785 factum, a Cardinale Batthyányi merito rejectum fuit. — Mirari merito subit, tale projectum recoqui potuisse, cum certum sit, Pazmannum pro Transylvaniensibus nullam fundationem specialem fecisse, eorumque tres Alumnos anno solum 1769 non via canonica in Collegium illocatos fuisse, neque Episcopum Transylvaniae alium possessionis titulum adducere potuisse, quam mandatum Imperatricis Mariae Theresiae; quae etsi secus Clementia maxima erga Collegium Pazmanianum ferretur: in hoc tamen puncto vim fundationi Pazmanni intulit, cum illius tenorem sede Æpiscopali vacante, Capitulo autem juste contradicente, potentia magis, quam justitia mutaverit, sinistre informata. Urgebat alioquin nunc Episcopum Transylvaniensem desiderium tres Alumnos suos in

---

[1]) Arch. C. h. a. 805. Nr. 7427.

Collegio Pazmaniano educandi, pro quibus prius Posonium, inde Claudiopolim a sublato Collegio translatis, fundatio pazmaniana 450 fnos e dispositione regia solverat: verum cum regulatio Collegii Pazmaniani 1804 subsecuta numerum Alumnorum ibidem in 28 individuis defixerit, summamque sustentationis singulorum, in 300 fnis annuis stabiliverit: summa 450 fnorum pro tribus non suffecit, pro uno autem tantam summam imputare Episcopus noluit, sicque lis continuata fuit; praevie tamen in eo conventum est, ut Episcopus Transylvaniensis unum Alumnum erga 350 fnorum pensum ad Collegium Pazmanianum mitteret, prout etiam anno 1806 unum reipsa miserat; nihilominus annis subsequentibus iterum nullus Transylvaniensis in elencho Collegii comparet, donec tota lis sub Archi-Episcopo Strigoniensi et Cardinale Alexandro Rudnay — ut finem his controversiis narrando imponamus — ita terminata fuisset, ut ab anno 1820 duo Alumni Dioecesis Transylvaniensis ad rationem fundationis pazmanianae in Collegio ejusdem Viennae educentur, iisdemque cum Archi-Dioecesanis gaudeant beneficiis.

Sacrae Eucharist. in Sacello administrandae indultus.

His post restitutum Collegium ita coeptis, Alumni studiis Theologicis diligenter incubuerunt. In fabrica autem Collegii nova facta sunt omnia; magnis enim sumptibus restaurabatur reaptabaturque illud usibus Alumnorum. Elegans ara in Sacello domestico a surdomutis quoque culta, nunc majori splendore exornata fuit, in qua ut pietatem Alumnorum augeret primus Rector, ad Archi-Episcopum Viennensem recurrit pro facultate Missas in eadem et celebrandi et audiendi, atque Eucharistiae Sacramentum, pro occursuris providendorum infirmorum Alumnorum casibus conservandi. Responsum Consistorii dorso recursus inscriptum fuerat illud: „Missas in Sacello Collegii Pazmaniani Viennae et celebrare et audiri posse, facultatem vero SS. Eucharistiam ibi asservandi negari, atque hinc ad Alumnos Collegii graviori morbo decum-

bentes illam e propria parochia publice deferendam esse, minus autem periculose aegrotantes S. Communione a Sacerdote in Sacello celebrante sub Sacro administranda refici posse" [1]).

Catecheticae et Paedagogiae studia praescribuntur.

Quantum vero ad studia adtinet, iis juxta praefixum in Universitate ordinem Alumni incumbebant. Studiis reliquis accessere disciplinae Catecheticae et Paedagogiae, quas frequentare Alumni Collegii vi mandati caesareo-regii, per Cancellariam hungaricam Rectori intimati stringebantur. — Adduxerat quidem Rector in obversum hujus decreti inscitiam lingvae germanicae Alumnorum, exiguumque aut plane nullum fructum e disciplinis illis, quae lingva germanica tradebantur, ordinem item domesticum per horas has turbandum; nil attamen effecit; nam Imperator novo mandato emisso, voluntati priori se firmiter insistere velle enunciavit.

Rector Jacobus Rauscher, et Petrus Ürményi.

Erat autem Rector hujus temporis ab anno 1805 Jacobus Rauscher Eccl. Metr. Strigoniensis Canonicus, qui primus de concinnanda Collegii Pazmaniani historia meditabatur, ingressumque ad historiam reliquisse, protocollum domus a Rectore Canonico Schneider serius conscriptum refert, qui tamen vix aliquot ordines efficit. — Huic anno 1807 abeunti successit Petrus Ürményi Canonicus Posoniensis, mox ad Metr. Capitulum Strigoniense translatus. Vice-Rector etiam Felix L. B. Gerliczy ad aulam Archiducis Ambrosii assumptus, locum cessit Josepho Ungerhoffer, hoc vero anno 1808 munus Bibliothecarii Tyrnaviae obtinente, officium Vice-Rectoris Josephus Schneider consecutus est.

Archi-Dux Carolus Ambrosius Collegium visitat, ei consecrato assistunt Pazmanitae, et convivio in aula reficiuntur.

Gaudia Collegio anno eodem attulit neonominatus Archi-Episcopus Archidux Carolus Ambrosius, die 31 Maji Collegium visitando, die autem 24 Julii, dum per Archi-

[1]) 1803° dto. 27, et 29ae Octobr. in Arch. Coll. Pazm. — Dum Collegium Pazmanianum Patres Societatis Jesu tenebant, in Sacello domestico, quod publico aequiparatur, tum S. Missae sacrificia celebrabantur, tum S. Eucharistia in ara asservabatur, exponebaturque.

Episcopum Agriensem Franciscum Fuchs, assistentibus Josepho Vilt Jaurinensi et Leopoldo Somogyi Sabariensi Episcopis, Viennae in Capella caesarea solenniter consecrabatur, assistentes etiam suos e Collegio Pazmaniano mensae opiparae in solenni triclinio aulae caesareae applicando; verum gaudia haec non diu post turbavit atrox belli tumultus, quem victrix Gallorum exercitus Urbi Viennensi admovit.

Fata Collegii sub bello Gallico.

Anno enim 1809 vix ac hyemis frigora mitiori vernali aura miscebantur, celeri passu Gallus Viennam usque pertigit, eamque oppugnare constituit. Alumni Collegii obsidionis tempora in Urbe paventes, se Tyrnaviam dimitti petierunt, quorsum etiam die 9 Maji, exquisito per Superiores Collegii Archi-Episcopi consilio, viatico provisi, ad revocationis usque tempus dimissi sunt. Reliquit domum Rector quoque, nec ante septem menses reversus est. Alumnis e Collegio vix exeuntibus, jam 150 milites semet eo illocaturi comparuerunt, verum Vice-Rectore renitente, ea die quidem adhuc aliorsum recesserunt. Die 11 Maji ingenti cum apparatu Urbs expugnari coepit, in cineres redigenda, ni se tertia mox die Gallis dederet. Interim miles gallicus se in hortum Collegii illocaverat; tercenti equi, et sexcenti milites effractis portis, hortum ac domum Collegii inundarunt, quibus accesserunt quinque officiales et septuaginta quinque alii pedites, quos ad preces magistratus surburbani per quatuor dies Collegium victu providere debebat. Collegium autem ipsum cum censuali domo sua, per dexteritatem ac prudentiam Vice-Rectoris pluribus diebus incolumis a hospite milite permanserat; imo idem Vice-Rector Praefectum quoque militarem gallicum Principem Neo-Castellanum Alexandrum Berthier adiit, libertatemque horti a militia exoperatus est, assumpto in illum exiguo numero vigiliarum gallicarum; in quo opere insigniter adjutus erat Vice-Rector per inquilinum domus hortensis Carolum Körmelics hungarum.

Verum pugnis per subsequos Maji dies circa Viennam cum vehementia continuatis, immunitas tum a Gubernio, tum a Praefecto militiae Collegio data, non multum opitulari potuit; miles enim gallicus mense Junio totum Collegium occupavit, ac in Refectorio depositorium erexit. Ne vero Collegium, praeter devastationem mobilium, attentata identidem inductione mulierum, ex toto spelunca evaderet peccati militis excedentis: energia Vice-Rectoris obstitit, qui etiam hoc respectu summam aequitatem Praefectorum expertus est.

Cogebatur autem Collegium milites tam in domo, quam in horto mensium decursu copiosos alere, mutuum insuper coactivum 1090 florenorum contribuere, pati item ut mobilia in domo, cinctura in horto pro struendo vallo convertantur; unde apparet, quam dura haec fuerint tam pro civitate, quam pro Collegio tempora, donec exercitus Gallicus 20 Octobris urbem et Collegium linqueret. — Eo discedente, mox desolata Collegii aedificia repurgabantur, scholae autem urgente Imperatoris mandato mense Novembri musis denuo apertae, Alumnique paulatim ex Hungaria in Collegium reversi sunt; ex quibus Theologi anni secundi deinceps Paedagogiam penes Universitatem a Professore Vincentio Milde audire jussi sunt.

Georgius Keller fit Rector; hospites illustres in domo; festum tutelare recolitur.

Mense Januario anni 1810 Rector Petrus Ürményi Tyrnaviam ad Capitulum suum reversus, successorem in officio Rectoris nactus est Georgium Keller, Canonicum ejusdem Metropolitani Capituli Strigoniensis. Plures autem e gradibus Hierarchiae hungaricae temporibus his ex occasione diversarum solennitatum aedes Collegii ceu hospites cohonestarunt, largave manu exhaustum Collegii fiscum sublevarunt, cui Imperator quoque succurrit, resolutis ad recompensanda damna a Gallis Collegio illata decem millibus florenis. Caeterum, si celebratum solenniter Collegii tutelare festum divis Apostolis Petro et

Paulo sacrum demas, nil majoris momenti per anni decursum accidit. Festum hocce a restituto Collegio iterum reductum est anno 1804, ubi oratorem festi anno hoc egerat Franciscus Pribely, annisque subsequis Joannes Sztankovics, Josephus Thuróczy, Georgius Nyeregjártó, ac tandem anno 1810 Aloysius Kranczl ultimus, cum postea pulchra haec solennitas, quae Consiliarios Status, et Cancellariae hungaricae, aliosque ecclesiasticis ac secularibus dignitatibus ornatos viros ad Collegium allexit, interciderit, nec ad praesentem usque diem amplius reducta fuerit. — Sermones Oratorum Alumnorum in Archivo Collegii adsunt.

Graves simultates inter Superiores enascuntur.

Anno 1811 mense Martio novus Collegio datus est Director Spiritualis, Georgius Ujaszdovszky. Turbatum hic jam invenit internis discordiis Collegii statum, nec eas sopivit suo adventu, imo discordiae inter Superiores recruduerunt, adeo, ut ad altissimam Imperatoris notitiam devenerint, sequelasque habuerint illas, quod anno 1812 Rector Georgius Keller, manualibus ad Cancellarium hungaricum dimissis literis ab officio relevaretur. Cui dum Vicarius Capitularis Canonicum Strig. Balthasarum Talabér suffecisset: praesidiales Cancellariae hungaricae ad eundem Vicarium exaratae sunt literae, in quibus ad demissum Vicarii scriptum, quo hic juri suo, Rectores Collegii Pazmaniani destituendi ac nominandi insistendo, significat se Balthasarum Talabér Canonicum Strigoniensem Rectorem Collegii Pazmaniani constituisse, respondetur: „Jure Superiores Seminariorum, pro re nata mutandi ad Episcopos, vel sede vacante Capitula ac Vicarios Generales Capitulares pertinente, subalternorum vero Superiorum a Rectore, omnium vero a jurisdictione Dioecesana dependentia porro quoque in salvo relicta, Sacratissima Sua Majestas benigne resolvit, ut iidem in posterum, nonnisi gravi ex causa, et utilitate publica deposcente mutentur, ea semper habita ratione, ut adminus unus

eorum pluribus annis in Seminario maneat; mutatio vero quaelibet, excepto mortis casu, aut ex alia nimis urgente causa, nonnisi sub fine anni scholastici locum habeat" [1]). Interim Canonicus Georgius Keller casum suum aegerrimo sufferens animo: iterato supplex factus est coram Imperatore, ut naevos sibi durante officio suo in Regimine Collegii Pazmaniani objectos, inquisitioni impartiali subjici curare dignetur. Cujus etiam petito delatum fuit, ac negotium hocce prout delicatum, sic inamoenum commissum est Æpiscopo Agriensi L. B. Stephano Fischer, qui resultatum investigationis suae fuso calamo Imperatori exhibens, altissimam complacentiam pro „exacta, graviterque peracta investigatione" emeruit [2]) non tamen ita Georgius Keller, qui amotus a munere permansit. Amotus pariter fuit mox Georgius Ujaszdovszky quoque, ac solus Josephus Szeitler, qui jam anno 1811 14 Junii Clementia Imperantis, in Canonicum Posoniensem nominatus fuit, ac qua talis ultro officium Vice-Rectoris tenebat, in Collegio permansit. Verum hic quoque repente contabescere incipiens, ad Capitulum suum Posonium rediit, singularique eventu accidit, quod omnes tres hi viri, quorum discordia vere deploranda, tantas tamque graves sequelas post se trahebat, uno eodemque anno 1815° e vivis erepti fuerint, supremo Judici rationem de actis et factis suis reddituri.

Alumni Strigonienses in Collegio numero 60 aluntur.

Ad initium anni scholastici 1811/12 increvit numerus Alumnorum in Collegio Pazmaniano, siquidem e mandato Imperatoris ad laxandas aedium seminarialium Tyrnaviae angustias, prout ad Convictum Viennensem inde Alumni Dioecesium Scepusiensis, Rosnaviensis, Munkácsiensis numero 12, sic ad Collegium Pazmanianum e parte Archi-Dioecesis Strigoniensis alii triginta et unus, talen-

---

[1]) In Arch. Coll. Prot. 4a Sept. 812 Cancell. h. a. Nr. 9780.
[2]) Arch. Cancl. H. A. 1813 30a Mart. Nr. 4050 et 1a Jul. Nr. 8233.

torum ac moralitatis respectu distincti Alumni translati sunt. Cum vero sic Collegium Pazmanianum 60 Alumnos alere deberet, suos quidem viginti novem, quorum sustentatio in annuis 300 fnis defixa fuit, Tyrnavienses autem triginta unum, pro quibus fundus Seminarii Tyrnaviensis 200 fnos per singula capita, ceu pensum sustentationis pro iis ibidem defixum, Collegio solveret: ideo Collegium magnis involvebatur perplexitatibus. Has Rector Balthasarus Talabér coram Vicario Capitulari scripto non secus, ac viva voce exposuit. Pro medela recursum est ad Imperatorem, oratumque, ut praeter fundatos viginti novem Alumnos non ultra alii ad Collegium mitterentur. Verum Imperator dispositioni suae inhaesit, statuit tamen una, ut deficientes centum per capita floreni, pro Alumnis Tyrnaviensibus in Collegio Pazmaniano sustentatis, e fundo regulatorum Episcopatum suppleantur [1]).

Praefectus studiorum in Collegio constituitur.

Archi-Episcopus Agriensis L. B. Stephanus Fischer in supra attacta investigatione sua, quam ex mandato Imperatoris circa vigentes in Collegio Pazmaniano simultates instituerat, causam harum simultatum inter caetera etiam illam allegavit, quod cum Vice-Rectori praeter curam oeconomiae domesticae etiam correpetitio cum Alumnis, disciplinaque domestica incumbat, hic penes adauctum Alumnorum numerum utrique muneri satisfacere debite haud possit; ob idque projectabat, „ad normam aliorum Seminariorum, ac imprimis Seminarii centralis Pestinensis, unum aut duos studiorum Praefectos in Collegio quoque Pazmaniano constituendos expedire, cujus officium esset cum Alumnis quotidie correpetere, circulis domesticis semper interesse, moribus, pietati ac profectui Alumnorum in studiis intendere, plus in eorum Musaeis,

---

1) Arch. Canc. h. a. de anno 1812 31a Decembr. Nr. 11076 item Nr. 11986 1812 Nr. 145, 147. — In rescriptis his caesareis una privilegium vina ex Hungaria libere invehendi Collegio ademptum fuit. Vide item protoc. B. Talabér in Arch. Collegii.

quam in suo cubiculo morari, Alumnis ad scholas euntibus et inde redeuntibus, ne ante vel post scholam aliorsum divertant, invigilare, extraneos ab aditu Musaeorum et dormitoriorum arcere, verbo maximam diei partem inter Alumnos, velut constans morum censor exigere; dum interea Vice-Rector in tot partes haud distractus aliis officii sui occupationibus pro emolumento Collegii magis expedite vacaret" — quae opinio a Cancellaria hungarica quoque suffulta, complacentiam Imperatoris tulit, officiumque unius studiorum Praefecti erigendum Imperator constituit [1]). Vicarius igitur Capitularis Joannem Kaprossy Capellanum Comaromiensem 19 Aprilis 1813 ad munus studiorum Praefecti in Collegio Pazmaniano obeundum disposuit, adjecta instructione in scriptum redacta, quid eidem Praefecto studiorum vi muneris incumbat.

Antequam Praefectus in Collegium advenisset, ultimis diebus anni ad finem vergentis 1812 Alumni ob inductos formae novae pileos impetuosa animositate agitati, adeo turbulentos motus concitabant, ut Referendarius Cancellariae hungaricae Alexander a Rudna intervenire debuerit. Hic sua auctoritate motus sedabat, paxque Collegio reddita fuit, dum Vicarius Capitularis Emericus L. B. de Perén nervosa adhortatione ad Alumnos dimissa, primipilos incentores saeculo reddi jussit. — Factum hoc, cui similia per decursum narrationis hinc inde occurrebant, sequela erat investigationis illius, qua ad eruendas inter Superiores suprafatos simultatum causas, plures etiam Alumnorum in examen vocabantur, qui dum sic ad notitiam simultatum harum pervenissent, in debita sua erga Superiores submissione nutare, eos occulte sugillare, obedientiam eis negare, imo cum iis palam contendere coeperunt. — Motibus brevi quidem sopitis, rumor facti permansit, imo ad aulam quoque Imperatoris

Motus inter Alumnos.

---

1) Arch. Canc. h. aul. 1813 Nr. 8233.

pertigit. Imperator erga Collegium clementissimus, recentissimis his motibus, qui iterato illud exagitabant, tanto gravius animo tactus est, quo non semel dicere fuerit auditus, se Collegium Pazmanianum uti pupillam oculi sui fovere. Illud certum est, quod Imperator magna sollicitudine Collegium et prosecutus, et de minimis etiam, quae in eo agebantur, informatus fuerit; per quem et quomodo? acta tabulariorum nullibi docent; traditio autem suspicatur solum, dum posteritati narrat, potentem quemdam Status Consiliarium, Imperatori acceptissimum, in propiori nexu cum quodam e Superioribus Collegii exstitisse. Quidquid in re sit, id unum inconcussa nititur veritate, in deligendis institutorum, educationi Cleri sacratorum Superioribus maxima circumspectione opus esse. Hic enim vita vel interitus plurimorum paratur.

Caeterum infractus optimi Imperatoris in Collegium animus inde etiam elucet, quod Comitem Wilhelmum Migazzy ex Academia Theresiana statum Clericalem amplecti cupientem, ad Collegium Pazmanianum inviari curaverit, qui etiam a Vicario Generali Strigoniensi numero Cleri junioris adlectus fuit, ac mense Januario anni 1813 veste Clericali indutus, studiis Theologicis diligenter incumbere coepit.

HISTORIA COLLEGII PAZMANIANI.

PERIODUS TERTIA.

AB ANNO 1813 USQUE RECENTISSIMA TEMPORA.



COLLEGIUM PAZMANIANUM FIT GENERALE CLERI JUNIORIS SEMINARIUM.

Resolutis in sua dioecesana elementa Seminariis generalibus, quae Josephus II Imperator Posonii ac Pestini erexerat, Alumnisque Strigoniensibus Tyrnaviam translatis, illuc Clerici talium quoque Dioecesium inferebantur, quae sua propria Seminaria domi necdum habebant. Cum autem numerus Alumnorum hac ratione Tyrnaviae nimium quantum augeretur: Clericos Strigonienses ad Collegium Pazmanianum Viennae restitutum, magno numero inde transpositos fuisse narravimus. Multitudo haec, cum debitus in selectu modus teneri non potuisset, effecit, quod Collegium Pazmanianum ab avito suo splendore tum quoad talenta, tum quoad disciplinatum Alumnorum animum paulisper ad tempus defecerit. Causae novae coordinationis Collegii.

Mature quidem Vicarius Capitularis L. B. a Perén molestas sequelas loco altissimo exposuit, quae ex multiplicatis Archi-Dioeceseos Strigoniensis in Collegio Pazmaniano usque numerum sexagenarium Alumnis oborturae praevidebantur, ast verbum regium ursit, atque sic evenit,

ut transactis vix duobus annis, Imperator optimus, circa Collegium Pazmanianum Viennae restitutum, magnaque sollicitudine fotum, se spe delusum fuisse conqueri potuerit. — Institutionum humanarum ea esse svevit sors, quod naevis aut raro careant, aut rarius adhuc ab influxibus aevi, eas saepe deformantibus, illaesae maneant. Accidit id Collegio Pazmaniano quoque, quod certe pia mente fundatum, sapientissimoque consilio coordinatum, illaesum diu perstitit. Verum iteratae Alumnatus Pazmaniani translationes, genius aevi a temporibus Imperatoris Josephi II Ecclesiae minime favens, falsa hominum, qui se sola rationis vi illuminatos professi sunt, principia, pseudomystica Jansenistarum placita, strepentia Gallorum arma, late serpens immoralitatis, ac effrenatae libertatis corruptela, et quae alia e temporibus illis afferri possent malorum agmina, effecerunt, quod Ecclesia delectum servorum suorum ministerio altaris deputandorum facere, ut semper optabat, non potuerit. Atque sic sub communi aevi malo ipsum etiam Collegium gemere debuit.

Simultates jam, motusque in Collegio Pazmaniano ultimis his annis emergentes sollicito animo considerabat Imperator Franciscus, causasque horum non immerito in eo latere perspexit, quod sola Archi-Dioecesis Strigoniensis, cujus usibus Collegium Pazmanianum vi Fundationis proxime destinatum fuit, individua, quae illuc annis singulis mitteret, numero, et qualitatibus sublimiori huic instituto convenientibus instructa, non facile invenerit. Perspexit insuper ob mutatum aeris publici valorem difficultatem sustentationis, atque exinde ortam tenuem Alumnorum provisionem, quae iterum animum in aetate maxime juvenili minus contentum, sicque ad recipienda altiora charismata minus habilem reddere solet. Perspexit tandem melius Ecclesiae Hungaricae consuli, si omnibus Dioecesibus occasio dabitur, quosdam alumnos ad Collegium Pazmanianum dimittere eo scopo, ut hi ad Universitatem Vien-

nensem uberius excolantur. — Datis igitur ad Cancellarium Hungaricum die 1 Julii 1813 manualibus literis, novam Collegio Pazmaniano impertitus est constitutionem, quae a Cancellaria in formam decreti redacta hujus tenoris erat:

„Sacrae Caesareae, et Regiae Apostolicae Majestatis Domini Domini Clementissimi nomine D. Emerico L. B. Perényi de Perén El. Eppo. Bacensi, Eccl. M. Strigon. Praeposito majori et Canonico, L. R. Civit. Tyrnaviensis Parocho, per Dioecesim Strigoniensem sede Archi-Episcopali vacante in Spiritualibus Vicario, et Causarum Auditori generali Capitulari hisce benigne intimandum. Nova Constitutio Collegii Pazmaniani.

Cum Collegium Pazmanianum Viennense ab eo inde tempore, quo Augusta Munificentia postliminio restitutum fuit, altissimae expectationi in multis capitibus nequaquam responderit, atque enati in eo disordines ac excessus, qui justam Suae Majestatis Sacratissimae displicentiam provocare debebant, invictum praebeant argumentum, in delectu Alumnorum ex Archi-Dioecesi Strigoniensi isthuc dispositorum, eorumdem talentorum, moralis item characteris non semper prout opportuisset, condignam habitam fuisse rationem: Alte fatam Suam Majestatem Sacratissimam novum paternae suae in Ecclesiam Hungaricam Benignitatis, ac in provehenda Religionis commoda semper intentae pietatis daturam documentum, huic juxta primitivam destinationem adeo humano Instituto, aliam scopo scientifico aeque, ac religioso-moralis educationis Cleri Hungarici magis congruentem, latiusque patentem constitutionem tribuere, atque in hunc finem sequentia ordinare decrevisse:

Ut nempe deinceps in Collegio Pazmaniano Archi-Dioecesis Strigoniensis Alumni ad numerum fundationalem 29, prout is novissima Regulatione defixus est, ea nihilominus lege reducantur, ut hoc numero tres singillativarum Dioecesium ex Archi-Dioecesi Strigoniensi exci-

sarum, Neosoliensis quippe, Scepusiensis et Rosnaviensis comprehendantur; cum intentio Fundatoris per institutam successu temporis Dioecesium regulationem mutationem subivisse, atque is tres memoratas Dioeceses a participatione suae fundationis excludere quocunque casu voluisse censeri nequeat.

In hujus sequelam e Pazmanitis A.-Dioecesis Strig. qui actu primo, secundo et tertio anno Theologiae dant operam, pro futuro anno scholastico 1813/14, huc inclusis pro primo Theologiae anno novitus disponendis, nonnisi 20, qui ingenio, diligentia, et moribus reliquos antecellunt, quive in notis hujus anni turbis nullam habuerunt partem, juxta delectum, et designationem Rectoris, in hoc instituto remaneant, reliqui omnes ad Seminarium Tyrnaviense revertantur.

His porro 20 A.-Dioeceseos Alumnis, prout et aliis 9 supra memoratarum Dioecesium ex fundo Pazmanni b. Resolutione ddto 5 Junii 1812 Nr. 6295 defixo stabiliter providendis, remansurum in Collegio juxta assumptum Systema adhuc pro 31 Alumnis spatium, ea ratione compleri benigne jubet sua Majestas Sacratissima, ut ad rationem residuarum 15 Hungaricarum Lat. Rit. Dioecesium singillative 2 Alumni; ad rationem tamen Zagrabiensis, velut ampliori numero Curatorum gaudentis uno plures, adeoque tres deinceps ad hoc Institutum assumantur.

Ne tamen primo anno scholastico numerus Alumnorum relate ad quadriennalem studiorum Theologicorum cursum, et relate ad subdivisionem Musaeorum juxta classes admodum inaequalis evadat, et una classis supra alias notabiliter excrescat, in Alumnis isthuc destinandis, prima vice eam rationem ineundam benigne praecipit Eadem sua M. S., ut quatuor Dioecesani, nempe Zagrabiensis, Neosoliensis, Scepusiensis et Rosnaviensis unum Alumnum ad singulos tres priores, reliqui vero quatuordecim Ordinarii aeque unum ad singulas primas duas classes cursus

Theologici, deinceps vero enata omni vacantia *nonnisi pro primo* Theologiae anno Alumnos isthuc disponant, eosque, si horum profectus in litteris et in moribus exspectationi per omnia responderit, usque consummationem totius Theologici cursus, et pro re nata uno anno etiam diutius isthic relinquantur, eum nempe in casum, si pro obtinenda suprema Theologiae Laurea praescriptis rigorosis examinibus semet subjicere voluerint. Quod tamen nonnisi ejusmodi individuis concedendum est, quae in omni linea se perpetuo distinxerint, ac per id comprobaverint, quod singularibus dotibus sive ad docendum, sive ad alia ampliora munia Ecclesiastica gerenda polleant. Sumptus demum intertentionales pro 31 Alumnis ultra numerum fundationalem in hoc Collegio educandis e concernente fundo Dioecesano Seminariali, in quantum hic illis ferendis suffecerit, suppeditandos, hujus vero defectum e fundo regulatorum, vel vacantium episcopatuum supplendum, prout et expensas graduum Doctoralium isthinc administrandas esse.

Denique Ordinariatus graeci rit. catholicorum Dioecesium Munkacsiensis, Magnovaradinensis, et Crisiensis eo inviandos esse, ut quemadmodum jam in parte usu venit, in futurum quoque semper aliquot Alumnos in Viennensi Convictu penes hujatem Universitatem instituendos, et formandos curent.

Benignos hos Ordines tum Vicario Capitulari Strigoniensi, quam omnibus Ordinariis pro notitia et observantia eo addito intimari benigne jussit Sua M. S., ut occasione delectus et susceptionis Candidatorum Ecclesiasticorum in genere ad capaces cumprimis, et bene educatos adolescentes advertant, a quibus fundate exspectari possit, ut Religioni ac Statui subinde eos fructus adferant, quos ab iis pro conditione maximi momenti status, et vocationis, utraque Respublica omni tempore jure exposcit.

De benigna proinde hac Resolutione Regia fine

faciendarum tempestive ad ejus effectum cointelligenter cum Rectore Collegii congruarum dispositionum D. Vicarium Capitularem eo pro statu notitiae subjuncto edoceri, quod relate ad spatium in aedibus Seminarialibus Tyrnaviensibus pro reducibus Vienna Alumnis procurandum, non secus et relate ad fundum instructum pro Alumnis ultra numerum fundationalem Tyrnavia horsum administratum ulterior benigna resolutio sit secutura. Datum in Imperiali Urbe Vienna Austriae die 2ª mensis Julii anno Domini 1813 C. Joseph Erdődy m. p. Mich. jun. de Nádasd m. p. ad B. M. Com. Franc. Forgách m. p."

Decretum hoc regium Consilio etiam locumtenentiali submissum fuit, ea addita clausula „ut Consilium illud omnibus Dioecesanis, in quantum eos concernit, indilate notificet, ejusque effectum adurgeat; utque ad rationem Alumnorum 31 ultra numerum fundationalem dehinc in Pazmaneo educandorum Dioecesanis propria et sufficienti fundo Seminariali gaudentibus, altissimo nomine injungatur, ut titulo quottae intertentionalis singillativos 300 fl. annue et *anticipato* Rectori Collegii inomisse administrent; pro Alumnis vero reliquarum Dioecesium, quarum Seminaria defectu fundi domestici in toto, vel in parte e fundo regulatorum Episcopatuum providentur, aeque in singillativis 300 flnis defixam competentiam in semestralibus ratis, semper *tempestive et anticipato*, ex eodem fundo interea suis locis erga quietantiam Rectoris assignandam disponat, donec per Suam Majestatem S. b. decisum fuerit, qua in parte ad hos intertentionales, aeque ac graduales sumptus, fundus vacantium Episcopatuum concurrere possit" [1]).

Observationes Consilii locumtenentialis circa novam

Benigno huic rescripto regio morem gessit tum Vicarius Capitularis, qui congruos mox ad Rectorem Collegii Pazmaniani circa deducendum in effectum mandatum

[1]) Ex orig. in Archiv. Canc. h. a. 1813 Nr. 7668.

regium dimisit ordines, tum Consilium regium locumtenentiale quoque, quod Dioecesanos de tenore ejusdem illico edocuit. — Consilium attamen hanc Collegii Pazmaniani in Seminarium generale pro Clero juniore Hungariae transformationem gravioris momenti esse crediderat, quam ut pro fideli suo candore coram Sua Majestate reticeret oborturas exinde graves pro Archi-Dioecesi Strigoniensi sequelas; exposuerat nempe:

Collegii coordinationem.

„1mo Ex eo, quod Fundator illud pro solo Archi-Dioecesis suae Strigoniensis Clero juniore constituerit, dum illud in Seminarium generale Dioecesium Hungariae transformatur, fundationi primaevae vim inferri, hocque exemplo multos a faciendis similibus fundationibus facile deinceps deterreri posse.

2° Proprietati Archi-Dioecesis notabilem succisionem accedere per transformationem hanc sede Archi-Episcopali Strigoniensi vacante praesusceptam, quam proprietatem benigni ordines anni 1776i ddto 15 Januarii Nr. 226, qui Archi-Dioecesim Strigoniensem in Dioeceses Neosoliensem, Scepusiensem et Rosnaviensem dismembrabant, ipsi agnoverunt, dum Collegii Pazmaniani fundationem ex toto Archi-Dioecesi Strigoniensi reliquerunt, ac Dioecesium harum Alumnos Tyrnaviae educandos decreverunt, defectumque intertentionis Alumnorum harum Dioecesium alii ordines non ex pazmaniana fundatione, verum e fundo publico supplendum disposuerunt [1]), ut adeo, dum 20 solum Alumni, in Seminarium generale transformato hocce Collegio pro parte Archi-Dioecesis Strigoniensis educantur: id cum damno vadat A.-Dioecesis, maxime cum nec hoc pateat, an Alumnus Helmuthianus et Transylvaniensis in hunc numerum computandi veniant.

3. Quod proprietas A.-Dioecesis Strigoniensis in domum quoque Pazmanianam hac transformatione laedatur,

---

1) 3a Aug. 1864 Nr. 7792 Arch. Canc. h. a.

cum Alumni ejusdem usque numerum 20 inde excludantur. Quae falcidia eo gravius feriat Archi-Dioecesim, quod jam anno 1776° occasione translatae Universitatis Budam, aedes Seminarii Adalbertini, vulgo etiam Rubrorum dicti Tyrnaviae, in cambium cesserit Seminario Generali in aede Jesuitarum pro 200 capitibus Budae erecto, in cujus adaptationem quadraginta etiam florenorum millia Cassae Seminarii Mariani Tyrnaviensis parsimonialia Rescripto Regio addicebantur, quin Archi-Dioecesis seu cambio acceptam domum Budensem, dum Alumni inde 1784 Posonium, hinc 1802 Tyrnaviam translati fuissent, seu aedes Seminarii Adalbertini Tyrnaviae, seu aliquam bonificationem recepisset; imo anno 1804 Praeposituram quoque de veteri Buda cum triginta millibus florenis fundationis Emerici Losy amittere debuit, erecto Pestini Seminario centrali assignatos, erga jus tenue illuc decem Alumnos mittendi.

4° Quod propter sumptus Alumnorum sustentationales, Viennae centum florenis altius, ac in aliis dioecesanis Seminariis computatos, grave onus accedat tum Episcopis, qui Alumnos suos in Collegio Pazmaniano propriis sumptibus educare debent, tum vero fundis publicis, qui defectum tegere debebunt.

5° Quod per erectum Pestini centrale Seminarium penes Universitatem, satis provisum sit ampliori scientificae culturae Alumnorum, talentis praestantioribus pollentium; quos etiam nimium augere non expediat, ne juvenili praefidentia abrepti, plus sibi, quam aliis deberi, cum gravi incommodo Ordinariorum existiment.“

Quae dum Consilium locumtenentiale hungaricum audita opinione Commissionis ecclesiasticae loco altissimo exponeret, eam expressit opinionem, quod Collegium Pazmanianum, si ob defectum imminuti valoris aeris publici Viennae commode amplius sustentari non posset, aut Tyrnaviam, prout jam anno 1810 die 13ª Decembris projecta-

verat, transferatur, aut vero, ablatis in eo turbarum et scissionum fomentis, ampliorique paedagogica dexteritate praeditis viris ad ejus regimen admotis, in statu suo priori, quo usque annum 1784 ad publicam notorietatem florebat, relinquatur [1]).

Ast vero observationes hae Consilii locumtenentialis, quae laudabile studium conscientiosae fidelitatis in re adeo gravis momenti exhibent, loco competente sufficienter dilutae, decretum regium non alterebant; novoque rescripto Imperator ac Rex Franciscus editae suae in hoc objecto Resolutioni inhaesit [2]), maxime cum Consilium opinione sua a mente Fundatoris plane recesserit.

Factum est igitur e Collegio Pazmaniano pro solis Alumnis Archi-Dioecesis fundato, Seminarium Generale totius Regni Hungariae; proprietas tamen Collegii, fundationumque jure proprio penes eandem A.-Dioecesim remansit, quae etiam Collegium Rectore, Superioribusque providet. Transformationem hanc literae fundationales patiebantur, nec enim Pazmannus ipse alienus erat ab eo, ut in Collegium suum praeter Archi-Dioecesanos suos, alii etiam suscipi possint; verum fundationem solum suam pro alendis Clericis Archi-Dioecesanis exclusivo jure assignaverat, quod jus illaesum deinceps quoque permanserat, neque per excisionem trium Dioecesium novarum ex ea, participationemque harum in emolumentis fundationis ablatum dici potest, cum Dioeceses hae non communem cum Archi-Dioecesi proprietatem fundationis, verum communem solum usum fructuum ejusdem habeant. Numerus sustentandorum Alumnorum a Pazmanno determinatus non fuit, verum id solum stabilitum, ut tot numero Alumni in Collegio alantur, quos fundatio capere poterit; compertumque est aetate Imperatoris Francisci, ex funda-

---

[1]) Arch. C. H. 1813, Nr. 10483.
[2]) Ibidem. Nr. 12506.

tione, per novissima aeris publici fata ultra dimidium devalvata, adjunctis loci conformiter non plures, quam viginti novem ali potuisse, imo vix post unius decennii lapsum, nec tantis fundationem suffecturam fuisse, ni id, quod adauctis rerum pretiis, imminuta fundatio praestare non valebat, fundus partim regulatorum, partim vacantium Episcopatuum supplevisset. Merito agnoscenda igitur est optimi Imperatoris paterna in Collegium sollicitudo, dum salvo jure proprietatis Archi-Dioecesi Strigoniensi vi litterarum fundationalium in Collegium relicto, illud Imperator ac Rex Franciscus commune Ecclesiae Hungaricae bonum efficere magno animo decrevit. Alioquin Pazmannus ipse, ut supra relatum est, de erigendo Viennae generali Cleri Hungariae Seminario meditabatur olim, domumque Montis aurei, si illud aliquando erigeretur, huic cedendam in Synodo publica obtulit. Quod igitur tunc fieri non potuit, seriusque perfectum est, mutatis rerum adjunctis, ipse Pazmannus ratihabuisset, ni jam in aeternitate tunc vixisset.

Primi Alumni e variis Dioecesibus adveniunt. Rector Stephanus Vrana.

Pro anno scholastico 1813/4 juxta ordines regios advenerunt Alumni jam ex variis Dioecesibus Hungariae, atque studiis diligenter operam navarunt. Rector Collegio eodem anno datus fuit novus, Stephanus Vrana, Ecclae Metr. Strigoniensis Canonicus, qui etiam usque annum 1820 Collegio praefuit. Quid tamen ille in munere hocce suo egerit, ignoratur; nec unum enim documentum e tempore Rectoratus ejus in Tabulario Collegii superest. Illud solum constat, quod, cum tentamina rigorosa ad gradum academicum obtinendum scholaribus durante cursu theologico subire inhibitum exstiterit: fatus Rector supplex factus sit loco altissimo, ut Pazmanitis, quibus sua Majestas, dum eorum Collegium restituisset, una sumptus pro gradibus academicis e fundis publicis, si privati defecissent, resolverat, indulgeretur durante cursu Theologico, post absolutum tamen cursum Theologiae anni II. e studio

biblico unum tentamen rigorosum subeundi, eo ex motivo, ne secus studiis absolutis etiam per biennium in Collegio remanere cogerentur Alumni illi, qui similia examina subire vellent; quod item talem indultum ipsa Viennensis Facultas Theologica peroptet; quodve Alumni ad Universitatem Pestinensem jam ultro simili indultu utantur. Placuit Imperatori Francisco indultum hunc Collegii Alumnis dare, quo etiam illi hodiedum utuntur in non exiguum decus Collegii, ipsius adeo Universitatis; non tamen hodie prius, quam in anno 4° Theologiae ad examen illud admittuntur, neque alii, quam qui studiis diligenter incubuerunt, quive judicio Rectoris et Collegii Professorum habiles et idonei censentur [1]. Primus vero, qui in sequelam benigni hujus statuti tentamen rigorosum e studio biblico qua Theologus anni secundi absolutus, anno 1816 subiit, fuit Michael Rimely O. S. Benedicti, Archi-Abbas montis Pannoniae [2]. Sumptus pro gradibus academicis, prout pro tentaminibus rigorosis quoque, decreto regio conformiter partim e vacantibus proventibus Sedium Episcopalium, partim e fundo regulatorum Episcopatuum, patrono privato deficiente, suppeditabantur. Cum attamen Episcopatus non vacarent, sumptusque Collegii e fundo dicto regulatorum Episcopatuum tegendi in dies excrescerent, ob idque expensae rigorosales ac graduales a respectivis administratoribus fundorum horum difficultarentur: ne juvenes ad altiora studia prosequenda talentis ac voluntate praediti per similes obices impedirentur, Episcopi Hungariae semet ultro declararunt, expensas Alumnorum suorum in Collegio Pazmaniano existentium, qui tentaminibus rigorosis animum applicare vellent, se libenter latu-

---

[1]) Vide Arch. Canc. Hungar. dto 27° Oct. 1815. Nr. 13998, item Hofstudien-Commission Decret. 1815. $\frac{2588}{182}$.

[2]) Qui Patruus noster amantissimus, recte dum haec scribimus, vita functus est die 8 Martii.

ros esse. Quod eorum oblatum gratanter acceptatum fuisse, docent literae Consilii locumtenentialis, ad Archi-Episcopum tunc Strigoniensem Alexandrum a Rudna dimissae [1]), ubi Archidux Josephus qua Palatinus, eidem significat: „Suam Maj. Ssmam promptam Praelatorum Hungariae in subministrandis Clero suo juniori taxis academicis, ac per hoc intentiones regias secundandi voluntatem, pro altissimo notitiae statu sumere, et eorumdem Praelatorum liberalitati relinquere dignatam esse, ut etsi nemo eorum Theologiae auditorum a rigorosis examinibus, per quae capacitas, intellectus et doctrinae sufficientia exploratur, excludi possit, qui ad gradum academicum consequendum aspiraverit: honore tamen et laurea doctorali candidati isti tantum tunc insigniantur, quando eos respectivi Episcopi velut ab exemplari probitate, modestia et humilitate, caeterisque voluntatis et scientiae Sanctorum dotibus sibi commendatos, academica illa praerogativa condecorari desideraverint, motivo cumprimis ex eo: siquidem conjicere liceat, experientia quoque didicisse praelatos, quam parum patiantur requisitam subordinationem juvenilia ingenia, post honores academicos praemature obtentos scientiae opinione turgida, quibus sublimioris mentis culturae suppar in virtute profectus necdum accesserat."

Rector Joannes Láng.

Septennium Rectoratus Stephani Vrana, de quo nulla supersunt documenta, his breviter solum attingentes, anno 1820 prima die mensis Novembris Regimen Collegii Joannem Bapt. Fortunatum Láng ante unum mensem Collegio Canonicorum E. M. Strigoniensis adlectum suscepisse cernimus. Vir hic doctrina ac pietate insignis, mox ac Regimen Collegii adiit, squallorem fabricae internae Collegii auferre, mobilia restaurare, et vel maxime Sacellum domesticum cum decore exornare agressus est. Aram in Sacello

---

[1]) Die 16. April. 1822 Nr. 9332, in Arch. Colleg. — Alio Intimato de 6a Julii jam anno 1813 Nr. 15956 Consilium reg. significabat Alumnos Collegii praelectiones ex oeconomia rurali vi decreti Regii frequentare debere.

prius inter duas fenestras constitutam parieti principali, ceu loco digniori admovit; paramenta ac vasa sacra nova comparavit, totumque Sacellum eleganter adornari curavit, partim domus, partim suis sumptibus, partim munificentia adjutus Josephi Pauer, Episcopi, Canonic. Strig. et Vicarii Apostolici Castrensis. — Multis molestiis provisioni condignae Collegii prospexit, quas molestias, ne siccitate objecti iteratis narrationibus nauseam lectoribus paremus, serius simul breviterque adferemus. Disciplinam domesticam, directricem hanc regulam omnis subsequae juvenum aetatis, forti manu tenebat, omniaque egit, quo avitus Collegii honos conservetur.

Idem Rector sibi, et Collegio decus attulit non vulgare, dum ad Concilium provinciale ab Æpiscopo et Primate Regni Alexandro a Rudna, Posonium pro die 8ª Septembris anni 1822 qua Rector Collegii Pazmaniani evocatus, in solenni hoc Patrum Ecclesiae Hungaricae Consessu munus Notarii gesserat. Eodem tandem Collegium regente, anno 1822/23 per intimatum regium sublatis ad Universitatem in tribus supremis facultatibus, theologica nempe, juridica et medica, examinibus semestralibus, ea ad finem anni relegata sunt. Beneficentiae etiam suae in Collegium, cui praeerat, relicturus documentum, in ultimis suis tabulis Collegio 150 fnos legavit; fundum insuper pro alumnis Collegii Pazmaniani, et Seminarii Pestinensis ad curam animarum promovendis constituit, ex quo singulo anno unus aut duo Alumni Dioecesis Strigoniensis absoluti, qui diligentia eminent, indigentesque sunt, obvenientes a summa fundationali census percipiunt.

Anno 1824 mense Augusto laudatus Joannes Fort. Láng in Praelatum Tabulae Regiae renunciatus est; cumque pro capessendo novo suo munere Pestinum discessisset, Archi-Episcopus Strigoniensis neminem in Capitulo suo pro dispositione habens, quem Regimini Collegii Pazmaniani admoveret, munus Rectoris ad interim Vice- Rector Josephus Schneider.

Rectori Josepho Kunszt gerendum commisit, qui etiam illud usque mensem Majum anni sequentis adeo laudabiliter gesserat, ut complacentiam Praesulis emeruerit. Hoc eodem anno ac mense in Rectorem nominatus fuit Josephus Schneider, e Capitulo Posoniensi ad Strigoniense ante unum mensem translatus, cum prius jam per quinquennium 1815—1820 Vice-Rectoris munus in Collegio Pazmaniano obivisset. Singulari diligentia vir hic Historiam Collegii Pazmaniani ex actis originariis conscribere coepit, quia attamen ei plurima documenta ignota erant, partim fragmenta solum collegit, partim impeditum se vidit, coeptam historiam ad finem perducendi. Caeterum sub Rectoratu ejus eventus peculiares, qui connotandi forent, non acciderunt [1]). Praefuit autem Collegio usque annum 1830, quo infirmari incipiens, Strigonium ad Capitulum suum redivit, eodemque adhuc anno ibidem supremum diem obiit.

Rector Georgius Németh.

Successit eidem Josepho Schneider ipso anno 1830 Georgius Németh de Dömötör, Em. Strig. Canonicus, qui forti manu omnes plantas, quae Collegio et Ecclesiae nulli usui se futuras mature comprobarunt, ne humores virtutum aliis subtraherent, e Collegio eliminare studuit; recte cognoscens, plus Ecclesiae opitulari, si habeat paucos, ast bonos, quam multos, verum malos, aut dubios Clericos. Dimissis igitur variis vicibus tum ad A. Episcopum Strigoniensem, tum ad alios quoque Episcopos literis, iterato orabat, ut ii quidem Praelati, qui annorum serie varias ob causas Alumnos ad Collegium non miserant, id ultro praestarent; ii autem, qui minus selectos miserant, maximam curam in seligendos juvenes converterent, quos instar luminis in candelabrum urbis imperialis ponendos, ad Collegium dispositurі essent.

Difficultates circa provisionem Alumnorum.

Pluribus caeterum cum difficultatibus conflictari debuit Rector hic circa provisionem Collegii, quas ut uno

[1]) Moles solum fabricae Bibliothecae Universitatis, veteri Collegio Jesuitarum adjecta anno 1827, forum Dominicanorum, liberumque Coll. Pazm. situm arctavit.

halitu referamus, sequentia adjecisse juvabit. — Ab eo tempore, quod Collegium 1813 4 Seminarium generale evasit, numerus Alumnorum fundatorum in 29 individuis stabilitus fuit, erga summam provisionis annuae tercentorum florenorum tunc in valuta viennensi computatorum. Similem summam pro Alumnis suis dependere debebant Episcopi omnes, qui Clericos suos numero defixo ad Collegium fine institutionis miserunt. Ordinum autem Religiosorum Praelati, a tempore, quo eorum quoque Alumni ad Collegium recipiebantur, seu ab 1815°, duplam originariae systematicae solutionis, adeoque singillativos sexcentos florenos solvebant [1]). — Fundatio attamen summam 300 fl. annuorum post mutatum aeris publici valorem, anno 1811 subditis Imperii superinductum, non amplius pro individuo reddebat penes numerum 29 stabilitum; sed etiamsi fudisset, illa sustentandis Alumnis penes mutata rerum pretia non suffecisset, prout non sufficere apparuit apud Alumnos non fundatos tantopere, ut adhibita licet omni parsimonia supererogatum Collegii ab anno 1813/14—1817/18 86845 flns effecerit, quod fundus regulatorum Episcopatuum, anticipatis solutionibus tegebat, quodve concernentes Episcopi una cum Religiosorum Ordinum Superioribus pro rata refundere sunt coacti, prout etiam refundebant. — Malo attamen medela sic allata non fuit, ideoque quaesitum est a Consilio locumtenentiali, ansam quaestioni dante Episcopo Diacovariensi, an non magis expediret, summam stabilitam paululum potius levare, levatamque stabilire, quam erogationes Collegii arbitrio relinquere [2]). Ad quam quaestionem Rectori Joanni Láng anno 1821 positam idem summam 600 fnorum projectabat. In sequelam cujus projecti determinatum fuit, ut inito semper praevio calculo, computentur sumptus sperative de anno in annum necessarii.

---

[1]) Litt. Rect. ad AE. Rudnay 22 Junii 1831.

[2]) 18a Junii 1821 Nr. 15297. Arch. Coll. Prot. Láng.

Id tamen adaequate determinari non potuit, plurimasque molestias ob postliminio faciendas solutiones si quid supererogatum fuit, aut recompensationes, siquid reliquum restabat, produxerunt. Neque rei sic medebatur. Jam enim anno 1827/8 alii 68199 floreni supererogati, a fundoque regulatorum Episcopatuum anticipato tecti inveniebantur. Ex his dimidium circiter respectivi Praelati refuderunt, dimidium autem aliud Imperator altissimo decreto anno 1829 remisit, ac una Praelatos ab onere supererogata Collegii Pazmaniani ultro tegendi absolvit. Tandem novo decreto, anno 1833 summam sustentationis singulorum Alumnorum in 600 flnis val. vien. computando, stabilivit, ac quod e fundatione ad hanc summam desiderabatur, e fundo regulatorum Episcopatuum tegi, per Praesules autem *anticipata semper solutione* in Collegii aerarium inferri disposuit [1]).

Fata horti Collegii sub exundatione et Cholera.

Anno 1830 undae glaciales Danubii hyeme soluta inter plurima damna, quae urbi imperiali induxerunt, hortum etiam Collegii oppleverunt, vehementique suo impetu sepes muratas ejusdem in rudus converterunt, ac damnum mille florenos excedens, fisco Collegii intulerunt. Damno huic mederi fundus regulatorum Episcopatuum debuit. Vix autem hortus e squallore suo levatus fuerat, jam alio onere premebatur domus ejusdem. Morbi quippe cholerae grassans ferocia cuncta Urbis nosocomia repleverat, vixque tempus suffecit ad erigenda plura talia tristia moribundorum receptacula. Conclavia spatiosa horti in finem similem apta nimis videbantur magistratui civico suburbii Leopoldini, quae etiam Rectore Collegii nec edocto, ultro occupabantur, infirmisque replebantur; erecta in extremo horti angulo quapiam aede, unde collecti per dies singulos mortui sub noctis atra quiete in silentio effereban-

---

[1]) Omnia simul deducta de 19 Julii 1830 Nr. $\frac{8105}{545}$ in Arch. Canc. h. aul; et 22. Jan. 1833 Nr. 3001.

tur, ne pavor mortis e visu tam copiosorum defunctorum corriperet vicinos, vimque morbi inter eos sic acueret. Communi necessitate id deposcente, quamvis modo occupationis, nomine magistratus per quemdam Judaeum factae, offenderetur Rector, eadem tamen tristi huic destinationi ad tempus ultro libenter cessit; cujus promptitudinis testes fuere literae Gubernii, grates Rectori enunciantes. Non tamen par fuit promptitudo magistratus, morbo cessante domum Collegio resignandi; vacua enim infirmis cubicula is in hypocaustum supellectilium nosocomialium convertit, nec loco ad iteratas etiam preces cedere prius voluit, quam cum verbo regio stringeretur.

Rector Georgius Németh fit Praelatus Tab. Reg., ei succedit Josephus Kunszt.

Rector post haec Georgius Németh mense Majo anni 1832[i] in Praelatum Incl. Tabulae Regiae renunciatus, nisi usque ad finem anni scholastici officio suo rectorali immansit, quando Pestinum discessit, relicta adhuc Capellae Collegii praetiosa Casula, quae hodiedum existit. Eidem Vicarius Capitularis Strigoniensis Josephum Kunszt substituit, Ecclesiae Collegiatae Posoniensis Canonicum anno priori nominatum, qui etiam novum hoc officium, quod ante annos jam cum laude suppleverat, cum discessu Rectoris Georgii Németh mense Septembri auspicatus, toto gesti muneris tempore, quod usque ad annum 1845[um] duraverat, omni occasione palam ostendit: jure optimo Vicarium sibi in Rectorem nominato, dicere potuisse, eum se talem considerare, qui „e praegesti antea illic decursu undecim annorum Vice-Rectoris officii experientia, quaevis Collegii adjuncta adprime cognoscens, ipsumque vacans antea Rectoris munus spatio octo Mensium egregie et ad peculiarem pie defuncti Eminentissimi Cardinalis Primatis Alexander a Rudna [1]) complacentiam administrans, ex ipso quoque Metropolitani Capituli consilio“ aptissimus muneri huic gerendo videretur.

---

[1]) Mortuus 1831 mense Septembri.

Impigro etiam conatu curas suas in id convertebat Rector hic, ut selecti juvenes ecclesiastici in domo Pazmanni pietate, scientiae ac disciplinae amore excellerent; quod ut assequeretur, precibus exorabat Episcopos, quatenus intentionibus regiis conformiter Alumnos ad Pazmaneum modo ordinario mitterent, eosque ingenio ac moribus distinctos seligerent [1]). Quiqui autem respectu utroque parum spei reliquerant, se tales olim futuros, quales ad trutinam suam commensuratos desiderat Ecclesia ministros, eos omni quo licuit meliori modo, e Collegio amovit. Singulariter autem Alumnos talentis valentes ad subeunda rigorosa, cum voce, tum oblatis ad actum hunc requisitis taxis academicis stimulabat. Disciplinam porro domesticam ut illibatam custodiret, morem, qui annis superioribus in obversum statuti regii in Collegium irrepsit, Alumnos quippe non pro incipiendo, verum pro continuando saepe solum cursu theologico e Dioecesibus mittendi, toto pectore sufferre studuit ob incommoda, quae e diversis praelectionum horis in disciplinam domus ac litterarum ad Universitatem redundabant, quam periculosissima, copiosissimaque. — Nec emolumentorum, quae e culto genio hominum promanare solent immemor, ullam sivit praeterire occasionem, quin ea, quae artium, et culturae singularia erant objecta, Alumnis videnda praeberet, ut animi horum juvenum ecclesiasticorum, ad altiorem culturam vocatorum, omni ex parte excolerentur. Eo igitur jubente potius, quam indultum praebente, visitabant Alumni musaea artium et antiquitatum, adiverunt conciones celebratorum oratorum, festivitates Aulae Augustae publicas, servabant domi conferentias super regulis urbanitatis etc.

Rectore hoc fasces Collegii manu forti tenente, Alu-

---

[1]) 15 Sept. 1835, Nr. 28812. — 3. Sept. 1839, Nr. 28665. — 31 Mart. 1840 inter Act. Collegii.

mni labii hungarici longe numerosissimi anno 1839 in societatem coadunari coeperunt scopo illo, ut semet in lingva ac litteratura hungarica, cumprimis sacra perficerent. Nec vili cum successu. Partim enim de materiis scientiarum controversis disputando, partim opellas minores elucubrando, partim producta mentis auctorum celebratorum in lingvam patriam transferendo [1], ingenium suum exercebant; mentis aciem excolebant; erigebantur in fiduciam erga vires suas proprias; facilitatemque ac elegantiam styli, elocutionisque sibi propriam reddebant per ideas in fertilibus eorum animis docta hac concertatione excitatas. Cum porro ex obulis membrorum societatis hujus minime contemnendus numerus librorum, ut potissimum litteraturae recentioris, in nitidam coalesceret Bibliothecam, in apiario hoc, proprio sudore in unum congesto, libenter commorabantur tempore a studiis sibi praescriptis libero. — Floruit autem societas sic collecta, manuque munifica Archi-Episcopi Josephi Kopácsy suffulta usque annum 1848, quo Alumnis ob strepitus belli civilis discedentibus, non modo societas cessavit, verum protocolla etiam ejus nescitur qua inimica manu annihilata sunt, nec enim eorum ulla amplius supersunt vestigia. Caeterum successu primo hujus societatis commoti aliorum in Collegio labiorum alumni, publicum subin in pagellis odium spirare coeperunt. Qui eventus argumenti instar est, in institutis, ubi diversarum nationum filii communem agunt vitam, particulares unius labii Alumnorum societates ob facilem juvenilis aetatis in ea, quae nationis suae sunt objecta effervescentiam, magna cum cautela inducere, ac moderari opportere.

Biennio post, ac fata societas coaluit, anno quippe 1841, duo Alumni e Dioecesi Segniensi, anno vero 1844

Alumni e Dioecesi Segniensi et Munkacsiensi accedunt.

[1] Tales erant: Liber instructivus Leonardi Goffine; item compendium Historiae, prout illud conscripsit Annegarn. Utraque versio typis hung. prodiit.

alii duo e Dioecesi ritus graeci Munkacsiensi Collegio accesserunt, quos posteriores erga preces Episcopi Munkacsiensis loco altissimo propositas, e Convictu caesareo Viennensi suscepit Collegium [1]).

Nuncius Apostolicus visitat Collegium.

Anno vero 1845 honorem Collegio, attulit illud visitando Nuncius Apostolicus ad Aulam Imperialem Viennensem Ludovicus e Principibus Altieri, cui, antequam ad senatum Patrum purpuratorum Romam remearet, inter oblata sibi discedenti carmina decaglotta, ut Collegium Pazmanni quoque suum testaretur homagium, hexametris propensum ejus in se affectum concinebat.

Rector Josephus Kunszt Collegium relinquit.

Honoris hujus, cui benedictionem suam addidit Legatus Summi Pontificis, Alumnis coram se prostratis impertitam, Collegium Rectore Josepho Kunszt jam discedente particeps fiebat; ille enim volente sic Archi-Praesule Josepho Kopácsy, ad gerendum munus honorificum Vicarii Generalis Strigonium transiit, 29[a] Aprilis, posteaquam partim qua Alumnus, partim qua Vice-Rector, ac tandem Rector, triginta fere annos inter septa Collegii transegisset. — Munificentiam ejus, qui existimationis bonae Collegii semper studiosissimus erat, loquuntur Casula una, acu phrygia eleganter picta, quae ornamentum est Sacelli domestici; icon item Fundatoris immortalis, in oeco Rectoris appensa, cujus inscriptio laudes eam procurantis ipsa enunciat [2]).

---

1) Int. Cons. L. 1. Aprl. Nr. 13711 in Arch. Coll.

2) HOC. PETRI. PAZMANY. SIMULACRUM.
UT. MAGNUM. HUNGARORUM. ANTISTITEM.
AC. IMMORTALEM. COGNOMINIS. COLLEGII. STATOREM.
REDDERET. POSTERIS. CONSPICUUM.
E. COAEVO. EXEMPLARI. ROMAE. PENICILLO. ARTIFICE. EFFECTO.
DESUMI. FECIT. JOSEPHUS. KUNSZT.
ABBAS. B. M. V. DE VALLE. VESZPRIMIENSI.
E. M. S. CANONICUS. COLLEGII. PAZMANIANI RECTOR.
A. R. S. MDCCCXXXVIII.

Imaginem hanc aere incidi fecit Societas S. Stephani, a qua nos quoque illam reciproco obsequio accipientes, opellae huic praeposuimus. Adest insuper in Refectorio Collegii alia imago ejusdem Pazmanni, cujus lineamenta a magnifico hocce simulcro nonnihil abludunt, quaeve inscriptionem anni 1769 fert, magisque consimilis est imagini illi, quae in Monasterio S. Martini in monte

Munus autem Rectoris a discessu Josephi Kunszt concredidit providus Archi-Praesul Josepho Prybila E. M. Strigoniensis Canonico, qui illud ultima die mensis Aprilis anni ejusdem auspicatus est. Principis Primatis Josephi Kopácsy cura circa Alumnos Collegii Pazmaniani principaliter in studium eloquentiae sacrae dirigebatur, qua illi ceu vehiculo uterentur, vitae probitate quoque accedente, ad partam sudore scientiam sacram animis Christi fidelium cum fructu instillandam. Atque haec fuit causa, cur Antistes Magnus Rectorem fatum provocaverit, ut ille, qua orator celebratus in Urbe Posoniensi, cui qua Parochus diu praeerat, cognitiones suas in arte dicendi, haustasque in cura animarum experientias, Alumnis communicare, in eosque influere velit. Sanxit insuper in suis ad Rectorem cum initio anni 1845/6 dimissis literis: „ut cum magnopere interesset, quatenus Clerici jam in Seminariis in arte dicendi diligenter exerceantur, Superioritatique ecclesiasticae de eorum hac in parte profectu certiora constent" ut, inquam, Alumni cumprimis ultimorum duorum annorum quovis die dominico et festo, qualibet item feria quinta ad concionem probae instar dicant sermones a se elaboratos, et cum lectione Evangelii, quae nunquam negligenda foret, cohaerentes. Sermones hos partim per Directorem Spiritualem, partim per Studiorum Praefectum praeviae crisi subjici, per eosdem errores in stylo et conceptu notari, per ipsos tamen Alumnos corrigi, describi, ac cum fine cujusvis anni sibi submitti jussit. — Dicendis autem in omnibus lingvis Patriae sermonibus cunctos Superiores interesse voluit. — Cui statuto ut robur adderet exemplo suo, quoties eum Viennam venire contigit, Collegium adire, ac potissimum tempore, quo Alumni sermones in triclinio dicere solebant, his intervenire, eos admonere, cohortari, corrigere solitus erat.

Rector Collegii fit Josephus Prybila. — Ordines diversi ad Collegium dimissi ab Æpiscopo Josepho Kopácsy.

Pannoniae conservatur, Pazmannumque in habitu ordinis sui repraesentat, annoque notatur 1636.

Quo autem Alumni sub vigili oculo suorum Superiorum in litteris ac virtutibus in dies amplius formarentur, aliis ordinibus determinavit modum et tempora asservandorum Consessuum, inferendarum in librum distinctum observationum, consultationis fructuum, non secus ac omnium eorum ordinum, qui circa Collegium e variis locis altioribus statuti sunt; singularemque sollicitudinem habere voluit pagellarum ephemericarum, quae Alumnis legendae traderentur ad statum Ecclesiae domi forisque cognoscendum, ne pro melle virus juvenilia pectora insugant [1]).

Ex frequentiori Collegii inspectione edoctus Archi-Praesul, fiscum Collegii ob aucta rerum pretia alendis Alumnis in illum modum, qui ipsis, ceu selectis e Seminariis Hungariae Clericis convenisset, haud sufficere: dum die 15ª mensis Maji anni 1846 illud iterum inspexisset, Rectorem provocaverat, ut hic in dirigendo ad se proxime recursu, summam sustentationis unius Alumni e 600 florenis valutae viennensis ad 300 flnos mon. conv. levari peteret, loco altiori substernendum. Magnae autem Antistitis hujus auctoritati, qua penes omnes Magistratus publicos pollebat, adscribi potest successus felix ac tantopere acceleratus, ut jam mense Augusto Collegium voti compos fieret [2]). Perspiciens insuper Archi-Praesul animos juvenum continuis studiis intentos recreatione ac exhilaratione amplius opus habere, dum eadem occasione Collegium visitando intellexisset, Archi-Abbatem Montis Pannoniae Michaelem Rimely nuper dierum certam pecuniae summam scopo simili in manus Rectoris deposuisse, ipse quoque ad levandos e fatigiis Alumorum animos generositate Principe digna, aes pro distractione conferebat.

---

[1]) Die 15. Sept. 18 Nov. 1845 in Arch. Collegii. Protoc. cj. an.

[2]) Decr. aul. 20. Aug. 1046 Nr. $\frac{10042}{582}$ Cons. Locumt. 22. Nov. Nr. 41596 in Archiv. Côlleg.

Pro quo benigno ac sollicito affectu, ut Alumni quoque vices gratiarum Principi, Patrique munifico referrent, solertia ampliori adhibita, anno mox sequente novem e theologis anni quarti prima, ad gradum academicum e SS. Theologia obtinendum, consequentes lauri folia, ceu fructus laborum suorum Archi-Praesuli exhibuerunt. Nec tamen hic multum iis delectari potuit, tempore enim infaustissimo, dum Patria diu quieta alis effrenatae seditionis per incentores jam jam raptari coeperat, Archi-Praesul die 18[a] Septembris anni ejusdem 1847 obiit, moestissimum obitu suo luctum superinducens Ecclesiae ac Patriae, quae praecipiti dein impetu in extremum belli intestini discrimen conjecta est.

Novum periculum sublationis Collegio imminet.

Dum sic ad initium anni 1848[i] bellum minarentur cuncta, Alumni pleno quidem adhuc numero ad Collegium convolarunt, verum qualis sors eos sit mansura? e literis apparuit, quas nomine praesidis Ministerii hungarici, Carolus Szász Subsecretarius status ad Primatem regni paulo prius denominatum Joannem Hám dimiserat, insinuans, subsidia adusque in sustentandos Collegii Pazmaniani Alumnos e fundo regulatorum Episcopatuum, et pro membris c. r. instituti sublimioris Presbyterorum educationis Dioecesium Hungariae e fundo religionis assignari solita denegandа fore, relicto onere Episcopis, Alumnos in dictis duobus institutis aere proprio sustentandi. Provocabat porro vir hic Primatem, ut obtutus suos circa optimum educationis ecclesiasticae modum ministerio fato ocyus substernere velit [1]).

Annus autem scholasticus inter motus publicos inchoatus ad finem amplius perduci non potuit. Exorto enim Mense Martio anni 1849[i] in urbe tumultu, praelectiones per aliquot dies cessarunt, dein iterum reassumptae sunt, cum

---

[1]) Die 26[a] Sept. 1848 Nr. $\frac{5141}{1044}$.

vero novus, validiorque tumultus die 26[a] Maji erumperet, Aulaque Universitatis ab armis seditiosorum studiosorum resonaret: examinibus cito absolutis, annus scholasticus clausus est. Siluerunt dein Musae anno uno et ultra. Intermedio tempore Rector Josephus Pribyla, mense Junio munus suum resignavit, totumque regimen Collegii difficillimis his temporibus, Vice-Rectori, prius jam honore Canonici ornato, concreditum mansit, qui, Praefecto etiam Studiorum, Georgio Schopper domum linquente, solus cum Spirituali Directore, Josepho Pantocsek inter ipsos pugnarum, in plateas civitatis invectarum mortiferos tumultus, in aedibus Collegii permansit, nec eas prius reliquerat, quam dum domum ingressa plebs occupavit, quadros strati platearum lapides in fenestras domus inferendo, quibus structum e congestis undique domorum utensilibus ad ostium plateae vallum munivit.

Ob bellum igitur intestinum, quo durante cives plurimi manu concivium suorum per ictus glandinis plumbei ex abditis domorum receptaculis prostrati, in publicis urbis commeatibus atrociter perempti sunt, duo solum Alumni ad initium anni scholastici 1849/50 advenerant: verum hi quoque non diu in Collegio persistere potuerunt; cubilia enim Collegii subingressus miles caesareus occupata tenebat, continuoque strepitu suo eos, ultra quam sufferre potuissent, turbabat. Igitur etiam hi duo domum deseruerunt. Loca autem illa, quae in domo a milite occupata non erant, asylum dein praebebant sacerdotibus hungaris, Viennae tutiora a persecutione sibi imminente receptacula quaerentibus.

Joannes Hám dignitati primatiali renunciat, Joannes Scitovszky fit Æpiscopus et Primas.

Renunciavit interim muneri Archi-Episcopali Strigoniensi, sibi paulo ante oblato, antequam Roma confirmationem obtinuisset, Joannes Hám, atque ad Dioecesim Szathmariensem, quam antea tenebat, ac in fama sanctitatis gubernabat, revertendo, locum cessit die 21 Julii 1849 nominato in Primatem Regni Hungariae et Archi-

Episcopum Strigoniensem Joanni Scitovszky, antea Episcopo Quinque-Ecclesiensi.

Sidus genti quoque Pazmannae Viennae collectae in Antistite hoc illucescens, non immerito cum jubilo salutabatur; encomia enim ejus plurima, fama late circumferebat; atque inter illa praecipue amorem paternum, quo plantulas Ecclesiae in Seminariis educatas complecti, illas pupillae oculi sui instar fovere, inter eas tenerrimo affectu cum deliciis saepe commorari referebat. Si enim jam domestici sui apiarii sacri incolas tanta cura fovebat, ut illam admirarentur cuncti: quanto ampliores fovere poterat spes Collegium illud, quorsum selecti Ecclesiae hungaricae filii fine uberioris culturae scientificae transmittebantur; quanto fidentius licuit credere, eum vestigia Pazmanni ingressum, ejus filios quoque amore Pazmanni complexurum fore. Neque spes optima quaeque exspectantes Pazmanni filios delusit. Mox enim primis diebus Septembris anni 1849, Collegium a milite continuo occupatum intelligens, auctor energicus exstitit, ut militia inde exire, locumque mitioribus ac sanctioribus Musis relinquere debuerit. Praesusceptis deinde repurgationibus, quae gravi aere fiscum Collegii praemebant [1]) nec unquam recompensatae fuerunt, Collegium jam 15ª Octobris suscipiendis Alumnis aptum, repurgatumque nitebat, quod Vice-Rector Henricus Szajbély Vicario tum Generali Strigoniensi Josepho Kunszt referens, una orabat, ut de vacante officio Rectoris in Collegio provideretur. Responsum Vicarii Generalis catalogum continebat Alumnorum novem ad Collegium dispositorum; tum munus Rectoris ad interim Vice-Rectori conferebat, simul autem disponebat, ut ob arctatum Collegii fiscum, Alumnorumque numerum imminutum, munus Studiorum Praefecti cessaret, cujus dein officium Vice-Rector cum Spirituale inter se partirentur; Praefecto actuali, domi

[1]) 1339. f. 15 cr. C. M. Solum pro habitatione unius officialis dati sunt 500 fl.

tamen apud cognatos suos constituto Georgio Schopper ad aliud officium translato Posonium [1]).

Alumnorum numerus in Collegio successive multiplicatur.

Advenerunt autem singillatim alii etiam Alumni e diversis Dioecesibus, posteaquam Regni Primas neoelectus Joannes Scitovszky, datis ad omnes Episcopos Hungariae encyclicis literis [2]) eisdem insinuasset: expressum Suae Majestatis Imperatoris Francisci Josephi desiderium esse, ut ex omnibus Dioecesibus Hungariae, uti id prius fieri assolebat, aliquot Alumni in Collegio Pazmaniano educarentur; utque Episcopi altissimo huic desiderio responsuri, unum pro anno scholastico 1849/50 ad fatum Collegium eousque etiam dimitterent, donec illuc Alumni pleno numero assumi poterunt. Mox Dioecesis Neosoliensis, Rosnaviensis, Csanadiensis, Scepusiensis, Sabariensis, Alba Regalensis, Cassoviensis, MVaradinensis, Colocensis, et Quinqueecclesiensis, Vesprimiensisque Alumnos submiserunt. Sumptus pro iisdem alendis resolvit partim fundus publicus, partim Episcopi e suorum propriorum Seminariorum fundis. Hi attamen fundi, prout proventus omnium Ecclesiasticorum, nimiopere imminuti sunt a temporibus Comitiorum anni 1847/8, ubi terriculamentis partis liberalis constricti Deputati ecclesiastici, dum de eo consilia conferunt, quo modo ab impetu praepotentis hujus partis semet liberare expediret? nomine Cleri unus Deputatus decimis Ecclesiae pendi solitis sponte renunciavit! — — [3])

Consilia de sustentatione Alumnorum.

Difficile sic evasit sustentatio Alumnorum tum fundatorum, tum etiam non fundatorum. Fundatorum quidem, quia cessante fundo regulatorum Episcopatuum Ministerium

---

1) 25. Sept. 1849.

2) 14. Sept. e. an.

3) Cessavit anno 1848 etiam fundus regulatorum Episcopatuum qui anno 1804 Intim. reg. de 6a Julii Nr. 12070 coaluit ita, ut proventus Episcopatuum conscripti ad certam summam limitarentur, supernatansque summa cum 10% in conservanda fortalitia, reliquum in Seminariorum indigentias converteretur. — Anno dein 1856 Episcopi Hungariae ac Capitula etc. ut se ab fluctuante hac depensione liberarent: fortalitiis utique cessantibus, tres milliones florenorum e Capitali fundorum suorum onere levatorum ad indigentias Seminariorum tegendas obtulerunt.

defectum summae, quae ad tegendos defixos tercentos florenos annuos pro 29 fundatis Alumnis requirebatur, aliunde sarcire nolebat; projecti instar attamen Archi-Episcopo proponebat, se reductos census depositorum, inque numerum debitorum publicorum relatorum Capitalium Collegii 228,580 florenos efficientium aliquantulum levare velle, sub illa tamen conditione, ut etiamsi Capitalia illa sortilegio subjecta, ante annum 1866[um] velut ultimum protractionis terminum ex urna levarentur, plenum, qui debebatur 4 et 5 florenorum a centum computatum censum nonnisi post annum solum 1866 sortiantur. Consensit quidem in planum hocce peremptoria necessitate adactus Æpiscopus; verum ipsum deinde Ministerium recessit, maluitque annuos sex mille florenos titulo subsidii pro Alumnis fundatis e fundo religionis eousque resolvere, donec Capitalia protraherentur, et ad antiquum normalem censum elevarentur.

Quantum ad non fundatos Alumnos adtinet: Episcopi ob defectum sufficientis dotis Seminariorum domesticorum, unde Alumni eorum in Collegio Pazmaniano solvebantur, pauci solum tales illuc dimiserunt; quod cum ex rationibus annuis innotesceret, Ministerium provocabat Primatem Regni, ut cum valde intersit, quatenus Alumni pleno numero, prout id ante annum 1848 fiebat, in Collegio Pazmaniano Viennae educentur, velit eatenus Episcopos adurgere, addito eo, quod Ministerium ad tegendos deficientes sustentationis sumptus talium Episcoporum, quorum Seminaria id praestare non valerent, e fundo publico concurrere paratum sit [1]).

---

[1]) Magni momenti literae hae Ministeriales die 24 Julii anni 1852 sub Nr. 2984/2377 exaratae ita sonant: Hochwürdigster Fürst Primas, Erzbischof! Der ungarische Episcopat hat mittelst Einlage aus der Graner Versammlung bezüglich des hiesigen Pázmánischen Collegiums den Wunsch geäussert, dass es in seinem früheren Zustande erhalten werden möge. Es ist Euer Fürstlichen Gnaden bekannt, dass die Regierung aus Rücksicht des erwähnten Wunsches der Bischöfe, und in Anbetracht des Nutzens, welcher aus dem Pázmánischen Collegium für die ungarischen Diöcesen erwächst, den Fond desselben seit dem Jahre 1851 mit

In sequelam hujus provocationis Episcopi successive consveto numero Alumnos ad Collegium mittere inceperunt. Plures eorum summam defixam sustentationis ipsi e proprio seminariali fundo dependebant; alii vero in defectu similis fundi proprii, oblatum sibi a Ministerio beneficium ultro acceptantes, pro Alumnis suis in Collegio educandis e fundo publico summas has assignari petierunt. — Ministerium autem promissis suis fideliter stetit, magnaque cum promptitudine sumptus illos assignavit; politica enim rerum adjuncta vel maxime svadebant, ut quo plures Alumni Viennae educentur, concursusque juvenum ex omni Hungaria, partibusque ei nexis ad Universitatem Viennensem valde correspondebat ideae illi, quam assequi Status omni conatu adnitebatur. Non solum autem Alumnos ritus latini, verum etiam ritus graeci Dioecesium, Magno Varadinensis quippe et Fogarasiensis illuc assumi optabat Ministerium eousque, donec Seminarium Centrale pro Ruthenis ac Valachis unitis proprium Viennae erigeretur. Quod etiam factum fuit, aluitque Collegium Alumnos e dictis duabus Dioecesibusque paucorum annorum decursu 1850—1853; quo anno tres Alumni M. Varadinenses et

---

einem jährlichen Beitrage von 6000 flor. C. M. aus dem, vom Staats-Aerar vorschussweise dotirten regulirten Bisthümer-Fonde unterstützt, wodurch das Institut sich in die Lage versetzt sieht, eine grössere Anzahl von Alumnen erziehen und erhalten zu können, als dies aus den Zinsen des eigentlichen Stiftungs-Capitales möglich wäre. Einige von den Bischöfen, eingedenk des Anfangs bezogenen Wunsches, haben nicht unterlassen, das gedachte Institut mit Alumnen zu beschicken, allein es gibt noch immer mehrere Bischöfe, die daselbst keine Alumnen erziehen lassen, woraus folgt, dass die Zahl der Zöglinge des Pazmaneums auch noch in diesem Jahre um ein Drittel geringer ist, als sie vor dem Jahre 1848 gewesen. Nachdem es im Interesse der Kirche Ungarns liegt, dass in dem fraglichen Institute wo möglich die vormalige Zahl der Alumnen wieder erzogen werde, desshalb und in Berücksichtigung des von dem Episcopate selbst geäusserten Wunsches, finde ich mich veranlasst, Eure Fürstliche Gnaden zu ersuchen, Hochdieselben wollen sämmtliche Bischöfe Ungarns zur Beschickung des Pazmaneums mit der Andeutung auffordern, dass man keinen Anstand nehmen werde, die hiedurch sich ergebenden Mehrauslagen des Institutes nach den bis zum Jahre 1848 befolgten Normen bis auf Weiteres aus dem regulirten Bisthümer-Fonde zu bestreiten." Thun m. pr. Si in literis his continuo de fundo regulatorum Episcopatuum fit mentio, id ita intelligendum venit, quod licet in illum ab anno 1848 nil collatum sit ab Episcopis, similem tamen fundum Ministerium de novo stabilire voluit, ut adeo assignationes suas aliunde semper praevio solum modo fecerit. — In locum hujus fundi, Episcoporum Hungariae generosum oblatum, superius relatum successit.

duo Fogarasienses ad neoerectum Seminarium graecorum unitorum, in antiquo Convictu apertum translati sunt, meliori certe consilio, quia sic nec ipsi in exercitio ritus sui, nec Collegium in ordine suo diurno impediebantur [1]). Caeterum aluit Collegium ex indultu Æpiscopi Strigoniensis unum adhuc Alumnum ordinis Praemonstratensium e Praepositura Csornensi: verum ille transacto unico anno 1854 ob afflictam valetudinem domum rediit, nec alium successorem nactus est.

Alumni difficultatem in discendo experiuntur, ob imperitiam lingvae latinae.

Posteaquam Collegium quoad Alumnos suos, eorumque sustentationem ita coordinatum exstitisset, Alumni more Antecessorum suorum studiis diligentem navarunt operam, neque voluntas eis deerat, semet in omni ramo scientiarum sacrarum excolendi, omnibusque adminiculis, quae Collegium in Urbe imperiali situm ad colendos, ampliusque perficiendos juveniles animos eis praebere valet, uberrimum faciendi usum, ut scientias sacras, morumque svavitatem edocti, omnibus item non necessariis solum, sed utilibus insuper doctrinis quoque instructi, semet in utiles, probosque Altaris Ministros efformarent. Quibus studiis dum impigro labore insudant, magnam in principio epochae hujus novae experti sunt difficultatem, ob defectum facilitatis semet in lingva latina exprimendi, quam novum systema studiorum in Gymnasiis inductum

---

[1]) In sequelam citati superius rescripti Ministerialis ad Primatem Regni, idem c. r. Ministerium die 19. Novembr. 1853 Nr. 5199/4414 resolvit pro Dioecesi Csanadiensi 2. pro Albaregalensi 2. pro Szathmariensi 1. — Die 6. Decembr. 1853 Nr. 5360 Nittriensem unum. — 6. aprl. 1854 Nr. 5219/4450 Jaurinensem unum, cui serius anno 1855 adhuc unus stabilis, ac paulo tardius modo extraordinario pro uno duntaxat Cursu adhuc tertius accessit. — Die 1. Sept. 1854 Nr. 3717/3145 alter Szathmariensis resolutus fuit. — Quia autem recursus pro singillativis Alumnis molestus accidit, ideo Rector Collegii Henricus Szajbélyi breviorem ingressus est viam, ac in catalogo Alumnorum, fine assignationis summae sustentationalis, Ministerio substerni solito, successive assumsit duos Sabarienses, pro quibus anno 1855 23a Novr.; dein duos Diacovarienses pro quibus annis 1855—57, et duos Vacienses, pro quibus 8. Maj. 1856, ac alterum Nittriensem, pro quo anno 1860, non secus ac jam prius pro uno Cassoviensi assignatio subsecuta fuit. — Accesserunt annis 1857 et 1858 duo alii Transylvanienses, pro quibus Ministerium 10. April. 1857 Nr. 6046 et 28a Aug. 1858 Nr. 12191/263 sumptus assignavit. — Vid. Arch. Coll. Prot. Szajbélyi.

peperit. Classicitati enim lingvae hujus, quam assequi cupiebant systematis hujus patroni, per vulgarem ejus usum obices poni credebant; ideo factum est, quod cum disciplinis Theologicis simul discere debuerint lingvam ipsam magno cum impedimento profectus in Theologia, quam difficulter intelligebant tum ob defectum cognitionis lingvae, tum ob exiguas praecognitiones philosophicas, quarum vix rudimenta in Gymnasiis delibarunt [1]).

Henricus Szajbély in Rectorem nominatur.

Rectoris autem munus continuo vacabat, donec Vice-Rector saepius laudatus Henricus Szajbély anno 1850 mense Novembri in Canonicum Ecclesiae Posoniensis resolutus, una Rector Collegii constitutus fuisset. Munere hoc assumpto, non amplius sufficiebat officia etiam Studiorum Praefecti explere, unde officium hocce denuo restituendum orabat. In sequelam precum harum eodem mense Novembri Æpiscopus nominavit Studiorum Praefectum Carolum Rimely, Cooperatorem Ecclesiae Budensis ad B. M. V. de sangvine, non pridem Collegii Alumnum; munere Vice-Rectoris porro quoque per Rectorem proviso.

Ordines de Alumnis quomodo informandis.

Transmissae sunt interim ad Collegium Pazmanianum literae Archi-Episcopi, quas eodem anno mense Junio die 21ª ad omnia Seminaria circa modum dandarum de Alumnis informationum dimiserat, in quibus disponebatur, „quod cum in gravissimo hocce merito necesse sit omni cum exactitudine procedere, in explendis informationum rubricis voto decisivo gaudeant quiqui in educationem Cleri junioris influunt, quales sunt Professores, et quiqui Superiores dempto Spirituali. Eapropter — sic prosequitur mandatum Archi-Episcopale — finitis exami-

[1]) Ipse ordo studiorum penes Universitatem multas pluribus ex Alumnis Collegii parabat difficultates; ad id enim, ut Albo Universitatis quis inscribatur, testimonium maturitatis requirebatur, quo in principio plures Alumni destituebantur, et dispensatione solum Ministeriali admittebantur. Inductum est insuper in Universitatem 1850 Didactrum quoque, quo tamen Alumni in sensu §. 14. Ord. Stud. ceu pauperes ac servitiis Dioecesium deputati immunes declarati sunt, iis solum exceptis, qui ex Ordinibus religiosis erant.

nibus omnes et singuli sub praesidio Rectoris considebunt, tum invocata Spiritus s. gratia votorum pluralitate quemvis Alumnum characterisabunt"[6].

Anno 1852° zelosissimus Archi-Praesul Archi-Dioecesim Strigoniensem canonice visitans, etiam Rectori Collegii Pazmaniani submisit puncta, ad quae responsum desiderabat, circa ortum, fata, aedificia, fundos mobiles et immobiles, supellectilem, bibliothecam, capellam, superiores, alumnos, leges antiquas et novas, famulos, et rationes Collegii. Collegium Visitationi Dioecesanae subjicitur.

Ad quae omnia Rector in quantum e cognitis tunc documentis potuit fuso ac docto calamo respondit; manifeste attamen apparet, eidem Historiam Collegii antiquam a Jesuitis in protocollum conscriptam, notam non fuisse. — Multis autem in relatione externa Collegii laboribus occupatus Rector, numero Alumnorum increscente, ne penes omnem conatum suum Collegium damnum pati cogatur: pro officio Vice-Rectoris distinctum individuum ab Archi-Praesule nominandum petiit, et obtinuit; Josephus enim Feger Seminarii S. Emerici Posonii Vice-Rector, in pari qualitate Viennam ad Collegium Pazmanianum translatus fuit 1. Sept. 1852.

Interea Princeps, Primas et Archi-Episcopus Strigoniensis Joannes Scitovszky in praemium exantlatorum pro Ecclesia ac Patria laborum in numerum purpuratorum Sacrae Romanae Ecclesiae Patrum a Sanctissimo orbis Christiani Patre Pontifice Pio IX adlectus, die 11ª Aprilis anni 1853[i] biretum Cardinalitium e manu Suae Majestatis Imperatoris in Capella aulica solenni ritu recepit, confluentesque ad hanc solennitatem hospites, cum aliter id fieri non potuerit, in triclinio Collegii Pazmaniani splendido convivio excepit; quem festivum diei eventum Collegium dulci cordis jubilo concinebat, oblata Patri Purpurato, ac Eminentissimo Collegii Protectori eleganti oratione ligata. Joannes Scitovszky Primas fit Cardinalis.

Ad calcem autem anni scholastici 1853[i] ab Archi-Praesule Studiorum Praefectus Carolus Rimely pro capessenda Juris canonici ac Historiae ecclesiasticae Cathedra ad Seminarium Strigoniense dispositus, successorem in munere suo gesto nactus est Josephum Dankó, altioribus studiis theologicis in c. r. sublimiori Presbyt. educationis instituto cum laude vacantem.

Spiritus inter Alumnos laudatur.

Qualis caeterum in Collegio spiritus tempore hocce regnaverit, qualem profectum Alumni in litteris ac virtutibus fecerint, inde patet, quod Rector Collegii ad finem anni scholastici 1854/5 Archi-Praesuli referre potuerit: „Singulos Collegii hujus Alumnos probitatem sectatos fuisse, nec ullum majoris excessus per integrum annum se reum quemquam fecisse, tutaque conscientia de iis testimonium depromi posse, quod utiles olim in vinea Domini operarii sint futuri", — retulit insuper Rector, complures Alumnorum Collegii hujus, finitis jam examinibus, habitaque discedendi facultate, sponte se declarasse, quod non prius pro feriis abire velint, quam festivitas per Archi-Dioecesim Viennensem occasione promulgati super immaculata B. M. Virginis Conceptione dogmatis adornata, et in 29 Julii cadens, absoluta fuerit, ut sic per varias urbis Viennensis Parochias assistendo, filialem suum erga Immaculatam cultum testarentur [1]).

Sex Professores Gymnasii Tyrnaviensis Collegium incolunt.

Alumnis hoc pietatis sensu ad suas paternas domos dilabentibus, e mandato Archi-Praesulis sex professores Gymnasii Tyrnaviensis hospitium ac victum in Collegio sumpturi Viennam venerunt eo scopo, ut institutioni publicae pro Professoribus penes Academiam Viennensem jussu ministeriali adornatae decursu feriarum interessent; urgebat quippe recenter inducti novi systematis docendi dispositio, in sequelam cujus cuncti, qui muneri docendi

---

[1]) Promulgationi solenni dogmatis hujus ipse purpuratus Archi-Praesul interfuit Romae, ibique Galerum e manu Summi Pficis cum titulo S. Crucis in Hierusalem accepit.

in Gymnasiis applicandi erant, semet examini approbatorio subjicere debebant.

Neque tamen mutatio in systemate studiorum sola Gymnasia tangebat; subiere talem studia etiam theologica penes c. r. Universitatem, aliaque hujus generis instituta. — Et ad Universitatem Viennensem quidem cum initio anni scholastici 1856 7 post consultationes longiores novo systemati initium datum est, juxta quod Theologi anni I deinceps Theologiam fundamentalem, Historiam Revelationis divinae cum exegesi Librorum Antiqui Foederis audire obligabantur; Theologi autem anni II Dogmaticam specialem, exegesim librorum Novi Foederis ac Hermeneuticam; Theologi anni III Historiam ecclesiasticam cum Theologia Morali; Theologi anni IV autem Theologiam Pastoralem cum Jure Canonico, cum disciplinis Catecheticis, Methodicis ac Didacticis percipiebant; studiis lingvarum semiticarum, exegesium sublimiorum, Theologiae item Thomisticae, quam e familia ordinis Praedicatorum insigniter exponere coepit Philippus Maria Guidi; Theologiae item scholasticae, quam doctissimus Clemens Schrader ordinis Jesuitarum magna cum eruditione proponebat, aliisque tractatibus de Jure, critica methodo penes Universitatem expositis, libertati Alumnorum relictis; qui caeterum perfectionis studiosissimi avide frequentabant praelectiones virorum horum doctissimorum, ad quorum pedes saepe soli fere sedebant.

Novum systema studiorum.

Ut autem Alumni cum scientiis etiam pietatem alacriter jungerent, ad studium decoris domus Dei inflammarentur, cantu item ecclesiastico juxta legem artis asvefierent, vigili solertia Superiorum provisum est. Et quantum quidem ad primum adtinet, zelosissimus Archi-Praesul novas leges Seminariis Archi-Dioecesis suae, adeoque Collegio etiam Pazmaniano praescripsit, quarum quidem pars prior asceseos Clericalis principia tam exactis limitibus determinat, ut qui ea animo prompto sequi vult, san-

Incitamenta paedagogica ad pietatem ac virtutes Clericales, cantumque ecclesiasticum.

ctitatis vitae tramitem securo, quantum homini licet pede gradiatur; pars autem posterior studia litterarum tractanda ita docet, ut illa ab arida siccitate praeserventur, nonve caput solum, sed cor etiam excolant. — Leges has Archi-Praesul ad initium anni scholastici 1856/7 die 13ª Novembris prima vice in sua praesentia praelegi jussit, invocato prius in sacello domestico post Sacrum a se lectum Spiritu Sancto, singula legum puncta unctione sibi peculiariter propria fusius exponendo, Alumnosque ad illa fideliter servanda non tam cohortando, quam inflammando [1]).

Quantum ad augendum decorem Domus Dei adtinet, Director Spiritualis Josephus Pantocsek Sacellum domesticum e larga munificentia quorumdam Hungariae Praesulum eleganti apparatu restaurari, ac praecipue aram nitide repurgari fecit. Conatu sane faustissimo. Ostendit enim Alumnis, quantopere ipsis quoque olim eo enitendum sit, ut squallor ab aedibus sacris, qui multis profecto in locis moerore replet contuentium animos, abigatur. Restauravit autem vir ille providus Sacellum necdum adeo desolatum, ut exemplo ostenderet, Domum Dei commune fidelium refugium, locum gratiarum, thronum, per ineffabilem charitatem in SS. Eucharistia semper praesentis Numinis, semper nitide conservari opportere; restauravit Sacellum ex oblatis piis, ut modum Alumnis monstraret, quantopere paupertas Ecclesiarum squallorem non excuset, denec Fideles pii obulis suis ad illas ornandas parati inveniantur, quos eo disponere objectum est prudentis pastorum dexteritatis.

Quantum tandem ad culturam Cantus ecclesiastici adtinet: illam jam Pazmannus, pluresque ejus in munere successores impensis studiis promovere in Seminariis adnitebantur; quod attamen studium hoc impulsum genera-

---

[1]) Textus legum harum in appendice legi potest.

lem aevo recentiori per Seminaria Hungariae sumpserit, gloria est facile Cardinalis Joannis Scitovszky, qui arte canendi ecclesiastica ab olim miro modo delectabatur, illamque non ipsemet tantum svaviter exercebat, sed etiam sapientissimo consilio quaquaversus excoli fecit. In Collegio Pazmaniano lustris ultimis cantus ecclesiasticus non secus ac figuralis agente Josepho Ferdinando Klosz, penes aerarium parsimoniale Viennense Secretario, ejusque votis promptissime secundante Rectore Henrico Szajbély evolvi coepit. Vir enim ille musicae sacrae peritissimus, pluriumque consimilium operum musicorum auctor celebratus, seipsum Alumnis Magistrum obtulit, opusque instructionis singulari cum dexteritate adorsus, continuare impigro ac amico conatu nititur, Alumnos, prout Sacerdotem Sacris operantem decet, svaviter ac graviter voces suas ad regulam artis modulari cum successu edocens.

Contulit pariter ad sensum pietatis in Alumnis fovendum sua Xenia Vice-Rector Collegii Josephus Feger quoque. Statuam enim B. M. Virginis in gradibus, quae speciale semper asylum pietatis Alumnorum fuerat, proprio aere eleganter ornavit. Remoto quippe antiquo substaculo, cui illa insistebat, quaeve non amplius illam prae se ferebat venustatem, quam vetustas ac nactae penes Statuam hanc gratiae merebantur, illam receptaculo ex asseribus duris affabre exsculpto, formamque gothicam repraesentanti illocavit, stipavitque ad partem utramque iconibus Principum Apostolorum, Apostoli item charitatis, olim super pectus Domini recumbentis. Inscriptio ex I. Petri I. 8. desumpta „Credentes exultabitis“ ad fidem inconcussam Petri sequendam, zelumque Pauli imitandum, prout alia ex I. Joann. IV. 7. excepta „Diligamus nos invicem“ ad fraternam concordiam, omnis vitae socialis regulam fundamentalem; ac tandem superinscriptio: „Spes nostra salve“ ad filialem in Beatam Virginem locandam fiduciam provocat transeuntes.

Statua BMV. in gradibus denuo exornatur.

Alia incitamenta ad pietatem, urbanitatisque regulas condiscendas.

Ornavit insuper idem vir cordatus parietes Collegii stationibus viae Crucis, aliisque tabellis, principia vitae clericalis continentibus, quas scriptor harum pagellarum in usus Seminarii Strigoniensis concinnavit, Collegiove dono obtulit; vir autem ille pius listis deauratis inclusit [1]. Ac tandem ut penes culturam internam Alumnos ad compositum etiam in modo agendi ac loquendi habitum externum amplius edoceret, libellum pro iis conscripsit, regulas Urbanitatis complectentem [2], ex quo nexum perspicerent, qui inter virtutem et urbanitatem intercedit, formasque sibi proprias redderent, quibus in bene culto hominum honoratiorum consortio carere nequeunt Sacerdotes, quin aditum sibi ad genus hocce hominum, persaepe religioso ac morali respectu neglectum praecludere velint. Fecit autem hoc vir pius providentissime. Experientia enim constat: homines praeconceptis contra Ecclesiam, Sacerdotium, Religionem, Cultum divinum etc. opinionibus infascinatos, fere unico hoc modo sacerdoti accessibiles esse, omnesque, cujuscunque gradus culturae homines, saepe ob mollitiem peccaminosi habitus nimium quantum sensibiles, verba veritatis pronius ac efficacius suscipere, si genio culturae suae convenienti forma sibi illa ingerantur a custode ordinis moralis Sacerdote, regularum urbanitatis apprime gnaro, quam ab alio regularum harum ignaro. Caeterum opusculum salubre, quod non solum ac unicum auctoris in cultura etiam ascetica versati productum erat, ipsi Sanctissimo Patri Pio Papae IX. cujus Cubicularius ad honores auctor erat, oblatum, ab hoc cum complacentia susceptum, apostolicam benedictionem Auctori impertitam emeruit.

Archi-Praesul iterato ex occasionibus solennibus Viennae praesens Collegium visitat.

Annus 1857 in fastis Ecclesiae ac Patriae hungaricae aliunde etiam memorabilis, Collegio quoque suos at-

[1] Legi possunt in appendice.
[2] Culta, Deo et hominibus placens conversatio. Viennae 1857.

tulit honores, cum illud tum Cardinalis Archi-Praesul, tum alii Antistites Hungariae crebrius visitaverint. Archi-Praesul quidem tum occasione illa, dum 30[a] mensis Martii cum aliis duobus Ecclesiae Romanae Cardinalibus, Friderico quippe e Principibus Schwarzenberg Archi-Episcopo Pragensi, Josepho item Othmaro Equite ab Rauscher Archi-Episcopo Viennensi, nummisma memoriale ex occasione initae inter Sacram Sedem Romanam et Imperatorem Austriae Concordiae, digna tanto eventu forma procusum, cum imo gratitudinis sensu nomine Ecclesiae in ditionibus Austriacis collectae, Imperatori pio Francisco Josepho obtulit; item dum zelosissimus Hungariae Primas Archi-Episcopus ex Cellis Marianis rediit, quorsum in profesto natae Virginis occasione Jubilaei quingenarii e Regno Mariano in apice 27.000 fidelium ductu solenni peregrinationem sacram praesuscipiebat, stupentibus ob zelum Summi Pastoris aetate grandaevi cunctis, admirantibusque pietatem ac devotionem gentis Hungarae in Matrem Virginem ardentissimam, ordinem item in tanta gentis copia exactissimum, favorem coeli, donumque splendidum, liberalitate Principe digna Ecclesiae Cellensi ab Archi-Praesule oblatum. Copiosi autem ipsius Collegii quoque Alumni partem in devotione hac ceperunt, qui, prout alii multi, e loco gratiarum per Viennam revertentes, in vacuis ob ferias Collegii conclavibus hospitium quaesivere, et invenere.

Statuta Visitationis Canonicae A-Dioecesis Strigoniensis Collegium Pazmanianum respicientia.

Festo S. Thomae Apostoli anni 1858 submisit Cardinalis Æpiscopus Statuta Visitationis Canonicae Archi-Dioecesis Strigoniensis, Collegium Pazmanianum concernentia hujus tenoris:

Statutum XIV. Seminarium imaginibus provideatur. Cum domus tyrocinii ecclesiastici sensu stricto sit religiosa, omnibus iis subsidiis abundet est necesse, quae ad sensum Religionis in tyronibus excitandum, fovendum augendumque opportuna et accomoda esse Patrum no-

strorum exemplo docemur. Quae inter imprimis imagines Mysteriorum Redemptionis nostrae, Sanctissimae Dei Genitricis V. Mariae, nec non aliorum Sanctorum omni jure referuntur, qualium actu adhuc aliqua, in aedibus educatoriis Tyrnaviensibus, Seminarii Rubrorum quoque, quod erat primum generale, non tam videre possumus, quam veneramur. Quia vestigia Patrum sequi laudabile, et ad virtutes sacerdotales, quae in Sanctis refulgent, cordibus juventutis ecclesiasticae implantandas omnia media adhibere officium est, disponimus: ut gradus et ambitus Crucifixo, imagine vel statua Beatissimae Matris, et SS. Apostolorum Petri et Pauli ad magnificentiam aedis proportionatis quo prius exornentur, et subseque multiplicentur. Ipsi autem ambitus Musaeis et dormitoriis vicini 14. Stationibus Passionis dominicae, seu via Crucis, provideantur. Demum quodlibet Musaeum non numerice, verum a Sancto aliquo ad juventutem Clericalem accomodo compelletur, et talismodi Sancti Icon in Musaeo loco principali vel pone portam Musaei appensa habeatur. Dabit Dominus, ut corda ad sanctitatem vocatorum erudiantur, et exemplo Sanctorum ad recipiendam pietatem, quotidiano quasi rore alantur et reficiantur.

Statutum XV. De edendis sua forma pro Collegio Pázmániano Institutionibus et Legibus. Ex animo cupimus, ut pro munere nobis divinitus collato, tantum in animos juvenum pro ministerio altaris tyrocinium decurrentium exeramus influxum, prout recensione obligationum diurnarum, ita et vel maxime ad virtutes Secerdotales omnimoda institutione: ut hi praecellentiam vocationis suae in tota extensione apprehendant, abnegationem suimetipsius necessariam esse recognoscant, et in perfectione clericali constanter progredi discant et anhelent; eapropter si vitae et necis Dominus Nobis Sanctissimo Nomini suo ultro servire concesserit, pro futuro anno scholastico concinnandas, et pro forma sua dimittendas Leges et Institutio-

nes Nos educatorio huic Instituto daturos esse declaramus.

Statutum XX. Expensae viaticae Alumnorum Hungaricorum Romae in Collegio Hungarico-Germanico. Piae memoriae olim Praedecessorem Nostrum Cardinalem Pázmánum, praeter reliqua magnae munificentiae suae monumenta, die 2ª Junii 1627 mille sexcentos aureos apud Rectorem Collegii Germanico-Hungarici eum in finem deposuisse, ut ex annuo Capitalis hujus censu Alumni Dioecesis Strigoniensis, ex urbe in patriam suam reversuri, viatico providerentur, sub decursu hujus visitationis cum solatio et grati animi sensu cognovimus, et in hujus rei firmitatem Fundatoris literas adjungimus. — Quia vero hoc Capitale tardius fundo Collegii Pázmániani Viennensis incorporatum est, ut visitatio Seminariorum per Ladislaum Bányay Vicarium Capitularem 1766° peracta refert; aequitas deposcit, ut deinceps expensas pro itinere Roma redituris Alumnis A-Dioecesanis idem Collegium Pázmánianum a proportione fructus a Capitali provenientis ferat.

Statutum XXXVI. Nomina Benefactorum principalium in consignatione Capitalium exponantur. Gratitudine erga Benefactores Seminariorum, et aliorum Institutorum id poscente, ut nomina ipsorum pie recolantur, et immortalitate donentur, hisce praecipimus, ut in annuis ejusmodi Institutorum Rationibus, penes quodlibet Capitale diserte praenotetur: cujus sit fundationis? et in quem finem facta fuerit fundatio. Serviet id ad excitandam etiam posteritatis piam liberalitatem; simulque mens etiam fundatorum facilius et certius adimplebitur.

Statutum XXXVII. De veste superiore Clericorum. Uniformitas ornat Clericum in iis, quae hominibus patent, inter quae imprimis post vestem talarem, pallium ad aëris intemperiem arcendam, super veste talari, usuari svetum referri debet. Profecto multum oculos offendit ea

inconcinna, jam longior jam nimis brevis, jam laxa jam corpori adstricta forma, varietas insuper coloris ex arbitrio, et ad saeculi genium conformato delectu, in hac superiori veste ab uno alterove decennio inducta. Quo difformitas isthaec successive tollatur, eo intendant superiores, ut Alumni coloris profundi, formae longioris, et laxioris vestem superiorem, pallium dictum sibi parari curent, et a deferendo ad normam laicorum adaptato hoc superiore vestitu abstineant. Redeundum est ad Patrum instituta et morem, et dabit Dominus, ut et virtutes eorum adamemus et aemulemur.

Statutum XXXVIII. De colore Sacri Ornatus. Ut rubricis Missalis satisfiat, simul Alumni ipso etiam vestimentorum Sacrorum colore ad mysteria divina, quae in Ecclesia celebrantur, attenti reddantur, statuimus, ut omnium in Ecclesia usitatorum colorum vestes sacrae adsint. — Dispositio haec observabitur in omnium Seminariorum Capellis.

Mutantur Praefecti Studiorum.

Sub idem tempus Praefectus Studiorum Josephus Dankó ob insignem in studio biblico peritiam, jam prius studii hujus penes c. r. Universitatem Vindobonensem Professor supplens constitutus, in Professorem publicum ordinarium nominari meruit in locum Josephi Scheiner, ad M. Capitulum Viennense promoti, qui pro ampla sua eruditione, affectuque in Pazmanitas optimo, hos longa annorum serie non solum ad scrutandas profundius Scripturas Sacras svaviter excitabat, verum etiam ad subeunda tentamina rigorosa inflammabat. Munus autem Studiorum Praefecti Mense Januario 1858 adeptus est Joannes Toldy, antea Collegii Apollinaris Romae Alumnus, qui tamen mox ad gerendum munus Professoris e Theologia Dogmatica ad Seminarium Strigoniense dispositus, locum cessit mense Novembri Joanni Mally Cooperatori antea in Nagy-Maros.

Rector et Praefectus Collegii ad Concilium Provinciale Strigonium evocantur.

Mensis Augusti dies 21ª ob natum Coronae Princi-

pem, Urbi, et fidelissimo semper Augustissimae Familiae Caesareae Collegio Pazmaniano quoque solennis, festivis ignibus resplendescere fecit fenestras Collegii. Eodem anno, mense mox sequente Rector Collegii, qua Deputatus Eccl. Metr. Strigoniensis, Praefectus autem studiorum qua Theologus, Concilio Provinciali, per vigilantissimum Archi-Praesulem post longum tempus denuo in vitam revecto, in ipsius etiam Collegii decus Strigonii interfuere; cujus Concilii decreta Archi-Praesul solus Romae exhibiturus, die 2ª Novembris iter ad Metropolim orbis catholici suscepit, inde 2ª Decembris reversus, qua occasione hospitium in Collegio Pazmaniano ceperat.

Rector Henricus Szajbély Pestinum transfertur. Ejus fundatio pro Collegio.

Vacabat autem tempore hoc munus Rectoris; nam Rector Henricus Szajbély mox a discessu Archi-Praesulis per Imperatorem in Directorem Facultatis Theologicae, una Rectorem Seminarii Centralis Pestinensis nominatus, ad capessendum novum hoc officium eo concessit, munere suo ad interim vi dispositionis Archi-Praesulis in manus Vice-Rectoris resignato. Antequam tamen Rector Henricus Szajbély Collegium linqueret, ubi qua Alumnus, variis item in officiis per annos triginta versabatur, splendidum reliquit munificentiae documentum; mille enim florenorum summam in Chartis obligatorialibus Status sub titulo „Fundationis Szajbélyanae“ in fiscum Collegii eo scopo deposuerat, ut viginti floreni e censibus summae hujus capitalis singulis annis uni alumno cederent, misero, praecipue itinerariis sumptibus destituto; reliqui autem triginta floreni erga obligationem offerendorum trium pro fundatore S. Missae Sacrificiorum, Superioribus Collegii Rectorem sequentibus in stipendium relinquerentur.

Lazarus Kántz E. M. Strig. Canonicus in Rectorem nominatur.

A discessu viri hujus, qui munus suum in emolumentum Collegii sub fronte seria corde nobili diu gerebat, die 15ª Januarii 1859 in Rectorem nominatus fuerat Lazarus Kántz E. M. Strigoniensis Canonicus, qui die

4ta Februarii munus suum auspicatus, primis mox diebus palam fecit, se in ordinandam rem domesticam, prout hoc necessarium videbatur, peculiarem curam conversurum fore. Successive igitur partim attritam Collegii suppellectilem per cuncta domus loca restaurari, aut nova commutari; partim hortum, domumque in eo sitam repurgari fecit. Certe nitor in Cubilibus Alumnorum, studiis diurnis, quietique nocturnae, ac refectioni destinatis, scrinia nova commoditati, instrumenta musicae, aliaque modestae distractioni Alumnorum inservitura in Musaea ac domum horti inducta, elegans fluidi gaz lux in Collegio, caldarium, diaetaque in horto; vestitus uniformis servorum decorus, augmentum salariorum, habitaculi Rectoris amplificatio, appensae Praesulum Hungariae in Triclinio imagines, quibus pia in eos reverentia in animis Alumnorum foveretur, plura item utilia circa Collegium molimina, ejus providam solertiam exhibent.

Studiis his in ornamentum Collegii impensis delectati plures Praesules Hungariae, largis saepe donis conatus Rectoris succollabant, ex quibus benignissimus Collegii Protector Cardinalis, Episcopus item Jaurinensis Joannes Simor, olim Collegii Alumnus, Studiisque praefectus primas tenebant partes. Horum enim munificentissimorum, Collegii per vices hospitum, donis Sacellum cumprimis domesticum suppellectili sacra, harmonio etc. ornatum fuit. Archi-Praesul insuper Cardinalis Joannes Scitovszky, ut suum in Collegium testaretur paternum affectum, imaginem suam perito artificis penicillo Pestini depictam Collegio donavit, quae actu aecum Rectoris ornat [1]).

---

[1]) Character singularis, qui Alumnos Collegii Pazmaniani ab olim destinxerat, erat gratus in suos Superiores Moderatoresque animus. Hos veluti patres venerari, eorum memoriam verbis factisque recolere cum jucunditate solebant; nec ardentius quid animo exoptabant, quam eorum imagines ubi ubi poterant conquirere, easque secum in patriam reportatas jugiter venerari, earum aspectu ad imitationem illorum inflammati. Hinc frequentissimum est imagines dilectorum sibi benefactorum Magistrorum, Superiorum in habitaculis dispersorum per remotissimas etiam

Ne tamen quis putet materialem solum curam Alumnis impensam fuisse, addere juvat profectus etiam spiritualis ac scientifici justum habitum fuisse respectum. Cultus enim B. Mariae Virginis per mensem Majum ab antiquo asservari solitus, singularem tempore hoc nanciscebatur impulsum; matutino quidem tempore in Sacello domestico, vespertino autem in Ecclesia Patrum Jesuitarum, ubi Alumni antiphonas Litaniasque in honorem Virginis Immaculatae amoenissima vocis modulatione ad publicam aedificationem concinebant. Revectus fuit pariter salutaris mos, in aliis etiam institutis ecclesiasticis vigens, Alumnis pro tempore feriarum domum discedentibus, certa themata assignare, domi elaboranda; quae cum reditu ad studia, si id meruerant, praemiis honorata fuerunt. — Incumbebant autem Alumni studiis tam diligenter, ut e communi doctissimorum suorum Magistrorum judicio omnem promeriti fuerint distinctionem.

Eodem Canonico Lazaro Kántz, qui intermedio tempore titulo abbatis BMV. de Kertz in terra Fogaras ornatus fuerat, Regimen Collegii tenente, Alumnatus, qui a tempore restituti Collegii diebus Dominicis ac festivis Sacro solenni in Ecclesia Patrum Dominicanorum intervenerat, in Ecclesiam Patrum Jesuitarum transiit. Causa transitus praeter alia cumprimis illa fuit, quod filii s. Dominici ad avitam Ordinis sui regulam reformati, functiones sacras juxta proprium suum ritum peragentes, occasionem Alumnis publice in assistentiis semet exercendi ademerint. Quibus cum Patres Jesuitae propriam horam, qua suum divinum cultum peragerent, lubenter cesserint, Alumnatus debitum obtinuit campum, tum Sacris in loco

vicorum oras Collegii olim Alumnorum velut in ara piae memoriae collocatas cernere. — Simili grati animi sensu testabantur Alumni gaudium suum occasione illa quoque, dum Dr. Michael ab Visanik, Collegii per annos triginta septem Medicus, meritis in Collegium, inque depressos morbis corporis, sed vel maxime turbatae mentis homines, ordinibus item sibi collatis decorus, diebus his titulo Consiliarii medicinalis fuit insignitus.

distincto, ac a fidelibus utriusque sexus secluso interveniendi, tum suis propriis Superioribus assistendi, tum tandem semet in canticis sacris exercendi, quod exacta vocum mudulatione tali cum effectu praestare solent, ut non rarum sit videre in referta concione fidelium complures lacrimis devotionis diffluere.

Jubilaeum Cardinalis Archi-Episcopi Joannis Scitovszky in Collegio recolitur.

Annus scholasticus 1859/60, raram prout toti Regno Ecclesiaeve hungaricae, ita Collegio quoque Pazmaniano attulit solennitatem. Eminentissimus enim Cardinalis, Regni Hungariae Primas ac Archi-Episcopus Strigoniensis Joannes Scitovszky Jubilaeum Sacerdotii sui Strigonii in concursu amplissimo Magnatum ac Hierarcharum festivo ritu celebravit, die 6[a] Novembris; personam Imperatoris Archi-Duce Austriae Alberto, vices autem Manuductoris Cardinale et Archi-Episcopo Viennensi Josepho Othmaro a Rauscher sustinente. Intererat huic festivitati e parte Collegii Rector cum Vice-Rectore. Alumnatus autem Collegii gaudii sui sensa voce ligata Archi-Praesuli exhibens, in Sacello Collegii reddidit Domino ob tantum favorem laudes, oratorem agente Directore Spirituali Josepho Pantocsek, qui etiam Sermonem suum sub titulo: „Echo Solennitatis“ typis descriptum, elegantique thecae inclusum Archi-Praesuli jubilaeo offerebat; redonatus literis Archi-Praesulis, numismate item argenteo in monumentum actae festivitatis procuso.

Unus Collegii Alumnus cum aliis Deputatis Universitatis in conspectum Caesaris admittitur.

Alius etiam honor anno eodem Collegio accessit occasione illa, dum ad compescendam Sardorum audaciam in aciem eductus miles austriacus, contra gentem hanc jura sacra conculcantem, subsidioque Gallorum fortem, minus felici Marte pugnasset, pacemque optimus Imperator sensibili sacrificio concludere coactus fuisset. Ut jam animum Imperatoris ob tam gravem aleae belli jacturam fidelitatis suae signis levarent subditi, undique circa eum concurrebant, oblatisque libellis, inconcussam suam fidelitatem testaturi concertabant. In numero horum Juventus

etiam academica Almae Universitatis Vindobonensis Imperatori similem libellum fidelitatis offerebat, deputatis pro actu hoc e gremio suo juxta Facultates singulas quibusdam Musarum Alumnis, qui illum in conspectum Caesaris deferrent. Felici sorte e Collegio Pazmaniano his adlectus fuit Alumnus Josephus Pumperi, Dioecesis Scepusiensis, Studens Theologiae in annum quartum. Eadem occasio Cardinalem etiam Archi-Episcopum ac Primatem ceu hospitem in Collegium allexit, qui Viennam venerat, ut oblatis ad tegendas belli expensas in aere parato 20.000 florenis, homagium fidelitatis suae Imperatori testaretur.

Summae Capitales sorte extrahuntur.

Annus 1860 fortunas Collegio attulerat mox mense secundo. Summae enim Capitales Collegii penes statum elocatae, quarum census per iniqua temporum adjuncta ad paucos crucigeros reductus fuit, sorte extractae, a die 1ª Februarii quatuor, partim quinque a centum florenorum censum fundere coeperunt. Aerarium attamen Status publici, quod adusque annuis sex mille florenis in alimentationem Alumnorum fundatorum hoc titulo concurrebat, a die fata subsidium Collegio datum cessare fecit, quo facto fiscus Collegii non multum lucri retulit.

Vice-Rector et Director Spiritualis Collegium linquunt.

Ultima die Mensis Julii 1860 reliquit Collegium ac officium suum praevio Archi-Praesulis indultu expetito Josephus Feger Vice-Rector, amplioraque vitae perfectioris charismata secuturus, in Monasterium Lambacense Austriae superioris recessit, habitum Ordinis S. Benedicti ad avitam regulam reformati induens. — Ad finem autem anni scholastici 1860/1 Director Spiritualis Josephus Pantocsek, posteaquam annis septemdecim munus suum gessisset, mense Aprili in Canonicum Ecclesiae Collegiatae Posoniensis renunciatus, Collegio valedixit. Priori ab Archi-Praesule successor datus est Carolus Rimely, Hist. et Juris ecclesiastici in Seminario Strigoniensi Professor,

posteriori autem Josephus Lollok, in Gymnasio Tyrnaviensi Professor.

Rector et Dir. Spiritualis in Synodo Dioecesana Strigonii. Archi-Praesul in Urbe et Collegio ob novam Imperii Constitutionem frequens.

Prius tamen, quam laudatus Collegii Director Spiritualis domum reliquisset, diebus ultimis mensis Septembris 1860 una cum Rectore Lazaro Kántz interfuit Synodo Dioecesanae, quam zelosissimus Archi-Praesul primus post saeculum Strigonii celebravit. Saepius autem a tempore hoc urbs imperialis hospitem salutavit magnum hunc Patriae Antistitem. Vulgato enim clementia Imperatoris Diplomate die 20 Octobris anni 1860[1], forma Regiminis ad novam Constitutionem adornata, in cunctis vasti Imperii oris inducebatur. Hoc voluntatis regiae decreto avita etiam Regni Hungariae Constitutio restituta fuit. Consilia igitur virorum, dignitate, influxu, sapientia, amore Patriae ac fidelitate in Regem distinctorum expetebantur, quo videlicet modo novus rerum status cum antiquo legaliter necti, disparesque regiminis, prius ultra decennium vigentis decisiones, quae ignorari aut sufferi non amplius poterant, cum novis vitae politicae postulatis in concordiam justam poni possent. Inter Consiliarios hos Primatem Regni Hungariae vi Constitutionis hungaricae, veluti summum et secretarium Regiae Majestatis Cancellarium, intimumque Status Consiliarium primum merito juxta avitas leges haberi ac audiri, rei naturae conveniebat. Quaesitus igitur etiam cum crebrius fuisset ille, imo cum vi mandati regii, in signum clementissimae fiduciae in eum, ceu Purpuratum Patriae Summum Antistitem a Rege collatum, selecti Hungariae Proceres, virique fiducia digni in aedibus primatialibus Strigonii de rebus gravissimis, urgentissimisque consilia conferre juberentur: personalis Purpurati Principis ac Archi-Praesulis praesentia Vindobonae saepius necessaria evasit. Quamvis vero sic curis politicis obrutus, breves commorationis suae in Metropoli Imperii dies inter mille diversa negotia partiri coactus fuisset: zelus tamen ejus, quo ardua quae-

que, fatigiaque ad stuporem suffert, reperit semper quaepiam temporis momenta, quae Collegio Pazmaniano, illud visitando, sacravit.

Mensis Julius anni 1861 eripuit Collegio Rectorem Lazarum Kántz, qui exacto in munere Rectoris fere triennio, ab officio suo relevari iterato ac impensis precibus orabat, votique tandem compos factus, ad Capitulum suum rediit. Officium Rectoris ab Archi-Praesule concreditum fuit Adolpho Majthényi, E. Metr. Strigoniensis Canonico, qui illud primis diebus Augusti auspicatus est. Ad initium anni scholastici 1861/2, qui sub hoc Rectore coeptus est, alter e Dioecesi Nittriensi Alumnus Collegio accessit. Hyeme autem ingruente magna difformitas in vestitu superiore Alumnorum apparuit. Plurimi enim ex iis vestitu in patria sua usitato induti, pro politicis temporum illorum adjunctis attentionem magnam in Metropoli Imperii excitarunt. — Cui difformitati mederi volens Rector, auctor exstitit, ut Alumni per suos respectivos Episcopos veste simili ad uniformitatem composito cum decore induerentur. Sarta porro tecta Collegii, annis superioribus ad nitorem renovari coepta annis singulis Rectoratus ejusdem continuabantur.

Lazaro Kántz ab officio suo solvi petenti succedit Adolphus Majthényi EMS. Canonicus.

Quantum vero ad studia litterarum adtinet, tanta aemulatione in illa Alumni ferebantur, ut e calculo suorum Magistrorum longe plurimi eminerent. Quo autem ampliores profectus in Theologia scholastica ac Thomistica quoque facere possent, peculiarem systematum horum philosophandi modum e praelectionibus scopo hoc peculiariter Viennam evocati Professoris ex Ordine S. Dominici Alexandri Reali condiscere impigro labore nitebantur. Addidit autem conatibus eorum incitamentum honor, quem uni Magistrorum suorum amato Philippo Mariae Guidi, Ordinis Praedicatorum Sanctissimus Pater Pius IX^us^ purpurato Ecclesiae Romanae Galero, alteri autem Joanni Schwetz Imperator, cum in parochum suum

Studiis philosophiae scholasticae incumbunt Alumni.

aulicum assumendo, tituloque Abbatis BMV. de Batta ornando — nec non tertio Dominico Mayer, eum in Episcopum Castrensem delegendo, contulit, quibus grati animi sui sensa Alumni modo convenienti testati sunt, maximo gaudio perfusi tunc, dum Cardinalis Philippus Guidi Roma suam imaginem in signum benignae suae affectionis, comitantibus literis gratiosissimis Collegio submisit.

Fundatio Josephi Král Episcopi pro Alumnis Q. Ecclesiensibus.

Incitamentum porro ad subeunda tentamina rigorosa acceperunt Alumni Dioecesis Quinque Ecclesiensis in Collegio Pazmaniano e fundatione Josephi Král, dum viveret El. Episcopi Scopiensis, Canonici, et Cantoris Ecclesiae Cathedralis Quinque Ecclesiensis, qui bonam, moralem ac religiosam juventutis, praesertim ecclesiasticae educationem prae oculis tenens, mille florenos aust. val. eo piissimo scopo numeravit, ut obvenientem annuum censum e duobus Alumnis, qui pro Dioecesi Quinque-Ecclesiensi in Collegio Pazmaniano Viennae educantur, accipiat ille, qui intra cursum theologicum e studiis theologicis Examen rigorosum cum approbatione subiverit. Si autem ambo eodem anno subirent, tunc censum annuum aequaliter inter se partiri disposuit; si autem neuter subiret, tunc obvenientem censum annuum Summae Capitali pro augmento adnecti voluit [1]). Studium caeterum Alumnorum, et aemulatio tentamina rigorosa e disciplinis theologicis subeundi optime inde elucet, quod ab anno 1816 quo Pazmanitis facultas data est, durante cursu theologico unum examen rigorosum tentandi, usque ad annum praesentem 180 tales, diligentia distincti Alumni, in tabulario Collegii connotati inveniantur.

Stipendium Oláhianum Alumnis Collegii Pazm. conferetur.

Stipendium tandem, quod pro duobus Theologis

[1]) Litt. Episcopi Q.-Ecclesiensis ad Rector. Collegii de 28a Augusti 1863 Nr. $\frac{1731}{863}$ in Arch. Coll.

hungaris penes Universitatem Vindobonensem studentibus sub nomine Nicolai Oláh, condam Archi-Episcopi Strigoniensis existebat, juxta conventionem inter eandem Universitatem ac Metropolitanum Capitulum Strigoniense anno 1862 initam, Collegio Pazmaniano cessit. Capitulo enim laudato duos Collegii Pazmaniani Alumnos pro dicto Stipendio anno 1863 Universitati praesentante, Consilium locumtenentiale Austriae inferioris, Stipendium Alumnis praesentatis erga collationem Senatus academici Universitatis Vindobonensis exsolvi disposuit [1]).

Biennio autem prius Cooperator Patakensis in Archi-Dioecesi Strigoniensi Ignatius Kárász, ultima voluntatis dispositione, affectuque in Collegium benevolo, licet ipse alumnus Collegii non fuerit, ejus tamen utilitatem in Ecclesiam bene perspiciens, summulam 21 fl. val. aust. eidem legavit.

Imago Pontificis Pii IX in aecu Rectoris appenditur.

Incitamentis his, quibus Alumni ad fovendam solertiam commonebantur, novus, isque aptissimus stimulus addebatur, dum agente Rectore imago Patris Orbis Christiani, Pontificis Maximi Pii IX[i] eleganti penicillo depicta in aeco majori habitaculi Rectoris anno 1864[o] appendebatur eo scopo, ut ex frequentiori intuitione athletae hujus praeconisque veritatis aeternae, futuri pugiles Domini inflammarentur potentius ad pugnam, quae ipsos inter nutantes mundi de vero et justo obtutus manet, intrepido animo sustinendam, dum cernerent eum, qui tutus promissis divinis, fallacibus principis tenebrarum technis non decipitur, volubilisque vulgi sive encomiis, sive minis longe superior, e petra Ecclesiae undique vehementi furore quassata, omnes ob ea, quae a perturbato nimis rerum ordine, conculcatisque juribus sacris enascitura videntur fata, pavore correptos, doctrina ac virtute divina intrepidus confirmat fratres suos.

---

[1]) 31. Jul. 1863 Nr. 29521. In Arch. Colleg.

Summa sustentationis Alumnorum non fundatorum levatur.

Vix autem ac signifer salutis Pontifex decora imagine sua Collegium ornavit: clementia Caesarea erga recursum benigni Protectoris Collegii, Cardinalis Primatis summam sustentationis singuli Alumnorum non fundatorum ad quadringentos annuos florenos pro triennio levavit [1]).

A Solenniis Sassiniensibus Card. Æpiscopus Viennam ascendit.

Fisco Collegii clementia hac regia adaucto, sarta tecta vetustorum aedificiorum tempore feriarum autumnalium amplius restaurabantur. Durantibus his feriis Collegium hospites salutabat plures, e triseculari jubilaea solennitate loci gratiarum Sassiniensis (Sasvár) in Hungaria superiore reduces. Favore enim Coelitum, votis zelosissimi summi Hungariae Antistitis, Cardinalis et Archi-Episcopi Joannis Scitovszky mirifice secundante, diebus illis completi sunt anni tercenti, a quo locus ille, cultui Deiparae Matris miraculoso eventu consecrari, asiduaque pietate ac fiducia Christi fidelium coli coepit. Purpuratus Antistes, qui raro Coeli munere in conspectu plurium millium Regni Mariani civium, a se longo itinere, decoroque nimis ordine in Styriam eductorum prius jam obtulerat pii cordis sui dona Virgini Coelesti, quive vegeta donatus a Deo senecta, jubilaeas exemplaris sacerdotii sui in Basilica Regni, propria venerabili dextera consecrata, obtulit super aram hostias, geminaque Philosophiae quippe ac S. S. Theologiae jubilaea fuit redimitus laurea, nunc in loco hoc quoque principali gratiarum Patriae nostrae, triseculare Jubilaeum Virginis, cujus immaculatae gloriae testis ipse Romae fuerat, ritu solenni celebrare decrevit. Favitque votis piis Deus. Concurrentibus enim ad raram hanc solennitatem Nuncio Sedis Apostolicae Viennensi una Archi-Episcopo Athenarum Mariano Falcinelli-Antoniacci, plurimis item aliis viris conspicuis, centumque fere millibus fidelium, Archi-Praesul pius, oblata a se pio corde corona

[1]) Decreto die 23a Februarii 1864 edito.

pretiosa, Reginam hanc Angelorum, olim in terris dolentem cum filio, inter commoti animi sensa, ritu solenni redimiebat. Testes solennitatis hujus e parte Collegii Pazmaniani cum Directore Spirituali complures etiam ejusdem Alumni erant, qui eo confluendi copiam nacti sunt. Finitis autem Sassinii solennitatibus, Cardinalis Archi-Episcopus comite Nuncio Apostolico Viennam ascendit.

Rectori Adolpho Majthényi succedit Emericus Mészáros.

Anno dein scholastico 1864/5 vix inchoato, Rector Adolphus Majthényi mox primis diebus aegrotare coepit, seque a gerendo munere Rectoris solvi orabat; cujus precibus annuit Cardinalis Archi-Episcopus, et ille die 26ª Octobris 1864 ad Capitulum Metropolitanum Strigoniense rediit, locumque cessit Emerico Mészáros, Canonico ejusdem Metropolitani Capituli — pridie in Collegium advenienti, sub cujus curis Collegium actu existit, Alumnosque complectitur anno hoc quinquaginta septem, quos Dominus potenti virtute sua ab Alto in utiles fortesque Ecclesiae hungaricae ministros succrescere benigne concedat!

Vehementi enim impetu commoventur tempora, diesque cernimus, de quibus valent verba Prophetae: „Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est“ [1]) aevum nostrum non tam sanctitatis habitum quam ipsum auctorem vitae Christum exuere nititur. Vili plebis genio aptant doctrinam suam Magistri populorum, religione in Deum carentes, bonumque dicunt malum, et malum bonum, ut placeant mundo, et ditentur thesauris ejus. Servi dominantur nostri, et nos jugum eorum portamus [2]). Cadunt plurima in dies ordinis moralis substacula; portae inferi buccina canunt jam jam victoriam per agmina sua; impietas audaciae sociam jungit dexteram; impunis protervia impetit Sancta Sanctorum; ictu oculi ruunt saluberrima antiquitatis monumenta, fallacique sophismate privantur

[1]) Mtch. VII.
[2]) Oratio Jerem.

juribus et charactere suo avito instituta. Unus solum adhuc ordo superest effrenis peccatorum servis in scandalum, illuminatis falsa libertate doctrinae hominibus in obicem, omni studio subruendum, et hic Ordo Clerus est [1]), cum Capite suo divinitus constituto, cujus sedes petra est inexpugnabilis. Messis ergo hodie quoque ampla est; aciesque Domini ut viris instaurentur in atra hac noctis caligine fortissimis, qui valentes sint prout sol, dum oritur in robore suo, ad nubes errorum dispellendas, siquando, hodie necesse est. Vita enim et mors duello conflictantur mirando.

Cardinalis Primas Collegium visitat.

Haec ipsa cuncta animo contuens grandaevus Summus Hungariae Antistes Cardinalis Primas et Archi-Episcopus, dum qua Magni Pazmanni Successor pro more suo pio, ante paucas hebdomadas Viennae agens, Collegium jurisdictioni suae subjectum visitasset, Alumnos sibi filiali in devotione circumfusos commoto pectore excitabat ad incumbendum solertissime pietatis, virtutisque operibus, tractandasque diligentissime scientias Sanctorum, ut harum omnium uberrimum olim facere possint in Ecclesia usum, sibi et fidelibus proficuum, neque adversarius dicere valeat, quod Spiritus oris nostri Christus Dominus captus sit in peccatis nostris [2]).

Statua B. M. Virginis in gradibus Sopronium referenda disponitur.

Post paucos dies ab eventu hoc, qui gaudia e praesentia purpurati Antistitis Collegio attulerat maxima, idem Cardinalis Archi-Episcopus dimissis ad Rectorem Collegii Ordinibus disposuit, ut erga preces ab Episcopo Jaurinensi sibi propositas, Statua B. M. V. in gradibus Collegii sita, huic ubi eam auferre disposuerit, tradatur. — Vigilantissimus hic gregis sui Antistes pro suo, quo in decorem domus Dei, levandumque ac firmandum spiritum religiosum fidelium suorum fertur zelo ac fervore, post plurima in Dioecesi saluberrime acta auctor exstitit, quod Aedes quoque sacra in Civitate Soproniensi sub Patrocinio

---

1) Görres Kirche und Staat. 1842. p. 62.
2) Jerem. Lament. C. IV. 20. v.

S. Michaelis Archangeli existens, unaque e vetustissimis Patriae Ecclesiis, restaurata fuerit. Cum autem haec eadem Ecclesia esset, unde Statua B. M. Virginis laudata, ante plura saecula ab haereticis ejecta fuit, Collegioque subin donata: ut maximum reconstructis illis aedibus sacris adderet Pastor pius decorem, solatiumque populis, statuam illam, quae in Collegii Pazmaniani gradibus centum nonaginta et octo annis assidua pietate colebatur, sibi reddi petiit, solenni fidelis populi conductu in restauratam Ecclesiam, unde furore haereticorum ejecta erat, denuo post paucos menses inferendam, et publicae fidelium venerationi exponendam.

Statuam hanc servorum Mariae auferri non absque dolore, eoque maximo videret Collegium, ni Praesul pius consimilem substituendam promisisset, nique major, quia publicus Virgini honos, ampliusque devotioni communi accedere praevideretur incrementum. Statua illa cum vita, fatisque Collegii intimo jungitur nexu. Donata corde pio, colebatur in domo saeculorum jam jam decursu ardentissimo affectu, locusque gratiarum exquisitus fuerat illa Collegio. Horrida pestis contagio incolis Collegii, ut relatum est, Statuae huic pia cum fiducia circumfusis, non nocuit; illaesam servavit ea fabricam Collegii sub diversis, et saepe vehementissimis hostium obsidionibus; lenivit dolores sauciatorum e theatro belli ad Collegium delatorum militum; solabatur in vita, et in hora mortis fideles suos filios. Neque fallemur opinione, pro certo habentes, Collegium per vices sublatum, Virginis hujus favore denuo restitutum fuisse. Licet enim devota singulariter Virgini plebs Pazmanni, aedem, faciemque Matris piae linquere fuerit coacta, sola tamen, rebus secus cunctis ablatis, in domo relicta, illam tuebatur semper. Alumni Croatae, qui Pazmanitis vice prima successerant, cultum Virgini dependebant; peculiariter autem Statuam in honore servabant surdo-muti, qui novemdecim annorum decursu domum in-

colebant. Verum Virgo Regni sibi devoti filios repetebat, revixitque iterum Collegium, revixit et pietas Alumnorum Pazmanni erga Virginem Deiparam, quam infallibili decreto mediante immaculatam credit, colitque Ecclesia; stabitque cum domo Pazmanni fiducia et pietas in illam, a cujus facie nemo unquam volens elongatur.

Nuncius Apostolicus Collegium invisit.

Finitis resurrectionis Domini solenniis, quibus Alumni Collegii in Ecclesia Universitatis curae Patrum Societatis Jesu credita ad publicam aedificationem intererant, féria secunda paschatis raram eidem Collegio attulit fortunam praesentia Nuncii ad c. r. Aulam Viennensem Apostolici, una Archi-Episcopi Athenarum Mariani Falcinelli-Antoniacci, pro benigno suo, quo Collegium Pazmanianum prosequitur affectu, illud invisentis. Solatio maximo perfundebantur Alumni cum Superioribus suis, dum aedem sacram selectae juventutis hungarae subingredi viderunt Hierarcham magnum, Repraesentantemque Pontificis illius Maximi Pii IX[i], qui inter multifarias Ecclesiae tribulationes stupendum in se exhibet invictae fortitudinis, patientiae, ac sapientiae prodigium; confortabanturque spiritu, dum idem Antistes magnus, gratia oris sui, benignitatisque singulari svavitate excellens, in loco Collegii sacro, dovotissimis semper erga sedem Apostolicam Regni Mariani filiis benedictionem impertitus est, seque cuncta domus instituta, studiave Alumnorum cum solatio probare enunciavit. Recedentem a limine Collegii post longiorem moram virum Apostolicum, grata reverensque sequetur recordatio gentis Pazmannae, cui gaudii honorisque fomentum addidit eventu hoc laeto uberrimum, quem cum sensu gratitudinis tradimus foliolis his nostris ultimis posteritati.

APPENDIX.

Leges, quas ipse Pazmannus Collegio suo Viennensi praescripsit, prout illas etiam, quae per Em. Cardinalem et Archi-Episcopum Strigoniensem Joannem Scitovszky in cuncta Archi-Dioecesis suae Seminaria, adeoque in Collegium etiam Pazmanianum inductae sunt, hisce adjicimus.

Adnectendas insuper putavimus pagellas, principia vitae clericalis complectentes, prout illae parietibus ambitus Collegii appensae leguntur, quaeve in viginti quinque solum exemplaribus olim procusae amplius praesto non sunt.

Canticum insuper Pazmanni in laudes B. M. Virginis confectum, svavitate plenum, cum illud in Sacris Votivis a Pazmanno fundatis, non secus ac in Collegio ejus Viennae usu praescriptum sit, gratum fore lectu opinamur.

Tandem Catalogi Superiorum Collegii, virorum item, qui ad dignitates varias a liminibus Collegii hujus eluctati sunt, honorem Collegio ipsi, emulationemque salutarem Alumnis ejusdem adferre valent. Quamvis autem laborioso studio conquisierimus cuncta documenta, quae saltim inveniri poterant, ut completum Virorum horum Catalogum exhibeamus, non diffitemur tamen, nos facile plures praeteriisse, quorum subsequa vita nos latet.

Anni ubique adjecti ingressum horum Virorum in Collegium notant.

Penitius in opere simili versari conveniebat circa Catalogum ultimum opellae huic adjectum, ubi cunctos Collegii Alumnos, qui ab eo tempore, quo illud Generale Cleri

junioris Hungariae Seminarium evasit, hoc est ab anno 1813° attulimus, missis solum iis, qui Sacerdotes facti non sunt. Quod ut sic faceremus, plures nos causae moverunt.

Plurimi sane eorum, qui in hoc Catalogo nominantur, adhuc vivunt, diversisque modis Ecclesiae inserviunt; quive certe una nobiscum gaudio reficiuntur, quotiescumque gratissima commilitonum suorum, quorum consortio tempore tyrocinii sacri utebantur, recordatio animos eorum subit, quibusque non potest non esse exoptatissimum, jucundissimumque de vita subsequa fratrum suorum, sibi nunc quoque charitate junctorum in opere hoc legere, quod favoribus eorum peculiariter devovemus.

Facere attamen opus hoc utile non minus ac amoenum adjutorio solum potuimus virorum suis titulis meritissimorum, qui tabulariis dioecesanis praesunt, quive perhumaniter a nobis requisiti, prompto affectu notitias has biographicas suppeditaverunt. Hiatum locorum, unde responsum non tulimus, e respectivo Schemate dioecesano supplevimus. Dum autem pro praestitis his benevolentiae obsequiis, debitas reddimus grates, eas singulariter Viro Reverendissimo, Abbati, I. Tabulae Reg. Judiciariae Praelato, et Canonico EM. Strigoniensis Stephano Lipovniczky offerimus, qui principaliter nobis hoc respectu succurrere dignatus est.

I. LEGES A FUNDATOTRE PETRO PÁZMÁNY PRO COLLEGIO SUO PRAESCRIPTAE.

LEGES OBSERVANDAE ALUMNIS, QUI IN ARCHIEPISCOPALI COLLEGIO VIENNAE, SUB CURA PATRUM SOCIETATIS JESU DEGUNT.

Etsi assidua consideratio finis, ob quem assumuntur, qui in hoc Archiepiscopali Collegio degunt, vehemens salutis amor compatriotarum, quos aut labe haeretica infectos, aut Catholicorum Pastorum auxilio destitutos, aut Turcica Tyrannide oppressos, diabolus trahit in perditionem, nec non virtutis indoles, morum probitati conjuncta, satis per se ponderis habitura videantur, ut ab omnibus, hujus Collegii Alumnis solidae pietati, ac bonis Litteris impigre, assidue, ac ordinate opera detur, quia tamen ea est humanae conditionis fragilitas, ut facile (Si careat certis notis, quae sint instar ducis viae) per avia ac devia aberret, et nisi cito ad rectam, a qua deflexit, viam reducatur, in praecipitia prolabatur; ideo has recti itineris regulas ex Superiorum voluntate praescribere visum est.

I. Praeter Leges Scholasticas omnibus nostris Studiosis communes, parati erunt, tam ea, quae Scripto, quam quae consvetudine recepta sunt, aut quae a Superioribus injunguntur observare.

II. Octavo quoque die Sacerdoti ad hoc munus destinato et non alteri, absque Regentis facultate, praemissa debita praeparatione confitebuntur, et Sacram Eucharistiam, nisi aliter Confessario visum fuerit, reverenter sument, poterit tamen tum confessio tum Eucharistiae Sumptio ob festa et alias justas causas aut diutius aliquamdiu differi, vel etiam praeveniri; Generalem vero Confessionem primo quoque tempore postquam recepti fuerint, ubi et quando visum fuerit eidem Confessario facient.

III. Singuli cum primum admittuntur, cantum Ecclesiasticum addiscant, eumque devote et reverenter, quamdiu in Collegio manent, ubi et quando erit occasio, et Superioribus videbitur, exercebunt.

IV. Exercebuntur judicio Regentis statutis diebus in modo docendi populum, et concionandi, sive id fiat inter prandendum, coenandumve, sive alio quovis tempore, et qui majoribus initiati fuerint ordinibus in caeremoniis Ecclesiae, ut his deinceps armis ad spiritualem proximorum salutem serio uti possint, exercitabuntur.

V. Officium B. Virginis omnes (qui ad Ecclesiasticum et Sacerdotale non obligantur) quotidie, modo illud bene dicendi perspecto, recitabunt, et ejusdem Rosarium praeter pium aliquem Libellum devotionis causa habebunt, iisque confessarii directione utentur.

VI. Quotidie quatuor horae quadrantes, orationi et conscientiae examinandae diligenter et fructuose impendent, mane postquam loti, decenterque vestiti fuerint; vesperi pariter antequam ad lectum se conferant, alios duos.

VII. Singulis diebus statim atque excitabuntur a somno (facto Crucis signo, et similiter vesperi, quando lectum petent pie ac voce submissa memoriter dicent orationes, vel praescriptas a Superioribus, vel saltem approbatas) surgent.

VIII. Omnes Sacrum devote audient, et ei inservire discent, et ubi didicerint, libenter et modeste Sacerdotibus tremendo illi Misterio operantibus, assistent.

IX. Diebus Dominicis et festis divinis officiis in Templo Societatis a Superioribus assignato omnes simul intersint.

X. Tempore orationis, studii, mensae, mane ante, et vesperi post orationem silentium accurate servabunt, ideoque tunc nemo aliorum loca, sine Regentis, aut Praefecti facultate, adibunt, post vespertinam vero orationem ne scriptioni quidem aut studiis (nisi ob aliquam necessitatem, facultate impetrata) ullus incumbet.

XI. Eundo ad Templum, ad Scholas, aut quocumque alio tam intra, quam extra civitatem, domumque redeundo omnes praescriptum ordinem, modestiae et status sui memores, Silentium ád portam Collegii diligenter servabunt.

XII. Nullus sine Praefecti facultate Musaeo exibit, domo vero sine expressa Regentis, quam ab eo non concessum iri sibi persvadeant absque gravi necessitate; dicent autem quo ituri, et quid acturi sint foris, et cum iis sociis ab eodem Regente assignatis, praefixo tempore redibunt, nec ad alia loca accedent.

XIII. Absque expressa Regentis facultate nemo extra Collegium dormiat, nec prandium coenamve sumat.

XIV. Studiorum tempore per Collegium ne vagentur, neque loca domesticorum, ministrorum, aut officinas adeant, aut ab iis, aliisque quibuscumque aliquid accipiant, nisi ex voluntate Regentis.

XV. Quilibet res suas in uno libro, qui apud Regentem servabitur, sua manu scriptas habeat, nec illas vendat, permutet, aut dono det, nec scribat, nec notam ullam imprimat.

XVI. Nemo per se vel per alium urgebit, ut ad ordines promoveatur, vel contra, multo minus dum in Collegio degunt sibi aut alteri beneficia apud quoscumque externos inscio Regente procurabit; poterit tamen modeste et cum omni animi resignatione quisque ei proponere, quod illi occurrit.

XVII. Diebus remissionis a studiis post prandium et singulis diebus a coena, germanica aut vulgari lingva loqui poterunt, coeteris vero temporibus tantum latine.

XVIII. Nullus tempore quotidianae recreationis post cibum sine singulari facultate ludet, diebus vero remissionis a studiis, non nisi interposita mora juxta Praefecti permissionem, ne valetudo laedatur.

XIX. Ob eundem finem extra consveta tempora nemo bibet aut cibum sumet absque Praefecti licentia. Siquis autem offensam valetudinem sentiret, Praefectum quamprimum admoneat.

XX. Dictis supra remissionis temporibus, sive domi sive foris a clamoribus, et ab omni levitate, ut Clericos et statui ecclesiastico destinatos decet abstinebunt, modeste se recreantes, vel omnes simul, vel in partes ex Regentis praescripto distributi, nec unus solus aut duo tantum, sed plures una se recreabunt, et hoc intra locum constitutum.

XXI. A lusu, qui aliquid indecentiae redolere videri posset, ut gravitas et decentia servetur, prorsus abstinebunt, proinde nullum lusum, quem superiores non approbent, neque intra neque extra domum exercebunt.

XXII. Quamprimum surrexerint lectos decenter sternent, moto semper sacco stramineo, ne aër inclusus sordes procreet, diebus vero remissionis a studiis eosdem invertent, purgabunt, et accuratius component, et alias quoties visum erit Superioribus, dissolutis etiam lecticis accuratissime expurgabunt.

XXIII. Singuli suo ordine statutis temporibus, musaeum, cubiculum, et alia per domum loca a Praefecto praescripta purgabunt, suaque component.

XXIV. Ad mensam cum admoniti fuerint, legent, et emendati a Correctore mensae, vel ipso Regente, modeste et humiliter repetent; arcas vel quaecumque in Collegio clausa habebunt Regenti quotiescumque ei visum fuerit, aperire ne graventur.

XXV. Ab externis omnino sese abstrahent, negotia tractanda nulla suscipient, litteras vero non dabunt nec accipient, quae honestati

et integritati morum adversari videbuntur. Et siquando vel scriberent illi cum Superiorum licentia, vel ab aliis acciperent, parati esse debebunt iisdem legere, interpretari, vel legendas dare prout Regens indicabit.

XXVI. Ad musaeum, cubiculum, aulam domus superiorem, uno verbo in domum ipsam neminem inducent, absque expressa Praefecti licentia, si quando per janitorem, monito prius Praefecto, ad portam evocati fuerint, ibi brevissime et perpaucis sese expediant.

XXVII. Eundo, redeundoque e scholis, e recreatione foris, et undecumque ne sibi adjungant externos, quibus cum silentium, modestiam regulis solutis imperare nequeamus, eorum occasione odor boni exempli dispereat. Si quando autem aliqui tales se adjungere maxime die remissionis a studiis vellent, moneant modeste, sibi id regulis prohiberi, et si pergant esse molesti, omni modestia eos ad superiorem dirigant, licentiam petituros.

XXVIII. Superiores et Praefectos suos observent, eosque modeste alloquantur, ac respondeant, inter se vero non sint litigiosi, aut acerbi, sed pacis et animorum conjunctionis studiosi.

XXIX. Si quando circa cibum, potum, et alia necessaria aliquid sibi deesse putarint, ne id officialibus, sed Regenti ipsi; aut si ad eum adeundi copia difficilior esset, Praefecto cum omni modestia significent.

XXX. Si quis in re aliqua deliquerit, paratus esse debebit pro Superioris arbitrio eam subire poenam, quae illi pro retinenda disciplina, et communi bono fuerit injuncta.

XXXI. Vestituum tam superiorum, quam inferiorum, calceorum item, ac pileorum diligentem curam habeant; ea munde servando, purgando etc. Et quando sint reficienda, aut in nova mutanda, ne suo, sed Superiorum stent judicio. Cavebunt autem, tum in hoc, tum in aliis omnibus ab omni murmurationis specie sive concedatur, quod petent, sive negetur; quando quidem, quamdiu in hoc Collegio degunt Superiorum judicio se regi sinere debent.

XXXII. Pecuniam vel arma nemo apud se habeat, sed ei, quem Regens constituerit, tradet, nec libros ullos, nisi quos idem Regens probaverit, in iis vero, qui ex Collegio, utenti, sive privatim, sive in Communi dabuntur, nec scribat, nec notam ullam imprimat.

PRECES ORDINARIAE AB OMNIBUS ALUMNIS DICENDAE.

Qualibet hebdomada quilibet alumnorum, qui sacerdos non est, dicet pro Emtissmo Domino Fundatore Petro Pazmany Archi-Eppo

Strigoniensi et ejusdem Dioecesis mortuis in perpetuum, unam coronam. Qui autem sacerdotes sunt ad eandem intentionem Missam defunctorum dicent.

Praeterea quilibet sacerdos, post primas tres missas ab Episcopo tempore consecrationis injunctas, tres Missas per eodem Emtissmo Fundatore vita functo, et ejus Dioecesi dicent. Primam de Spiritu Sancto, secundam de Passione Domini, tertiam de B. M. Virgine.

Pro benefactoribus autem Collegii, tam vivis, quam vita functis, quilibet intra Collegium degens alumnus, qualibet hebdomada, qui sacerdos non erit dicet unam coronam, sacerdos autem unam Missam; et praeterea eosdem in suis aliis orationibus et pietatis exercitiis Domino commendabunt.

Quae autem in particulari pro iisdem, Eminentissimo Fundatore, et Benefactoribus imponentur, orationes, accurate exequentur.

CASUS INDISPENSABILES EXCLUSIONIS E COLLEGIO PAZMANIANO.

I. Perniciosa corruptela morum.

II. Notoria, scandalosa, et iterata contumacia.

III. Emansiones nocturnae.

IV. Ebrietates scandalosae.

V. Graviores percussiones, et pugnae tumultuosae.

VI. Furta majora et frequentia.

VII. Authores concitationum, seu sediciosarum conspirationum contra Superiores, communem disciplinam.

VIII. Infamatores notorii, occultorumque armorum gestatores et detentores.

II. LEGES A CARDINALE ARCHI-EPISCOPO JOANNE SCITOVSZKY PRAESCRIPTAE.

IN SYNODO DIOECESANA STRIGONIENSI 1860.

Princeps Joannes Baptista Scitovszky de Nagy-Kér, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Archi-Episcopus etc. etc. etc.

Dilectis in Christo Filiis Collegii Pázmániani alumnis Salutem, et paternam Benedictionem!

Christus Dominus per missionem Patris Coelestis Summus Sacerdos effectus, voluit per se de mundo in munus sacerdotale delectos omnibus aliis, qui in mundo manserant, virtute praecellere, perfectione eminere.

„Vos estis lux mundi", — dicebat illis, eos, sicut lucerna super candelabrum posita, lucere oportere asserebat; et S. Paulus Sacerdotem irreprehensibilem, et testimonium bonum habentem ab iis quoque, qui foris sunt, requirebat. — „Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate", praecipiebat Tito.

Cum talis tantaeque perfectionis ex eloquiis coelestibus esse oporteret eos, qui Tabernaculo Domini deserviunt, nihil mirum, quod SS. Patres edixerint: „Vita Clericorum est Liber Laicorum". (Conc. Turon.) quod Synodus Tridentina enuntiaverit: „Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus saeculi — loquitur porro — in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur" [1]). — Siquidem autem alia ex parte eadem Synodus clare perspexerat, quod adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, nunquam perfecte et sine singulari Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: ideo statuit, „ut in unum — id est: Seminarium — collecti tales adolescentes, quorum indoles et voluntas spem offert, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, in disciplinis ecclesiasticis instituantur, et ad omnem pietatatem formentur" [2]).

In obsequium hujus constitutionis Synodalis domum hanc sacram, Seminarium dictam, ingredimini, Filii dilectissimi! Ingredimini autem (quod alta mente repostum habetote) ut finis per Ecclesiam, in Spiritu Sancto collectam, in Seminariorum erectione praestitutus obtineatur, qui est: ut vos decursu tyrocinii ecclesiastici ad sanctitatem vitae sacerdotalis formemini et sacratioribus disciplinis, ad instituendum populum sanctum Dei necessariis, imbuamini. Jam cum finem hunc duabus isthinc partibus constantem, sine Regulis assequi sit impossibile, pro munere mihi divinitus tributo vobis in virtute sanctae et salutaris obedientiae Regulas sive Leges exemplo piae memoriae Praedecessorum meorum praescribendas esse pro necessario reputavi, quarum quidem Regularum tenor et sequens.

I. Quiqui in Seminario hoc stadium tyrocinii ecclesiastici decurrunt, constanter prae oculis habeant, intimeque super eo convincantur, quod in statum clericalem recepti et domum hanc ingressi, mundana re-

---

[1]) Sess. 22. cap. I de Reform.
[2]) Sess. 23. cap. 18. de Reform.

liquerint et Scholam Christi intraverint. — Pulverem ergo de pedibus in vestibulo religiosae hujus aedis oportet cum Discipulis Domini excutere, ne per hos mentes et corda contingat maculari et sordescere. — Ut vero idea haec: „mundum reliqui et Scholam Christi ingressus sum" praecordia penetret, viscera pervadat, necessarium est frequentius rectam intentionem, quo quisque ad Seminarium venisse, praesumitur, cogitatione isthac renovare: Vocantem Deum secutus sum, ut me Ejusdem servitio, reliquendo mundum, totum consecrem, ut salutem meam in tuto collocem, et aptum promovendae Divinae Gloriae Instrumentum evadam; ad sanctitatem quippe vitae sacerdotalis formatus, et sacratioribus disciplinis imbutus, ad procurandam aliorum salutem me idoneum reddam. „Vide ergo, Domine, ante Te omne desiderium meum, et gemitus meus a Te non est absconditus, — ne derelinquas nec discesseris a me" [1]).

II. Etsi omnium plane christianarum virtutum exercitium sit Ecclesiastico necessarium propterea, quod is Spiritum Christi praedicare, et in alios effundere non possit, nisi prius ipse eodem repleatur: — quaedam tamen sunt velut caeterarum fundamentum, in quibus Clerici semet irremisse exercitare, iisque animum imbuere obligantur. — Quas inter principalis est Pietas, Oratio, quae Clericis debet esse panis quotidianus, vicibus plurimis per diem in refectionem spiritualem sumptus. Si omnem in strepitu mundi quoque positum oportet semper orare, pietati vacare, et nunquam deficere: quanto solicitius huic obsequio divino vacare debet Clericus, qui ipso etiam vestitu saeculi abjecto fugit mundum, et Scholam Christi ingressus est! — „Orationi instate", praecipit s. Paulus — et revera instandum, quia teste S. Augustino: „ille tandum novit recte vivere, qui novit recte orare". — Quapropter Alumni incunctanter connitantur, ut omnem actum religionis cum vera mentis ad Deum elevatione, cum peculiari animum inflammante fervore, devotione perficiant, publica aeque ac privata pietatis exercitia, illa corporis membrorumque compositione peragant, ut animus revera coelestia meditari et Deo intimius conjunctus esse conspiciatur — In cujus Regulae generalis sequelam.

III. Dato mane pro surrectione signo, cruce formata inter pia suspiria diei primitias, seque ipsos Deo offerant, intra induendum preces jaculatorias dictas ad singulum vestimenti frustum absolvendo, directe sacellum petant, aut in meditatione vel privata precatione ad pulpitum stando vel flectendo, nullo modo autem colloquendo, vel aliquid profani faciendo, preces matutinas praestolabuntur, quas semper

[1]) Psalmo 37.

in sacello, uno praeorante, flexis genibus in spiritu humilitatis persolvent, memores, omne bonum a Patre luminum descendere — nos plantare et rigare posse, posse scientiis et virtuti studere, sed incrementum dare solius Dei esse. — Suspirandum ergo mane: Emitte Domine gratiam de sede magnitudinis tuae, quae mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram Te! — Orationi subnectetur meditatio. — Alumni nempe lecta ex libro pia mente ruminabunt, et ad dicta et facta sua applicabunt, utque ex ruminatis debitus percipiatur fructus, quivis propositum particulare pro illa die faciet, illud menti bene imprimet, et in diarium proprium una, alterave periodo inscribet. Quilibet Alumnus autem manus ante pectus componendo, per decursum Missae Sacrificii fide viva sibi passionem Domini, cujus in Missa fit renovatio, mente intueri connitatur. Deum vivum ac verum ibidem sub speciebus panis et vini realiter praesentem adorando, et pro dono imprimis pietatis humili corde Jesum Christum, de cujus munere venit, ut Ei a fidelibus suis digne serviatur, supplicando. Quocirca ad alendam in cordibus pietatem quilibet libro precatorio, necessitatibus suis spiritualibus accomodo et Rosario inomisse provisus sit. — Trinam salutationem angelicam, dato ad prandium, et coenam pulsu, in Musaeis clara voce, uno praeorante, absolvent — benedictionem autem mensae ac gratiarum actionem (praescripto in fine Breviarii modo) aeque in communi peragent. — Parem pietatis ardorem in se excitare, et oculis, vultu, totaque corporis ad devotionem compositione exhibere adnitantur, dum seu in basilica Metropolitana, seu alio loco sacro Missae sacrificio — cultui divino — interfuerint, ubique consvetos Ecclesiae ritus standi et flectendi observaturi, et pro svavi jugo Domini reputaturi, si non solum frequentius, sed et diutius divinis officiis immanentes, fideles inter servos connumerari meruerint. Orantes autem cavebunt omnia affectatae pietatis indicia, memoria retinentes, quod homo videat in facie, Deus autem in corde, qui in simulatores „Vae vobis hypocritae“ repetendo, damnationem pronunciavit. — Siquidem autem etiam justus septies cadit in die, aberrationes proinde nostrae quotidie multiplices sunt: sub precibus vespertinis facient examen conscientiae, culpas totius diei corde contrito recognoscendo et vel maxime latebras animae in eo pervestigando: num de mane conceptum et in diarium illatum propositum fuerit in omni rigore observatum? — nunquam illud ab oculis dimissuri: Quae sunt in corde hominum, oculi tui vident Domine et in libro tuo scribentur. — Porro cum nihil sit ad mentem, animumque cum mitissimo Jesu conjungendum efficacius, quam frequentior visitatio et adoratio Ejusdem Sanctissimi Salvatoris in Eucharistiae Sacramento: eapropter Venerabile Sacramentum in

monstratorio, quavis feria 5a (nisi festo vel publica quadam devotione impediretur) sub Sacro exponetur, data cum initio et ad finem Sacri benedictione. Sed et durante Missa poterunt Cantica accomoda, omni tamen cum modestia decantari, observato a „Sanctus" usque ad Communionem silentio. — Insuper ad renovandam per vices cum svavissimo Jesu unionem, opportune dictim liberis horis (cui id spiritus bonus dictaverit) Eundem in Sacramento reconditum invisent, visitabunt, et pro donis quotidianis adorando exorabunt, certo certius ineffabili exinde in cordibus perfundendi solatio, dicente S. Bernardo: „Est super mel et omnia — Jesu dulcis praesentia! — Cum vero dicente Thoma a Kempis: „Si ad vulnera Jesu devote confugis, magnum in tribulatione senties lenimen" — quavis feria 6a et per S. Quandragesimam quotidie cum exordio precum vespertinarum persolvant 5 „Pater et Ave" cum inclinatione capitis profunda in communi: „Adoramus Te Christe et benedicimus Tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum!" — Die Sabbati autem et festis B. M. V. aeque cum exordio precum vespertinarum absolvent Rosarium cum convenientibus mysteriis, ut haec vera Mater Dei, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo, pro Ecclesia Catholica in tribulatione posita, intercedat ad Dominum Jesum Christum! Prouti mane labia ad laudandum Deum ante omnia aperienda sunt, ita cavebunt omnimode, ne quis finitis vespertinis praecibus aliquem alloquatur. Summam cum ipsis praecibus incipit silentium, nullo sub praetextu violandum — tempus itaque exuitionis et decubitionis privatis de memoria recitandis precibus, imprimis jaculatoriis, impendent, memores in conspectu Angelorum ita nobis versandum esse, ut eis placeamus, magnamque esse dignitatem animarum nostrarum, dum unaquaeque habet ab ortu nativitatis in sui custodiam Angelum delegatum — sic S. Hieronymus — illis verbis semet ad stratum, compositis ad pectus manibus, deposituri: Jesus, Maria, Joseph! in manus vestras commendo spiritum meum, et requiescam in pace! — Post orationem vespertinam, nonnisi cum expressa facultate Rectoris, licebit causa studiorum in musaeo remanere, nullo autem sub praetextu absque Reverenda extra dormitorium, hoc ipsum verecundia et modestia clericali exigente, adparere integrum erit.

V. Ad hunc sensum pietatis conservandum, imo cum auxilio Dei augendum — ad ariditatem et teporem in devotione semet pro constanti subinsinuantem, minuendum, et eliminandum — ad Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae, velut fontes gratiarum divinarum, per quae omnis vera justitia, omnis pietas vel incipit vel coepta augetur, vel amissa reparatur, omni altera incirca hebdomada accedent. Confitebuntur autem ordinarie Spirituali domus, licebit tamen ex peculiari

fiduciae impulsu etiam cuicunque alteri Presbytero in domo residenti, aut hoc scopo per Superiorem evocato, conscientiae latebras adaperire. — Sacram autem Communionem ordinarie sument in Metropolitana Basilica e manu Pontificantis [1])— ad mensam Domini absque bireto et libro, manibus ante pectus compositis et oculis demissis processuri. — Sit vero dies haec dies magna et amara valde! — qua ad exemplum Davidis poenitentis quivis recognoscat, quia malum et amarum est reliquisse Dominum — impium separari a Creatore et immoderate jungi creaturis. — „Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, ideo tota die contristatus incedebam", suspirabat David. — Sit dies haec una dies angelici convivii, qua mensae coelestis participes effecti, ita cum corpore et sangvine Domini conjuncti sumus, ut unum quid simus, tamquam corpus capiti coaptatum; igitur velut leones ignem pietatis spirantes ab illa mensa recedamus, facti peccato terribiles — dum nos eodem corripi viderimus, recogitantes, quod Illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, nobiscum univerimus (Sancte Joannes Chrisost.) „O res mirabilis! manducat Dominum pauper, servus et humilis".

V. Perquam efficax medium sensum pietatis excitandi et sublevandi est lectio sacra, quae eapropter quotidie $^1/_4$ horae ante prandium et coenam, item sub ipso prandio et coena instituetur. — Et quidem ante prandium e novo, ante coenam vero e veteri Testamento; — sub prandio e libro „Candidatus presbyterandus" vel e Rubricis Missalis et Ritualis; sub coena ad comparandas sanctorum notitias, sumendaque ex iis virtutum exempla, legetur martyrologium, et ex officio diei sequentis Lectiones II Nocturni; die tamen S. Communionem praecedente, sub prandio vel Memoriale vitae sacerdotalis, vel libri I, II, III; sub coena vero liber IV ex Thoma a Kempis de Imitatione Christi. Ut autem quilibet iis, quae leguntur intentus sit, per vices suspirandum est: Domine da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam". — Integrum vero erit praesenti Superiori essentiales lectorum ideas ex quocumque percontari.

VI. Siquidem Magister noster Christus, priusquam Sacerdotis munere fungeretur, solitudinem, desertum petiit, a mundi strepitu recessit, dies 40 super gravitate missionis suae divinae meditando; — non secus comites cujus perpetui, SS. Apostoli, ante acceptum Spiritum Sanctum seclusi 10 diebus erant perseverantes in oratione Dei; — quotquot viros magnos Ecclesia Christi exhibet, una refert, hos quotannis solitudinem ingressos fuisse, id est certa dierum periodo omnibus aliis etiam scientificis et officiosis ad partem positis, soli pietati, meditationi, peractae vitae moralis examini et corporis castigationi incubuisse.

---

[1]) Strigonii; Viennae in Sacello domestico.

Horum exemplo initio cujusvis anni scholastici Alumni triduana s. Exercitia peragent, imprimis super eo meditaturi: quanta sit vanitas mundi, quam deserunt — quanta contra sanctitas status, ad quem adspirant! — Proposita salutaria post singulam meditationem chartae apposituri Gubernio Dioecesano praesentanda. — Cum horum Exercitiorum conclusione neo induendi facient generalem de anteacta in saeculo vita confessionem, ut a praeteritis delictis plene purgati, novum hominem induant, novamque ac Deo placentem in statu clericali vitam ordiantur. — Pariformiter Hebdomadae sanctae primo triduo asservabuntur s. Exercitia, sub quibus recolent passionem et mortem Domini, pro nobis in cruce perpessam, ut inspiciamus et faciamus secundum exemplar, quod nobis in monte monstratum est, illimitatum erga Jesum Christum amorem in se excitando, ut cum S. Bernardo dicere possint: „Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum; si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus; aridus est omnis animae cibus, si non oleo isto infundatur, insipidus est, si non hoc sale conditur, Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus“ [1]). His punctis absolvuntur media, quibus pietas — devotio — studium orationis, velut prima fundamentalis virtus excitanda, fovenda et adaugenda est.

VII. Altera virtus, quam Clerici sectari et sibi familiarem reddere obligantur, est Humilitas, seu intima recognitio vilitatis propriae, — se esse vasa irae, — esse peccatores, — esse imperfectionibus plenos; et si quid seu propensionis ad bonum in voluntate, seu cognitionum et perspicatiae in intellectu reperitur, purum Dei donum esse. — Quid habes, quod non accepisti? et si accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?!“ — Si Magister noster Christus, Ideale omnis perfectionis, humiliavit semetipsum: quomodo se exhumiliare, exinanire, pro imperfecto reputare non debebit Clericus? Sibi ipsi vilescere debet, et ab aliis vilis haberi peroptet, qui in perfectione progredi cupit, quia solum humiles Dominus respicit, humilibus dat gratiam. — Publicani exemplum Clericis nunquam ab oculis est dimittendum, qui in templo, — in conspectu Dei — de longinquo stabat, nec oculos suos ad coelum levabat, — respicere sursum non audebat, — (audi adhuc) — pectus suum percutiebat, et sic poenas a seipso exigebat: — quid miraris, si Deus ipsi ignovit, quando ipse humiliatus defectus suos agnovit?! Sic S. Augustinus. Haec profecto divina virtus exigit, ut dum Alumno culpa, defectus vel plane excessus per Superiorem exponitur, de vilitate et imperfectionibus suis intime persvasus, monitionem, correptionem, ipsam etiam poenam prompto, lubenti et humiliato animo excipiat, pro

---

[1]) Sermone 36. de verbis Domini.

augmento perfectionis suae indubie cessuram, cum Davide dicendo: „Bonum mihi Domine, quia humiliasti me!" — Proinde pro perfectionis suae incurio et gravissimo delinquente habebitur Clericus ille, qui coram Superiore aberrationes suas pernegare, aut plane (quod Deus avertat) mendaciis semet justificare praesumserit. — Os, quod mentitur occidit animam! ac eapropter a limine Sanctuarii repelletur. — Cum himilitate intime nectitur, estque quasi rivus e fonte promanans

VIII. Obedientia. Qui memor est vilitatis et imperfectionum suarum, gaudet et laetatur, si non suam velut vitiosam, sed superioris sui voluntatem audire et sequi potest; unde cujus intima praecordia permeavit humilitas, is procul dubio et obediens erit. — Obedientia autem exigit ab Alumnis, ut non servili timore, sed ex illimitata reverentia Christi Domini, qui obediens fuit usque ad mortem, dicebatque: „Pater! non mea sed tua voluntas fiat", — omnem Superiorum ordinationem, dispositionem, mandatum, nutum ipsum pia quadam aviditate excipiant et sancto ardore, velut Dei jussa exequantur, — in superiore non hominis personam, sed ipsum Christum intuentes, — Ipsomet dicente: „Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit." — „Obedite Superioribus et Praepositis vestris, non ad oculum servientes, sed sicut Domino", inculcat S. Paulus. Verbo, quoad hanc virtutem S. Caroli Borromaei pro Seminario suo praescriptam regulam sine cunctatione observabunt: ut „erga Superiores ea sint animi affectione, qua filii erga Patrem, a quo siquid voluntati eorum displicens imponitur, aut concupitum placensve negatur, pro certo teneant, id ad suam utilitatem referri, nihil dubitantes, Superiores ad id multis induci causis, quae ipsos plerumque latent". Obedientiam proinde velut gemmam virtutum sacerdotalium Clerici ex animo colant, jejunio, eleemosyna, oratione, corporis castigatione, et quocumque bono opere majoris faciant. „Melior est enim obedientia, quam victima", dicit Scriptura.

IX. Si quis animo humilis, id est coram se vilis est, habetque ad obediendum promptissimam voluntatem, Christum in persona Superioris intuendo: is illimitato Venerationis sensu de Superiore et quovis se digniore cogitat et loquitur, — nunquam sinistrum, derogatorium verbum contra Superiorem vel digniorem proferendo, dumve per alium profertur, tristitiam in animo sentiendo, et moderate dictum irreverens reprobando, vel adminus tacite suspirando: „Pone Domine custodiam ori meo, ut non delinquam in lingva mea!" — Idem reverentiae sensus exigit, ut Alumni in conspectu Superioris constituti, deposito et utraque manu ante pectus servato capucio preces suas proponant, et jussa excipiant, nunquam e memoria dimissuri, se ante eos consistere, qui vice Dei funguntur, et judici Deo super eo: quales sacerdotes educa-

verint, — strictam rationem reddendam habebunt. Judicium durissimum his, qui praesunt, fiet, dicit Ecclesiastes. Ideo non raro pro dono reverentiae oculis in coelum levatis suspirent: „Domine Pater et Deus vitae meae, extollentiam oculorum ne dederis mihi, — et animo irreverenti et infrunito ne tradas me!“ Hoc reverentiae sensu impulsi dum Seminarium sub initium anni ingrediuntur, Superiores domus singuli adibunt; finitis autem sacris Exercitiis quaevis Classis concernentibus Professoribus cordialem cultum suum exhibebit, et pariformiter agent, dum ingruentibus feriis e Seminarii aede egredientur.

X. Charitas fraterna vinculum est perfectionis, et character ac nota distinctiva discipulorum Christi. „In hoc cognoscent vos omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.“ Hoc Salvatoris praeceptum Clerici imprimis adimplere studeant ad invicem; semet propter Deum et sacrae vocationis uniformitatem diligant, non lingua et verbo, sed opere et veritate, quippe ex dilectione, bonas coalumnorum qualitates consectando; contra observatas in confratre ad malum propensiones, vel colloquia immoderata, vel teporem in pietate, vel arrogantiae, inobedientiae aut irreverentiae affectum moderari, et componere satagant. — Alter alterius onera portate, id est patienti animo collegarum debilitates, dum emendare non potestis, sustinete, et sic adimplebitis legem Christi, dicit S. Paulus. — Taliter per mutuam dilectionem Clericis verum Collegium discipulorum Domini efformantibus, in gravissimam culpam imputabuntur: litigia, contentiones, dissensiones, nationis aut conditionis irrisiones, joci amari, vel probra, aut plane contumeliae; prout etiam ad charitatis fraternae violatores referuntur illi, qui alterius res attrectare ausi fuerint. — Mutua haec dilectio velut in amore Dei radicata sit semper cum sensu reciproci aestimii copulata; quippe ita semet mutuo fratrum instar diligant, ut simul reciproce unus alterum propter vocationem ad ministerium sacrum respectet, et honore condigno praeveniat. — Unde consequitur illicitas esse amicitias privatas, nimiasque familiaritates, nec tolerari posse ordinarie per „Tu“ mutuam compellationem, quae proinde universim quidem quoad se reciproce, sed vel maxime quoad laicos severissime inhibetur. Non enim potest a Clerico ejus vocatio sejungi, quae, velut divinae institutionis, semper et ubique reverentiam exigit. Si vocationi nostrae reverentiam competere nos ipsi per exteriores quoque aestimii mutuas contestationes non recognoverimus et foverimus: numquid non nos ipsi causa erimus tam frequenter nunc negati per laicos ministris altaris respectus? Charitas et honor mutuus exigit una benignam dictorum, et factorum confratris explicationem, ac in casum offensae promptissimam condonationem et reconciliationem. Non occumbat sol super iracundiam nostram!

Persvade tibi, Clerice, illam noctem insomnem, inquietam pro te futuram, qua irreconciliatus fratri stratum petiisti! — Unde si quempiam injuriam pati ab aliquo contigerit, res ad Superiorem quidem pro medela deferri poterit, ast non vindictae, non satisfactionis obtinendae intuitu, sed correctionis fraternae studio, — proponendaque erit querela sincere, neque exaggerate. — Si vero offendens ab offenso confratre veniam petiit, charitas fraterna exigit a proponenda Superiori querela abstinendum esse. — Verbo ita sectentur charitatem, ut in Jesu Christo unum sint, ac quisque in animo sentiat et recognoscat, esse jucundum habitare fratres in unum.

XI. In cujus Alumni corde pietas, humilitas, obedientia, reverentia, charitas radices fixerant, is ad consectandam modestiam clericalem promptus, facilisque erit. — Haec est virtus stricte ecclesiastica, qua Sacerdos a laicis semet distinguere debet; est virtus, sine qua populo fideli bono exemplo praelucere non poterit, nec poterit aestimationem, fiduciam, amoremque suorum emereri. Obligationem modestiae clericalis contestandae Synodus Tridentina sic enunciat: „Decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos ita componere; ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque nihil, nisi grave moderatum ac religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, devitantes, ut eorum actiones cunctis adferant venerationem“ [1]). Unde modestia generatim exigit a Clericis, ut omnes suos sensus moderentur, usum eorum restringendo, coarctando faciant, — et in externis modum peculiarem decori consectentur. — Signanter caput cum gravitate, ubi opus fuerit, moveatur, et non cum levitate exagitetur. — Oculi utplurimum demissi teneantur, et si huc vel illuc respicere necessarium fuerit, quasi involuntarie attollantur. — Facies tota temperatam quamdam hilaritatem potius quam tristitiam praeseferat. — Capilli nec sint ad frontem dependentes, nec in altum levati aut ad aures contorti, nec humeros usque defluentes. — Barba buccalis ferociae militaris insigne, evertit modestiam. — Cantus fiat retracta voce, et quasi doloris affectu perspersus. — Locutio sit articulata quidem sed nunquam in vociferationem prorumpens, alio adhuc loquente, locutio inchoanda nunquam est. — Manus sub oratione et loco devotionis semper ante pectus compositae serventur, nec inter loquendum nimium moveantur, alter nec quidem joci causa citra necessitatem tangatur. — Incessus absque omni festinatione erecto corpore; — genuflexio autem genu dextro ad terram usque demisso et toto corpore tantillum inclinato fiat. — Biretum non una manu sed utraque ante pectus juncta

---

[1]) Sess. 22. c. I. de Reform.

servetur. — Vestes a pulveribus et luto sint mundae, neque contortae, et ad uniformitatem clericalem compositae. — Reverendae talos usque defluant; collare simplici et non exsuturis ornato supercollari vestiatur. — Horum omnium adaequata harmonia, quaedam consonantia et constans moderatio, est modestia clericalis; quam sibi omni conamine propriam reddere adnitantur Alumni, ut hac ornati Deo hominibusque amabiles esse valeant, et fidelibus bonum exemplum cum efficacia praebeant, numquam ex oculis dimissuri illud S. Pauli: „Modestia vestra nota sit omnibus hominibus“. (Phil. c. 4.) Filii dilectissimi! Si virtutes praemissis punctis delineatae altas in cordibus vestris radices fixerint; si amore virtutum harum pectora vestra incaluerint; — si hae actibus externis expressae fuerint: tunc et tunc solum finis educationis vestrae clericalis in hac sacra aede obtinebitur; tunc solum e tyronibus militiae ecclesiasticae in viros secundum cor Dei efformati pro muris Israel, — pro Ecclesia Christi, — pro coelo, cum S. Paulo bonam militiam militabitis, gloriam crucis Christi reportaturi. Agite ergo Dilectissimi! viriliter confortamini, et contra mundum, vos vanitatibus suis decipere percupientem, — contra diabolum, quem de vobis technis suis devoret, quaerendo circumeuntem, — contra carnem et sangvinem transitoriis delectationum somniis vos perturbantem, arma virtutum praescriptarum arripite. — Serviat vobis pro galea pietas, ferventissima oratio, — pro thorace, animi humilitas, pro gladio, perfecta obedientia, — pro scuto, fraterna charitas, — pro exercitio militari sensuum continua refrenatio — modestia clericalis! Si studio tali animati tyrocinium hoc ingressi estis, felices eritis; — felix et ego cui dictum est: „Manus nemini cito imposueris“; — felix populus, quem pascendum habebitis. — Si contra, virtutum harum habitum per educationem in Seminario vobis non procuraveritis, superflua sunt Seminaria, in vanum profunduntur millia! — Quam facile esset, perpendite Dilectissimi! sublato Seminario solisque Theologiae Doctoribus relictis publicare: quisquis eminentiae calculum e disciplinis theologicis retulerit, ordinabitur. — Deus meus! quanti essent, qui ad altare Domini hac via pertingerent! Ut quid ergo perditio haec? Numquid non possent ea, quae in Seminario consumuntur, venumdari multo et dari pauperibus? Scholae sunt Dilectissimi! ut scientiis imbuamini, Seminarium autem solum ideo est, ut a teneris annis (verba sunt PP. Tridentinorum) ad pietatem et disciplinam ecclesiasticam, id est: ad sanctitatem vitae sacerdotalis informemini!

Ex consideratione virtutum praedictarum in praxi per Alumnos Seminarii hujus sequentes regulae sanctissime observabuntur.

XII. Erga Rectorem Seminarii, cui cura est de omnibus, in quo-

cunque gravamine, aut necessariae rei defectu sinceram ex filiali quippe teneritudine provenientem fiduciam testentur, ei velut immediato Superiori omnem exhibebunt reverentiam et obedientiam; unde quidquid dispositione ejus circa praesentium legum observantiam, explanationem, aut etiam citra et ultra has leges dispositum mandatumque fuerit, sine cunctatione et resensu, prompte alacrique animo exequentur. — Pariter Vice-Rectorem, — Spiritualem et Studiorum Praefectum, omnesque Professores, quibus pariter vi muneris non mentes solum notitiis imbuere, sed reflexionibus suis occasione praelectionum dicta sua perungendo, corda quoque discipulorum percolere incumbit, debita prosequentur reverentia, et eorum jussis, monitionibusquae ac directioni fideliter, et ad amussim obtemperabunt; — hinc, qui erga Superiores repetitim irreverens et inobediens fuerit, — qui vel semel resistere in faciem, mendaciis defectus suos palliare praesumserit, velut schola obedientiae Christi indignus, saeculo reddetur.

XIII. Siquidem illi Alumni, quibus in Seminario officia conferuntur, subsidiariam Superioribus Domus praestant operam; ipsa autem Officia sint fatigiis et oneri responsionis obnoxia: sint etiam, si rite expleantur, respectu et remuneratione Superiorum digna. Ideo Alumni Officialibus, uti sunt: Ductores, Ceremoniarum et Cantus magistri, competentem respectum exhibebunt, sine resensu et murmure in iis, quae vi officii sui exigent, iisdem obsecuturi. Qui his ex officio procedentibus semet in opere functionis opponere ausus fuerit, culpabilis evadet. Habebit autem quodlibet Musaeum Protocollum, in quod musaei Ductor sub directione Studiorum Praefecti inscribet cujuslibet anni exordio: quisnam fuerit Archi-Episcopus, Vicarius, Rector, Professores, alii Superiores, item qui Ductores et Alumni ad musaeum pertinentes, — decursu autem anni, quasvis in Superioribus vel musaeo mutationes, — praenotabit Alumnos ad saeculum reversos vel dimissos, prout receptos, verbo: ducet historiam musaei, ut Alumni jam in tyrocinio tantillam habeant ideam, qualiter in Parochiis historiae Parochiarum et Protocolla ducenda sint. Erit autem Protocollum hoc continuo in mensa Ductoris, ut illud cuivis dum et quando legere volenti pateat.

XIV. Dum sive ad Ecclesiam sive ad deambulationem procedendum fuerit, non citius, quam ad gradus tractus superioris in corpus collecti fuerint, movebunt, semper uno e Ductoribus praecedente, altero sequente. — Procedent autem bini et bini, et quidem ad Ecclesiam superpelliceis et bireto provisi ibunt in summo silentio meditantes: quod domum Dei, domum orationis, domum gratiarum ingressuri sint. — „Oculi mei erunt aperti et aures meae erectae ad orationem ejus, qui

in loco isto oraverit" [1]), dixit Dominus, procedent cum summa modestia, demissis oculis, gressu moderato, animo devoto — per Ecclesiam autem gradientur justo paulatius ac foris, biretum compositis ante pectus manibus gestantes, et genu ad terram usque demisse versus aram Venerabilis Sacramenti genuflectentes; — sub totis divinis manus ante pectus compositas habebunt, nec unquam cubitis incumbent, oculos continuo in librum precatorium aut aram defixos servabunt. — Sub Evangelio depositis libris, omnes uniformiter facie et toto corpore versus aram conversi, et manibus — ut dictum est — compositis, decantati Evangelii verbis intendant. — In exitu ad deambulationem, parem observabunt modestiam, procedent bini et bini, justa inter procedentes relicta distantia, et solum cum socio admodum moderata sine risu et cachinnis admittitur collocutio. A corpore autem sive intra sub progressu, sive extra civitatem semet sub nullo excogitabili praetextu licebit separare. — In itu autem transeuntes pro ratione characteris majori minorive respectu et reverentia salutabunt.

XV. Extra tempus communi deambulationi destinatum nemo e Seminario exibit sine obtenta a Rectore domus facultate, hac vero raro et nonnisi e gravissima causa impetrata nunquam aliorsum, quam ad locum designatum divertant, sociisque sibi a Praefecto studiorum assignatis solum utentur, et pro hora constituta reditum suum eidem Superiori indicabunt. — Hinc, qui absque facultate obtenta e Seminario exierit, pro ejusdem desertore reputabitur.

XVI. Nullo tempore licet Alumnis per Seminarium divagari, ad tractus domus inferiores, refectorium, culinam vel quodcunque inferius conclave descendere, eo minus ad aulam egredi, — musaeo et ambitu ante musaea, ubi horis liberis licebit deambulare, contententur. Non secus dormitoria constanter clausa serventur, claves indispensabiliter finitis precibus matutinis ex ordine per Ductores collectae ad Studiorum Praefectum deferantur, et ante preces vespertinas tollantur. — Si quis e tractu musaei deorsum descendendi necessitatem habeat, Ductori causam deteget, qui annuere vel abnuere poterit postulato, sed ut similes casus rariores evadant, quavis die bis mane et meridie post praelectiones tempore indifferenti ad singulum musaeum credentionarii ingredientur, medio quorum quilibet necessitatibus suis ita provideat, ut nec horum quidem servitio alias indigeat; alioquin si quis suae perfectioni ex corde vacare vult, extraneas necessitates omnino devitat, et restringit.

XVII. Ut omnis evitetur spiritum clericalem dissipandi occasio,

---

[1]) Paralip. c. 7—o.

saeculares nec ad musaea, prout nec ad hortum unquam introducent, et omni solertia eorum ad se accessum declinabunt; si tamen casus inevitabilis id poposcerit, fiat id paucis in ambitu, aut — decoro sic poscente — in assignato cubili. — Districtim etiam prohibetur commissionum extranearum assumtio, quae cum exitu vel servorum mittitatione ad civitatem, et hoc ipso disciplinae domus remissione, Spiritus dissipatione conjuncta est.

XVIII. Natura educationis clericalis exigit, ut in perfectione continuo progredientes, ad omne opus bonum, proinde ad sinceritatem, animi candorem, ipsas plane aberrationes suas iis, quorum curae crediti sunt, ultro et prompte adaperiendas parati sint. Quocirca quilibet Alumnus prout mittendam ita et acceptam seu cursore publico seu alia occasione epistolam vel schedam Studiorum Praefecto exhibere tenetur, qui non tantum subscriptionem inspiciendi, sed literas etiam per extensum legendi habeat facultatem. Cautela adhibenda est, ne Alumni, absque necessitate epistolas exarando, et epistolari commercio tempus perdendo, spiritum etiam clericalem dissipent.

XIX. Tempore libero, indifferenti dicto, Alumni exhilarationem animi cum promanatura in sui perfectionem utilitate conjungere studeant — adeoque vacuis his horis 2—3—4 simul collecti in linguis, quarum in Dioecesi est usus, semet vehiculo linguae latinae percolant, — vel in cantus ecclesiastici regulis practice semet exerceant, vel librorum lectione semet detineant. — Vetatur autem lusus foliorum — item in musaeo instrumentorum musicorum pulsatio; non minus culpabilis evadet, qui tempore libero clamore, vociferatione pacificos coalumnos inquietare et Superioribus etiam libero tempore occupatis molesti esse praesumserint — aut plane per fenestras prospiciendo attentionem praetereuntium in se concitaverint. — Generatim autem tempore libero in exitu, in schola, verbo ubique in conversatione familiari ad invicem continuo latina — quippe lingua ecclesiastica uti debent. Caeterum contendant quoque semet in lingvis, pro Dioecesi necessariis perficere.

XX. Siquidem modestia eo magis conspicua est, quo major uniformitas observatur: noverint Alumni omnem in vestititu externo difformitatem vetitam esse. Utentur proinde reverendis, cingulis, capuciis, collaribus solum iis, quae ipsis a parte domus praebebuntur, et his contentabuntur, memores: a parte Domus nisi ea Alumnis de necesse praeberi debere, quibus qua Clerici carere nullatenus possunt. Cingulos non ligabunt, sed simpliciter traducent, nec ultra genua dependere sinent. — Strophium loco collaris non nisi in aegritudine adhibere licebit. — Calceos inomisse assument sub sacris Pontificalibus et in Pa-

rasceve crucem adoraturi. — Vestimenti autem omnis generis et cunctorum utensilium debitam gerant curam, et omne frustum debite custoditum suo tempore, inomisse autem ante discessum pro Feriis Vice-Rectori resignabunt, scientes se eorum non dominium sed usum solum habere, et gratitudinem poscere, ut, quae in emolumentum eorum dantur, ea debita custodia foveantur. — Venditio rei cujuscunque in Seminario acceptae in culpam imputabitur non solum, sed et obtentum pretium recipietur; quia quod quis vendit, necessarium non est. Non secus in vestitu, calceis munditiem, in pulpitibus ordinem servabunt, illa horis liberis extra musaea ipsimet perpurgabunt, memores, quod ad exemplum Salvatoris non venerint in Seminarium ministrari, sed ministrare. Atritas et laceras per vestiarium, Vice-Rectore consentiente, tradent reparandas. Caeterum ita alatur mundities, ut non in luxum et vanitatem degeneret.

XXI. Cantus seu ad regulas et modestiam exacta vocis modulatio, item accurata praescriptarum rubricarum cum omnium sensuum ad devotionem compositione in ministerio altaris observatio est unum efficax medium, sensum pietatis in praesentibus excitandi et fovendi; quapropter non solum horas cantui ecclesiastico destinatas, sub manuductione magistri cantus et ceremoniarum Alumni diligentissime impendent, sed et tempore libero in cantu Gregoriano decantandis: Praefatione, — Evangelio, — Epistola, — oratione etc. solerter semet exercitabunt, profectum in cantu quovis anno per examen publicum exhibituri. — Praeerit autem institutioni in Ceremoniis, qua Praefectus ceremoniarum, Seminarii Spiritualis, qui frequentius probae ceremoniarum, imprimis, dum extraordinariae in Metropolitana Basilica ceremoniarum dies instant, intererit, et seniores Theologos in celebratione Missae, Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus instituet. — Similiter Praefectus cantus unus e Presbyteris constituendus, exercitationi non raro interesse contendent. — Ut autem in psallendo et ritibus sacris assistendo continuativa exercitatione proficientes in veros ministros sacros formentur: ideo totus clerus junior quovis die Dominico et festo fori, Horis minoribus, Sacro solemni et concioni mane, a meridie Vesperis, Completorio, Matutino et Laudibus (dum haec in choro Sanctuarii absolvuntur) psallendo et asteriscos scrupulose observando intererit; — insuper in conclusione anni, nec non in commemoratione omnium fidelium defunctorum integrae devotioni publicae; Sacro item, quod ad initium Novembris pro defunctis Archi-Episcopis offertur; porro die cinerum Sacro et ritibus; in Quadragesima Sacra Sermoni quadragesimali a meridie haberi solito; in Hebdomada vero Sacra inde a matutino tenebrarum omnibus mane et a meridie devotionibus et ce-

remoniis, demum Dominica Pentecostes, Festo Corporis Christi ac in Nativitate Domini Imis Vesperis, Completorio, Matutino et Laudibus decantandis in Metropolitana Basilica intererunt — per octavam Corporis Christi autem Sacro Conventuali et Vesperis aderunt. — Pariformiter intererit totus clerus junior quibusvis publicis supplicationibus, processionibus, extraordinariis solemnitatibus, devotionibus, nec non quorumvis de clero funeribus. Accedit, ut celebraturis privatas missas conspicua pietate et modestia ministrent; Theologi seniores autem ordinarie qua Subdiaconi, si vero in sacris ordinibus fuerint, etiam qua Diaconi assistant. — In reliquo sub Imis Vesperis et Missa conventuali festorum I. et II. Classis tot semper aderunt Alumni in Metropolitana Basilica, quot ad assistentias plenarias requiruntur. [1])

XXII. Cum etiam penes proventuum seminarialium usque dimidium diminutionem omnis cura adhibeatur, ut Alumni statui suo convenientem intertentionem habeant; e sensu humilitatis appositis sibi cibis et potu contentabuntur, plene conquieturi seu paucis seu pluribus ferculis provideantur, memores verborum S. Pauli: „Manducate, quae apponuntur vobis“, item „Habentes alimenta, et quibus tegamini, his contenti sitis“. (I. ad Tim c. 6.). Ideo strictissime vetitam esse noverint esculentorum et poculentorum illationem, cum ejusmodi furtiva illatio et usus gulam et sensualitatem foveat. — Qui vero seu domi seu foris plane in ebriositatem culpabiliter prolabetur, aut notitiis illicitis implicitus esse observabitur, a limine sanctuarii repelletur.

XXIII. Sicut dignum est, ut Alumni ad servitia eorum deputatam familiam omni charitate christiana complectantur, et cum illis agant humaniter: ita indignum est, cum iisdem confidentiam aut plane familiaritatem fovere; sed magis adhuc indignum aliquem de famulitio conviciis afficere, ad jurgia et contentiones cum quopiam descendere — ad sibi serviendum imperiose cogere, vel quod maxime damnabile foret, aliquem ad servitia regulis vetita sibi praestanda provocare et stimulare. Ideo Alumnis districtim prohibetur cum his ubiubi conversatio et non necessaria collocutio; si tamen ministri domus obligationibus suis debite functi non fuerint, nec placide moniti, sua expleverint, Vice-Rectori domus pro correctione deferantur.

XXIV. Si quis valetudinem suam morbo affectam senserit, Vice-Rectori semet insinuabit, ut medicus accersiri, et malo remedium in tempore procurari valeat. Sicut autem praescriptis pharmacis uti accurate debent, ita medicum coelestem D. N. J. Ch., qui etiam surdos fecit

---

[1]) Quod haec et quaedam alia puncta similia Seminarium solum S. Stephani Strigonii concernant, per se evidens est.

audire et mutos loqui, humilibus exorabunt precibus, suspirantes: „Miserere mei Domine! quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea!“ Num autem in Infirmaria omnia suo ordine decurrant, Infirmarii erit invigilare, ac una cavere, ne ad Infirmariam promiscue, aut plane turmatim Alumni sani accedant; quod districtim prohibetur.

Et haec sunt, Filii Dilectissimi! quae vobis in virtute salutaris obedientiae praescribenda in Domino eo fine judicavi, ut principalis erectorum Seminariorum in vobis obtineatur finis, quippe: ut ad sanctitatem vitae sacerdotalis formemini, id est: ut pietatis, humilitatis, obedientiae, charitatis, modestiae, aliarumque virtutum indesinenti consectatione et conscientiosa exercitatione spiritum ecclesiasticum et sacerdotalem habitum contrahatis. — Credite, Dilectissimi! aversa is facie decurrit stadium tyrocinii ecclesiastici, retortis ab aratro progreditur oculis ille Alumnus, qui alia ac virtutum harum via Sanctuarium Domini subintrare cupit. Intrudet forte se etiam his destitutus? fieri posse non nego; sed vae, centies vae illi! quia et se spiritualiter peremit, et perimet multos. — Quapropter obsecro vos filioli! per viscera Dei nostri, vocationem pro divina — domum hanc pro sancta et religiosa habetote, digne ambulantes vocatione, qua vocamini et educamini in Ministros Christi, in Dispensatores mysteriorum Dei — in pastores ovium — Patres populorum — exemplar fidelium — mediatores inter hominem et Deum. Dominus inflammet corda vestra, et illuminet intelligentias vestras, ut clarificetur nomen D. N. J. Ch. in vobis!

Altera educationis vestrae pars est: ut sacratioribus disciplinis ad instituendum populum sanctum Dei necessariis imbuamini. — Dilectissimi! quod S. Paulus de charitate, hoc ego de sacerdote scientiarum notitia destituto pronuncio: est quippe aes sonans, cymbalum tinniens, nec semet de Doctrinae Christi et Ecclesiae Catholicae veritate convincere, nec alios capacitare valens. — Si quando, nunc conspicua eruditione opus est, ad depositum fidei custodiendum, ad eam Ecclesiae Catholicae, „quod sola sit salvifica“, proprietatem propugnandam, verbo ad collaborandum Evangelio Jesu Christi; nunc enim infelix illud temporis decurrimus stadium, quo plurimi a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur — quo decepti per Philosophiam et inanem fallaciam multi secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum cogitantes et loquentes abierunt in perversum sensum [1]). Nunc proinde viscera et fundamenta sacrarum scientiarum penetranda sunt, nunc est mens omnigena eruditione per-

---

[1]) Ad Coloss 2.

colenda, ut potentes simus exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt arguere. — Nunc coguntur Antistites Ecclesiarum juxta effatum Domini repellere a Sanctuario, ne sacerdotio fungantur, qui scientiam repulerunt, pretiosum tempus per socordiam tumulantes. Unde lex:

XXV. Alumni ex gravissima conscientiae obligatione omni possibili modo in scientiis profectum facere connitantur, adeoque a collegiis scholasticis nullo sub praetextu absque scitu Studiorum Praefecti semet absentent. — Horas studiorum ad pulpitus ipsos in musaeis exigere et solas scientias tractare debent, ante quaelibet studia cruce formata auxilium a divino Numine, sine quo nihil est in homine, imploraturi. Hinc, qui sub studiis e musaeis frequentius prodire, cum pulpitu, porta strepitare sveverit, mussitaverit — literas vel alia a studiis scriptitaverit, vicinum turbaverit, culpabilis evadet, gravissime culpandus, si a collegiis scholasticis semet absentare, horis studiorum diutius extra musaeum morari praesumserit. — Qui denique sufficientem cujuscunque scientiae, sibi propositae notitiam non habuerit, a limine Sanctuarii repelletur.

XXVI. Sicut e scriptis vel libris lectis aut explicitis omnis hauritur scientia: ita librorum pravorum lectio periculosam scientiam, quae inflat, parit; ideo a Superioribus probatos duntaxat libros legent. Legent autem diligentissime, et quid, aut e quo libro aut scripto periodico aut ephemeridibus quotidie legerint, Diario proprio inferent. — Ut vero tam in procurandis successive libellis pateat zelus alumnorum, quam et sciatur, quales et quantos quivis libros possideat: initio cujusvis anni scholastici sub inspectione Ductoris (in peculiarem ternionem) inscribantur Alumnorum libri ita, ut eidem per decursum anni procurati libelli illico inferantur. Catalogus hic dum et quando Superior postulaverit, producatur.

XXVII. Ad exercitationem in pertractatis disciplinis referuntur apud Theologos catecheses et sermones sacri sub prandio Alumnorum dicendi, quos ad veritatum dogmaticarum pertractationem ordinarie restrictos esse oportebit, ut jam in tyrocinio assuefiant, quod non semet ipsos et eruditionem, nec phantasma saeculi, sed Christum et hunc crucifixum, id est, veritates pro felicitando humano genere per Jesum de coelo adlatas praedicandas habeant. — Et quidem per decursum anni quivis Alumnus Theologus pro concione illa lingua, in qua imprimis exercitandus est, semel dicet; illi autem theologi, qui jam catecheticam audierant, insuper quovis anno bis-ter catechisabunt, praevie deductiones suas uni e Superioribus pro revisione exhibentes.

XXVIII. Quoniam Alumni a Professoribus scientiis imbuuntur,

et per has, illorumque exemplum, virtutum sacerdotalium et christianarum principia acquirunt: Professoribus velut omnigenae perfectionis suae Magistris reverentiam et gratitudinem semper et ubique per humanitatis et modestiae clericalis officia testabuntur, et in omnibus ad sphaeram imprimis scholasticam spectantibus plenariam obedientiam exhibebunt. Qui secus fecerit, velut ingratus gravissime notabitur, et qui in schola non poterit tolerari, nec in tyrocinio tolerabitur.

Haec sunt, Filii Dilectissimi! quae cum pietate ruminanda, memoriae et cordi imprimenda, et exacta observantia in habitum et consuetudinem usque deducenda sunt; sic enim solum obtinebitur finis per Ecclesiam in praescripta Seminariorum erectione praefixus, id est, horum observantia solum efficietur, ut vos ad sanctitatem vitae sacerdotalis formemini, et sacratioribus disciplinis imbuamini. — Mementote, Dilectissimi! quid dicat Dominus: „Sancti eritis, quia ego Sanctus sum“ — et perpendite, si praedicando cum S. Paulo: „quod nec superbi, nec maledici, nec ebriosi, nec molles Regnum Dei possidebunt“, vos auditoribus ipsis suppares, aut plane deteriores fueritis; nonne dicetur vobis: „Medice cura te ipsum“? — „Non confundant opera tua sermonem tuum, ait S. Hieronymus ad Nep., ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: „cur haec, quae dicis, ipse non facis?“ — Mementote, quid item dicat Dominus: „Labia Sacerdotum custodient scientiam“; hanc ergo vobis diurna nocturnaque solertia procurare connitamini, ad Dominum suspirantes: „Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam!“ — Quorum omnium pro coronide obsecro vos per D. N. J. Chr., ut credatis, quia constitutionibus his vos Deo et hominibus acceptos efficere desidero; sed etiam in potestate, quam Dominus mihi dedit, vobis praecipio, et mando, ut regulis his conformiter conversemini, ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis unanimes [1]). Confido autem in vobis per D. N. J. Ch., quod nihil aliud sapietis, et quae praecipimus, facietis; quodsi tamen quis non obediverit verbo nostro, hunc notate, et nec conversemini cum illo, ut contristetur usque ad emendationem [2]), qui autem conturbabit vos, portabit judicium, quicunque est ille! [3]) De caetero non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus [4]), quatenus et gaudium nostrum sit plenum — et vos quondam impositione manuum nostrarum digne in Sanctum Sanctorum admittamini! Pater Sancte! quia tu me misisti, ut fructum faciam, sanctifica hos in veritate, con-

---

[1]) Philipp 1. v. 27.
[2]) II. Thess. 3. v. 4. 14.
[3]) Galat 5. v. 10.
[4]) Coloss. 1. v. 9.

serva eos in obsequio mandatorum tuorum, ut crescentes Sanctitate et Sapientia, serviant quondam ad Gloriam tuam, et utilitatem Ecclesiae tuae Sanctae! Amen. Datum sub castro Strigoniensi festo S. Martini Episcopi Confessoris, anno Domini Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo, Seminario S. Stephani Regis Tyrnavia Strigonium translato, et solemniter aperto. — Consecratione Basilicae Primatialis anno 1856 perfecta, reexpeditae festo S. Hieronymi Presb. Conf. et Ecclesiae Doctoris anno Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Sexto.

Joannes,

Card. Archi-Episcopus et Primas.

Tabellae principia vitae Clericalis complectentes, quarum mentio pag. 270 occurrit.

I. SIGNIFICATIO SEMINARII.

Ego elegi vos de mundo. Joann. XV. 19.

Eos, qui de mundo electi in sortem Domini vocantur, perpendere oportet, qualisnam sit locus in quem Deo dicati secluduntur. Hoc respectu meminerint oportet:

1-o Locum, quem subingressi sunt, sanctum esse.

Locus enim in quo stas, terra sancta est. Exod. III. 5.

Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta coeli. Gen. XXVIII. 17.

2-o Locum hunc seclusum aetati juvenili Deo sacratae saluberrimum esse.

Omnis aetas ab adolescentia in malum prona est. Nihil enim incertius quam vita adolescentium. Ob id constituere oportuit, ut si qui in Clero impuberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commaneant, ut lubricae aetatis annos in disciplinis ecclesiasticis agant. Conc. Toletan. IV. Cap. 23.

3-o Se in loco hoc relinquere mundum et novum habitum induere.

Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Galat. VI. 14.

Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem Ephes. IV. 23.

4-o Se de mundo relicto dolendi materiam non habere.

Et mundus transit, et concupiscentia ejus. 1. Joann. II. 17.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Joann. V. 19.

5-o Quod homo locum, non locus hominem sanctificet.

Non loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos merita bona jungunt, aut mala disjungunt. S. Gregor. l. VI. ep. 29.

II. FINIS SEMINARII.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Gal. IV. 19.
Videte vocationem vestram. 1. Cor. I. 26.

Alumnus Seminarii, qui cupit lucrum de bono Seminarii reportare, nunquam ab oculis perdat finem, ob quem illud subingressus est; conetur nempe:

1-o Reformare in se falsa saeculi principia per principia fidei.

Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate, fructus lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. Eph. V. 8.

2-o Purgare se a peccatis, ac vitiis per poenitentiam sinceram.

Facite fructus dignos poenitentiae. Luc. III. 8.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Ps. 50.

3-o Tendere ad perfectionem sacerdotalem per exercitia pietatis ac virtutum.

Exerce te ipsum ad pietatem. 1. Tim. IV. 7.

Vos estis sal terrae, vos estis lux mundi. Matth. V.

4-o Aquirere spiritum ecclesiasticum.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est. 1. Cor. II. 12.

5-o Applicare semet condiscendis scientiis ecclesiasticis.

Attende tibi et doctrinae. 1. Tim. IV. 16.

Ignoratio scripturarum, ignoratio Christi est. S. Hieron. ad Eust.

III. SPIRITUS SEMINARII.

Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Rom. VIII. 9.

Alumnus, qui in Seminario mansionem nactus est, conetur habitum, actionesque suas secundum spiritum Domini dirigere, cujus characteres sunt:

1-o Resignatio sui Deo, eaque irrestricta.

Praebe fili mi cor tuum mihi. Prov. XXIII. 26.

2-o Unio cum Christo per imitationem, et dependentiam ab Eo.

Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus. Galat. II. 20.

3-o Recollectio sui interna in praesentia Dei.

Ambula coram me, et esto perfectus. Genes. XVII. 1.

4-o Obedientia perfecta.

Obedite praepositis vestris. Hebr. XIII. 17.

Melior est obedientia, quam victimae. Eccl. IV. 17.

5-o Charitas.

Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Joann. XV. 12.

6-o Amor studii et scientiarum ecclesiasticarum.

Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Malach. II. 7.

Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Conc. Toletan. IV. Cap. 25.

IV. QUALITATES SEMINARII.

Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant. Conc. Trid. Sess. 22. de Ref.

Sicut omnis status, ita etiam ecclesiasticus certas peculiaresque qualitates in suis membris requirit; sunt autem pro alumnis Seminarii harum qualitatum praecipuae:

1-o Pietas.

Pietas ad omnia utilis est. 1. Tim. IV. 8.

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Philip. II. 5.

2-o Humilitas.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. Petr. V. 5.

3-o Abnegatio sui.

Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Matth. XVI. 24.

4-o Patientia.

Probatio fidei vestrae patientiam operatur patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti, et integri in nullo deficientes. Jac. I. 3.

5-o Laboris amor.

Exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia . . . in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in svavitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta. II. Cor. VI. 4.

6-o Promptitudo.

Solicitudine non pigri, spiritu ferventes. Rom. XII. 11.

Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est. II. Cor. VIII. 12.

V. PRINCIPIA SEMINARII.

Qui audit verba mea, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. Matth. VII. 24.

Vita, quae intra aedes has agitur sancta, debet esse ordinata, ac ideo certis principiis innixa, quorum praecipua sunt:

1-o Vivere secundum regulam praescriptam.

Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia. Gal. VI. 16.

Omnia secundum ordinem fiant. 1. Cor. XIV. 40.

2-o Agere cuncta intentione pura, alioquin intentio determinat valorem actionum.

Dominus intuetur cor. 1. Reg. XVI. 7.

3-o Motivis duci e fide sumptis, quae per charitatem operantur.

Dilectio custodia legum; custodia autem legum consummatio incorruptionis est. Sap. VI. 19.

4-o Servare cuncta, quae praescripta sunt.

Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est. Luc. XVI. 10.

5-o Servare cuncta, quae praescripta sunt exacte.

Hora surgendi non te trices. Eccl. XXXII. 15.

Noli esse, quasi homo, qui tentat Deum. Eccl. XVIII. 23.

6-o Semper de consilio Superioris sui agere.

Consilium semper a sapiente perquire. Tob. IV. 19.

VI. CONVERSATIO SEMINARII.

Moneant Episcopi suos Clericos in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone, scientia, Dei populo praeeant, memores ejus, quod scriptum est: Sancti estote, quia Ego sanctus sum. Conc. Trid. Sess. 14 de Ref.

Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam Clericos. S. Hieronym. ad Tit.

Si Seminarium porta coeli est, in eo degentes alumni sint penna columbae deargentatae, nequid appareat in

illis, quod obfuscet candorem ecclesiasticae puritatis. Ideoque:

1-o Conversatio eorum sit sancta.

Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi. Colos. III. 17.

2-o Sit ad aedificationem.

Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium — in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 1. Tim. IV. 12.

In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Tit. II. 7.

3-o Sit fraterna.

Dilectio sine simulatione: odientes malum, adhaerentes bono, charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes. Rom. XII. 9. 10.

4-o Non sit ad dijudicandos alios.

Si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. XI. 31.

Charitas non cogitat malum. 1. Cor. XIII. 5.

5-o Conversatio non sit exclusiva.

Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Gal. III. 28.

VII. DEVOTIONES SEMINARII.

Oportet semper orare et non deficere. Luc. XVIII. 1.
Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1. Tim. IV. 15.

Exercitia devotionis conservant, et augent pietatem, progressumque parant ad sanctitatem et perfectionem. Alumnis peculiariter convenientes devotiones sunt:

1-o Adoratio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, unde fontes gratiarum dimanant.

Charitas Christi urget nos. II. Cor. V. 14.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur. Hebr. IV. 16.

2-o Devotio sanctae Crucis.

Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Galat. II. 20.

Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Galat. VI. 14.

3-o Devotio erga sanctissimum Cor Jesu.

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Matth. XI. 29.

4-o Devotio erga sanctam immaculatamque Virginem.

Ecce Mater tua. Joann. XIX. 27.

5-o Devotio erga ss. Apostolos, aliosque cumprimis virginales Dei sanctos.

Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Hebr. XIII. 7.

6-o Devotio in anniversariis suscepti baptismatis, et ordinum, patroni, parentum, benefactorum, omniumque fidelium defunctorum.

Habebitis hunc diem in monumentum, et celebrabitis eum solemnem cultu sempiterno. Exod. XII. 14.

Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. II. Cor. IX. 15.

VIII. LECTIONES UTILES.

Attende lectioni. I. Tim. IV. 13.

Vita omnis Alumnorum in Seminario absolvitur indesinenti studio semet perficiendi, ut et illos, qui contradicunt veritati, arguere possint verbo, et forma fieri valeant condam gregis exemplo. Clericus lectione assidua, et meditatione diuturna pectus suum Bibliothecam faciat Christi; impendens se:

1-o Assiduae lectioni Scripturae Sacrae.

Sicut stellas coeli non extingvit nox, sic mentes firmamento innixus Scripturae sanctae, non obscurat mundana iniquitas. S. Zephirin. Can. 8. Dist. XXXVIII.

Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. S. Hieronym. ad Rust.

2-o Lectioni operum asceticorum, quae juvant perfectius cognoscere ac sequi voluntatem Dei. Talia sunt: Memoriale vitae sacerdotalis; Lect. in usum Cleri, opera Avancini, Bellarmini, Deharbei, Ign. a Loy., Kroustii, Schlörii, Scupoli, Segneri, Thomae Kempens etc.

Quatuor sunt gradus elevationis mentis in Deum: Lectio, Meditatio, Oratio, Contemplatio. Quaerite legendo, et invenietis meditando; pulsate orando, et aperietur vobis contemplando. Guigo in testam. Carthaus.

3-o Quae firmant in nobis fidem; hoc scopo commendari merentur acta Martyrum prout illa conscripsit Ruinartius.

Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora Leonum. Hebr. XI. 33.

4-o Quae serviunt cumprimis ad incitamentum virtutum, uti sunt summopere commendabiles biographiae Sanctorum a Bollandistis, Surio, Jac. de Voragine etc. — item Monographiae.

Inspice, et fac secundum exemplar. Exod. XV. 40.

5-o Quae formam exhibent officiorum divinorum, uti libri rituales, et liturgici.

Quae ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum i. e. liber Sacramentorum, lectionarius, antiphonarius . . . psalterium, homiliae. Can. 5. Dist. XXXVIII.

HYMNUS
DE
B. V. MARIA,
IN VOTIVO CARDINALIS PÁZMANY ET IN COLLEGIO EJUS VIENNENSI DECANTANDUS.

O Gloriosa! o speciosa! stella luminosa,
Domina mundi, Mater gratiosa,
Vox angelica, vox prophetica, proles davidica,
Tibi concinit Salomon cantica.
Regina Coeli, medela mali, fortitudo Poli,
Virgula plena colore vernali.
Aurora surgens, lucerna lucens, Sol radiis fulgens,
Illuminatrix tenebras excludens.
Pulchra lunaris, fuga languoris, fer opem revinctis,
Qui puniuntur carcerum catenis.
Solis aemula, fumi virgula, pulchra Puellula,
Te concupivit Rex sine macula.
Torques aurea, Regis vinea, turris eburnea,
Sis pauperibus salutis galea.
Palma virtutum, nectar optimum, odor aromatum,
Reduc errantes ad Regnum paratum.
Granum excussum, jubar effusum, sydus animosum,
Nostrum exaudi carmen sonorosum.
Dux militiae, fons laetitiae, flos pudicitiae,
In te confluunt Coeli divitiae.
Lilium candens, rosa rubescens, Virgo Coelum vincens,
Sydus aureum gremio recondens.
Virgo MARIA! mundi gloria, duc ad coelestia
Hic exulantes, ut sint in Patria.
O sacrum lumen! sanctum solamen, spiritus juvamen,
Tuis famulis vitam confer. Amen.

Series Rectorum Collegii Pazmaniani.

1623. Henricus Lamormaini, ob pedum imbecillitatem ad itinera apostolica minus idoneus 30 ferme annis Confessarius constitutus reliquum tempus studiis impendit; scripsit plura opera erudita, mortuus est Viennae 1647.
1626. Joannes Hmyra.
1642. Joannes Lippay, litteras humaniores et linguam sacram annis pluribus Graecii et Viennae docuit, Collegium Jaurini, Ungvarini, Trenchinii et Seminaria Viennae et Tyrnaviae rexit; fuit frater Æpiscopi Georgii Lippay, scripsit opera ad Physicam spectantia; demum variis morbis obrutus obiit Trenchinii 1666.
1646. Joannes Hmyra.
1655. Georgius Hölgy.
1656. Franciscus Kopeczky, fuit Alum. Pazmanei 1633.
1657. Joannes Pissinger.
1662. Jacobus Hanula.
1665. Stephanus Tattay, scripsit quaepiam minuta opera.
1666. Osvaldus Gassman, † 1668.
1667. Sigismundus Ruckel.
1676. Martinus Szentiványi, Dr. Phil. et Theol., Professor Viennae et Tyrnaviae, Regens Collegii Pazmaniani. Vir primis Hungariae viris facile adnumerandus; scripsit de re omni scibili Miscellanea, item complura opera. A Joanne Christ. Principe Elvacensi numismate suae effigiei eidem admisso pro laboribus scientificis insignis redditus piissime obiit Tyrnaviae 1705.
1679. Andreas Fugacius.
1683. Nicolaus Hrabovszky, mortuus eodem anno sub obsidione urbis in cura spirituali aegrotis impensa; successit mox
" Emericus Kiss, post traditas aliquamdiu humaniores litteras Aulae Rákoczianae addictus est, Principibus Confessarium, Concionatorem, perque vicinia Missionarium acturus; tempore

urbis oppugnatae ex dyssenteriae regnantis malo, postquam operibus inclaruerat, decessit Viennae 1683.

1684. Franciscus Palchich.

1686. Joannes Kecskeméthy, Dr. Phil., orator celebratissimus plures per annos Jaurini, Cassoviae, Ginsii, Tyrnaviae; inde admotus gubernio, rexit Colleg gen. Tyrnaviense biennio, Pazmanianum 14 prope annis. His muneribus egregie defunctus provinciam Superioris Rosnaviae, dein Ginsii accepit. Fuit vir munificentissimus, et ultimo triennio sensibus prope omnibus orbatus Viennae diem supremum obiit 1712.

1693. Maximilianus Scherhackel.

1696. Ferdinandus de Gallo, cui in Praepositum domus professae nominato successit anno eodem iterum

Joannes Kecskeméthy; hic quoque ad regendum Collegium Tyrnaviense abiens successorem nactus est iterum

Ferdinandum de Gallo.

1701. Joannes Zanger, Rector Sopronii, Tyrnaviae, Jaurini, Viennae in Coll. Pazm. dein iterum Tyrnaviae † 1708.

1702. Joannes Kecskeméthy, vice tertia.

1707. Gabriel Hevenessy, ob singularem modestiam ac vitae candorem Angelus aut alter Aloysius audivit; absolutis studiis Dr. Phil. et Theol. evasit, obque singulares ad regendum dotes mox Rectoris et Magistri in domo novitiorum Viennae, itidemque in Collegio Pazmaniano munus omni cum laude sustinuit. Rexit Collegium Viennense ac Tyrnaviense, praefuit quoque toti Provinciae Austriacae et domui professae. Romam ad comitia generalia missus, ubique perfectam sui aestimationem reliquit, ubique magnus ac mirabilis, ut biographus adnotat. Cardinalis et Æpiscopi Kollonicz a sacris consiliis, apud Leopoldum vero Augustum arcanorum multorum custos fuit. Vir de Historia Hungariae meritissimus, in tribunali sacro suique castigatione eminens primisque haud dubie Patribus adnumerandus obiit Viennae 1715.

1710. Alexander Szörény, Dr. Phil. ac Theol., quam Cassoviae et Graecii, Casus vero et Jus Tyrnaviae docuit. Praefuit Collegio Leutschoviensi, Pazmaniano et Tyrnaviensi; scripsit opera nonnulla, obiitque Tyrnaviae 1719.

1712. Joannes Bapt. Jurkovics, Docens Cassoviae et Regens Collegii Pazmaniani; lyra cecinit, et qua Rector praefati Collegii decessit 1724.

1725. Andreas Bossányi, Dr. Phil., Missionarium primum, dein

Poenitentiarium Romae hungaricum egit: redux Collegio Tyrnaviae, Leutschovii et Cassoviae, demum Collegio Pazmaniano praefectus est; scriptis operibus notus † Tyrnaviae 1730 qua Regens Seminarii Rubrorum.

1727. Laurentius Tapolcsányi, e Collegio Pazmaniano Philosophus societatem ingressus, utriusque facultatis Doctor evasit. Magistrum Philosophiae, Casuum, Juris et Dogmaticae Tyrnaviae egit, dein Rector ibidem Collegii, Cancellarius et Regens Convictus et Rubrorum pluribus annis fuit. Canonista inprimis praeclarus et animo demissus complura exaravit opera. Obiit Tyrnaviae 1729.

1728. Franciscus Kecskés, Regens fuit Cassoviae, Tyrnaviae, Neosolii, Budae et Viennae Collegii Pazmaniani, iterum Tyrnaviae Collegii et Seminarii Adalb. Obiit qua Regens Collegii Jaurini 1740.

1729. Andreas Sigray, Magister Rhetoricae et Ethicae Neosolii, Philosophiae Budae, Controversiarum Cassoviae, Regens Seminariorum Tyrnaviae, Agriae, tum Collegiorum Cassoviae, Claudiopoli et Viennae. Virtutibus illustris obiit Viennae 1734.

1734. Stephanus Dobner, Dr. Phil. et Theol., Romae Poenitentiarius hungaricus, Viennae Magister Moralis, Tyrnaviae SS. Paginarum, tum Regens Collegii Pazmaniani, demum Cassoviae, ibique mortuus est 1746.

1736. Franciscus Kazy, Dr. Phil. et Theol., Rhetoricam, Logicam, Physicam, Controversias ac Casus Tyrnaviae docuit; tum Seminario Tyrnaviensi, Collegio Pazmaniano, Rubrorum et Collegio generali Tyrnaviae praefectus, Rectorem et Magistrum serius tyronum Trenchinii, Collegiorum Posonii et Sopronii egit. Vir in patria historia versatissimus ac operibus evulgatis illustrissimus obiit Trenchinii 1760.

1738. Stephanus Raab, Dr. Phil., Tyrnaviae Poësim, Mathesim, Philosophiam, Agriae Polemicam et Moralem tradidit. Tum Poenitentiarius Romae hungaricus ac redux Provinciae Praesidi ab epistolis fuit. Regens Collegii Pazmaniani, Posoniensis, Seminarii Budae, ibidemque vir consummatum omnium virtutum exemplar obiit 1757.

1739. Jacobus Urient, Professor Viennae, Lincii ex Mathesi, Mineralogia Jaurini; Regens Seminarii Klagenfurtensis, Collegii Pazmaniani, Sopronicnsis, — dein Valetudinarius, serius Spiritualis Lincii, ibique mortuus est 1748.

1740. Franciscus Némethy, Concionator Szathmarini, Professor Claudiopoli, Cassoviae, Tyrnaviae; praefuit Collegio generali Cleri Hung., seminario Tyrnaviae, Collegio Sopronii et Viennae, Tyrnaviae vita cessit 1748.

1743. Stephanus Dobner, itidem e Rectore Collegii Posoniensi, dein Cassoviam translatus.

1746. Emericus Tolvay, Dr. Phil., Tyrnaviae Rhetoricam et Philosophiam, Claudiopoli Controversias docuit; Romae octennio Poenitentiarius hungaricus, redux Collegio Budensi, Viennensi, et Claudiopolitano, Jaurini Convictui, demum Tyrnaviae typographiae usque ad abolitionem Ordinis praefectus est. Operibus exaratis clarus Tyrnaviae ad astra volavit 1775.

1747. Joannes Szegedy, Dr. Phil. et Theol., Philosophiae primum Tyrnaviae magistrum, uno dein anno Missionarium vagum egit; Tyrnaviam revocatus Jus ecclesiasticum, serius Dogmaticam in hac nec non in Graecensi Universitate tradidit. Rector postea Claudiopoli, Jaurini, tum Viennae in Collegio Pazmaniano. Budae altioribus scholis praefectus simul Militiae C. R. per Hungariam supremum Curatum egit et in Tribunal Æpiscopale adscitus est. Vir zelo fidei, notitia scientiarum, imprimis Jurisprudentiae, praeclarissimus pagellis summae eruditionis rem literariam Hungariae ditavit. Tyrnaviae subito morte spiritum efflavit 1760.

1749. Antonius Vánossy, Dr. Phil. ac Theol., Tyrnaviae Poëseos, Viennae Rhetoricae et Philosophiae disciplinas tradidit; subin socius Magistri novitiorum Viennae, mox ipse Magister Trenchinii. Rexit Collegium Pazmanianum annis 8, Graecense 4, Provinciam 4, Domum probationis Viennensi et Collegium 7. — Romam a Generali Ordinis accersitus, ut ei qua Assistens Germaniae a consiliis esset. Interfuit qua Elector Austriae Congregationi XVII. et XVIII., in qua 30 vota pro supremo Magistratu societatis abstulit. Vir totius societatis judicio magnus, et virtutum omnium exemplar supremum diem obiit Romae 1757.

1751. Mathias Pock, Dr. Phil. et Theol., Tyrnaviae et Cassoviae Professor 12 annis; socius dein Praesidis Provinciae, Collegii Graecensis, Pazmaniani Viennae, Theresiani Nobilium ibidem, Passaviensis, Posoniensis et Jaurinensis Rector, demum pluribus annis Superior ad S. Martinum Posonii, soluto Ordine operibus clarus obiit.

1752. Georgius Imrikovics, zelo animarum ardens Missione indica frustra quaesita Concionatorem primum Schemnizii, tum Missionarium apud legionem Pálffyanam, dein Superiorem Budae, Vicerectorem Ginsii, Rectorem et Magistrum Trenchinii, socium Praesidis Provinciae, Rectorem Collegii Pazmaniani, Ginsiani egit. Meritorum plenus obiit 1771.

1759. Christophorus Muessert, prius Confessionis augustanae, Linguam S. Tyrnaviae, Philosophiam Budae, Theologiam Agriae, Jaurini, Tyrnaviae docuit; tum Romae Poenitentiarius hungaricus, redux Dr. Theologiae creatus, Collegium Pazmanianum, Sopronienso, Claudiopolitanum rexit. Pie obiit Sopronii 1770.

1760—1. Joannes Bapt. Prileszky, Dr. Phil. et Theol., Professor variis in locis variarumque disciplinarum; tum Cancellarius Tyrnaviae, Regens Collegii Pazmaniani, Convictus Tyrnaviensis; soluto Ordine Trenchinium se recepit, et apud Patres piarum scholarum jubilaeum celebravit. Vir doctrina non minus quam sanctitate conspicuus, complura vulgavit opera. Migravit e vita 1790.

Post Rectores hos e societate Jesu successere:

1761. Franciscus L. B. Berchtholdt ab Ungersitz, e Colleg. Apollinari Roma redux factus est Parochus Verebélyensis et VADiaconus, 1758. Canonicus Strigoniensis, dein Vicarius Generalis, Abbas S. Salvatoris de Kapornak, 1773. Praepositus Posoniensis, electus Episcopus Noviensis, dein Ep. Neosoliensis. SS. Theol. Dr. — Sub hoc Rectore Collegium vice prima sublatum est, quo restituto.

1766. Franciscus Galgóczy primus munere Rectoris fungebatur; studuit olim in Collegio Pazmaniano et Apollinari Romae, rexit dein Parochiam oppidi Papa; Abbas S. Andreae de Bisztricza, 1764. Posoniensis, 1766. Strigoniensis Canonicus. Obiit qua ADiaconus Comaromiensis 1798.

1769. Ladislaus L. B. Luzsénszky de Riglicze, studuit Romae, dein fuit Parochus in Szklabonya, 1764. Posoniensis, 1768. Strigoniensis Canonicus, Abbas B. M. V. de Campo Strigoniensi, Custos et Vicarius generalis Strigonii et Tyrnaviae, una Suffragan. Cons. Episcopus Hypponensis. Vir summe beneficus obiit 1790.

1772. Nicolaus Kondé de Pókatelek, e Parocho Felbárensi factus 1762. Canonicus Scepusiensis, qua talis Collegii Pazmaniani Rector, 1773. Canonicus Strigoniensis, Abbas de Candelis,

Vicarius generalis, Cons. Episcopus Belgradensis, 1800. Episcopus Magno-Varadinensis.

1775. Andreas Szabó, olim Collegii alumnus, dein Vicerector, et Cancellarius Officii Vicar. Tyrnaviae, 1768. Posoniensis, 1773. Strigoniensis Canonicus; ADiaconus, Praepositus S. Stephani, S. Joannis et Jacobi de Silisio; Rector Seminarii Generalis Posoniensis atque Dioecesani; Vicarius Generalis Strigoniensis, 1804. primus Episcopus Cassoviensis, Phil. et SS. Theol. Dr., mortuus est 1819.

1777. Emericus L. B. de Perén, studuit Romae, dein Parochus fuit in Galantha, 1774. Scepusiensis, biennio post Strigoniensis Canonicus, 1805. Praepositus major et Electus Episcopus Bacensis; Vicarius Capitularis, mortuus Tyrnaviae 1823.

1779. Ladislaus Gulik, studuit Romae, fuit dein Parochus in Vágh-Szerdahely, 1775. Canonicus Posoniensis, 1780. Strigoniensis, 1783. apoplexia tactus qua Rector Collegii Pazmaniani Viennae decessit.

1784. Georgius Riczinger, fuit Professor Philosophiae et Theologiae, porro a Secretis Primatis Com. Batthyányi, 1783. Canonicus Posoniensis, qua talis Rector Collegii Pazmaniani — hoc, vice secunda sublato, Tyrnaviam transiit; jam e Lectore Capituli Posoniensis nominatus Canonicus Strigoniensis 1798., hic quoque Lector evasit. Obiit 1816.

Collegio anno 1803 vice altera restituto, anno eodem.

1802. Franciscus Krammer est Rector primus ejusdem constitutus; fuit alumnus et Vice-Rector Collegii, dein Professor Theologiae Jaurini et Budae, 1796. Canonicus et Parochus Posoniensis, 1802. Strigoniensis, ADiaconus Cathedralis, Praepositus S. Georgii et Sapientiae de Tittel, qui titulus eidem apprime conveniebat, scripsit enim opus longe celebratissimum: „De sola salvifica“ 1814. E munere Rectoris in Prodirectorem Lycei Tyrnaviensis nominatus, obiit 1818. SS. Theol. Dr.

1806. Nicolaus Rauscher, studuit Viennae in Collegio; hinc, quin in cura animarum unquam fuisset, in officiis Vicariatus fungebatur Tyrnaviae; 1798. Posoniensis, 1805. Strigoniensis Canonicus et Rector Collegii Pazmaniani, Abbas SS. Salvatoris de Kapornak, Electus Episcopus Macariensis et Consecr. Evariensis et Suffragan., Praelatus domest. Archiducis Caroli Ambrosii Æpiscopi. Obiit 1815.

1807. Petrus Ürményi, fuit Parochus in Kürth et VADiaconus;

1805. Canonicus Posoniensis, 1807. Strigoniensis; a Rectoratu recedens successive Vicarius Generalis Tyrnaviae et Strigonii, Praepositus Major Strigoniensis, Conseer. Episcopus Coriciensis et Suffragan. Obiit 1839.

1810. Georgius Keller, fuit Parochus in Sárfő et Schemnizii, — 1803 Posonii Parochus et Canonicus, 1807 Strigoniensis, Rector Seminarii Tyrnaviensis et Pazmaniani. Obiit 1815.

1813. Balthasarus Talabér, prius Parochus Csicsóensis, dein Canonicus Posoniensis, 1811. Strigoniensis; Abb. S. Henrici, obiit qua Cantor Capituli 1828. Vir munificus.

1814. Stephanus Vrana, e Professore Theologiae Dogmaticae Pestinensi nominatus Canonicus Strigoniensis 1810., Rector dein Seminarii Tyrnaviensis et Collegii Pazmaniani, postea Director studii theologici Pestini, Abbas S. Georgii de Colocza, SS. Theol. Dr. Obiit 1822.

1820. Joannes Bapt. Lángh, Praefectus Studiorum et Profess. Philosophiae Tyrnaviae, dein Patrologiae et Dogmaticae Pestini, SS. Theol., Philosophiae, et Jur. utr. Dr.; scripsit opus patrologicum. 1820. Canonicus Strigoniensis, successive Praelatus Tabulae Regiae Pestini. Obiit 1829. Vir Munificus.

Post discessum ejus anno 1824 uno fere anno officium Rectoris administrabat Vice-Rector Josephus Kunszt.

1825. Josephus Schneider, e cura animarum factus Vice-Rector prius Tyrnaviae, dein in Collegio Pazmaniano; 1820. Canonicus et Parochus Posoniensis, 1825. Canonicus Strigoniensis et ADiaconus, Abb. B. M. V. de Valle. Obiit 1830.

1830. Georgius Németh de Dömötör, e Parocho Izsaensi nominatus Canonicus Strigoniensis 1825.; Praelatus dein post tentum munus Rectoris in C. Paz. penes Tabulam Regiam, Cojudex porro Tribunalis septemvirorum, Abbas B. M. V. de Valle, subin Praepositus Major Capituli Strigoniensis, Electus Episcopus Tribunicensis. Obiit 1864.

1832. Josephus Kunszt, post curam animarum penes Officium Dioeces. qua Notarius S. Sedis fungebatur; dein Vice-Rector Collegii Pazmaniani, subin Canonicus Strigoniensis et Rector; Praepositus S. Stephani, Abbas B. M. V. de Valle Vesprimiensi, El. Ep. Pharensis, et Vicarius Generalis, dein Capitularis, 1850. Episcopus Cassoviensis, 1851. Archi-Episcopus Colocensis, Exc. Trib. Septemvir. Cojudex.

1845. Josephus Pribyla, Parochus et Canonicus Posoniensis, 1841.

Canonicus Strigoniensis, dein Rector, Abbas S. Margarethae de Béla, ADiaconus. Obiit 1860.

1850. Henricus Szajbély, e cura animarum Praefectus Studiorum et Vice-Rector in Collegio Pazmaniano; munus Rectoris, quod ab anno 1848 administrabat, qua Canonicus honor. Strigoniensis ipse consecutus est anno 1850., nominatus una Canonicus Posoniensis; 1852. Strigoniensis, dein Abbas B. M. V. de Valle Vesprimiensi; 1859. Rector Seminarii Centralis et Director Facultatis Theol. Pestini, hinc Vicarius Generalis Tyrnaviensis, El. Episcopus Vovadrensis, SS. Theol. Dr.

1859. Lazarus Kántz, e cura animarum ad Officium Dioeces. assumptus, qua Notarius S. Sedis factus Vice-Rector Pestini, Parochus hinc ac VADiaconus Vetero-Budae; Canonicus Posoniensis, 1854. Strigoniensis, Abbas B. M. V. de Kercz in Terra Fogaras, et ADiaconus.

1861. Adolphus Majthényi de Kesseleőkeő, e Cooperatore in Aulam Archi-Episcopi Strigoniensis assumptus, fuit Bibliothecarius, dein Parochus et VADiaconus Udvardensis; 1861. Canonicus Posoniensis, et post paucos menses Strigoniensis, Juris Canonici Doctor.

1864. Emericus Mészáros, e cura animarum Professor Physicae etc. Tyrnaviae, dein penes Officium Dioecesan. successive Cancellarius, 1848. Parochus et VADiaconus Vadkertensis, 1864. Canonicus Strigoniensis et Rector. Est Academiae Hungaricae Membrum correspondens.

Series Vice-Rectorum.

1766. Antonius Nagy, olim Alum. Collegii Pazm. Vice-Praef. Seminarii General. Tyrnaviensis; dein Parochus Szeredensis.

1769. Franciscus Hubert, qui dein 1773. Tyrnaviam, inde Budam translatus Theologiam Dogmaticam docuit, opusque de Deo uno et trino conscripsit; 1783. Posoniensis, 1796. Strigoniensis Canonicus, Seminarii Posoniensis Rector. † 1800.

1773. Joannes Vancsay, qui exacto in munere suo anno uno, factus est Paroch. et VADiac. Szempczensis; anno vero 1790. Canonicus Strigoniensis, subin Praepos. S. Stephani de Castro Strigon., Elect. Episcopus Noviensis, tandem Assessor ad supremum tribunal Septemvirorum. † 1806.

1775. Ladislaus Tompa, qui anno mox sequente Romam pro condiscendis ritibus missus est; inde redux, Prof. Liturgiae et Polemicae nominatus fuit Posonii, conscripsitque opus liturgicum; fuit SS. Theol. Dr., 1786 Posoniensis, 1801 Strigon. Canon. obiit 1802 qua Seminarii S. Stephani Rector Tyrnaviae.

1776. Franciscus Krammer, mox Prof. Theol. Jaurini, Budae; Canonicus Posoniensis, dein Strigoniensis, uti supra inter Rectores Collegii legitur.

1776. Michael Klimkó, in pari qualitate transiit ad Seminarium Adalbertinum Tyrnaviam, dein Parochus Csejthaensis, demum Canonicus Posoniensis.

1779. Josephus Mayer, Collegio sublato factus Vice-Rector in Seminario Generali Posoniensi, ejusque successive Rector, et Canonicus Posoniensis. † 1797.

1802. Ludovicus Fabriczy, discessit pro adjuncto Professoris Historiae naturalis et Physicae ad Universitatem Pestinensem.

1805. Felix L. B. Gerliczy, factus Ceremonarius Archi-Ducis Caroli Ambrosii, dein Canonicus Agriensis. † 1817.

1806. Josephus Ungerhoffer, factus Bibliothecarius et Archivarius Primatialis; anno 1821 Canonicus Posoniensis.

1808. Josephus Szaitler, e cura animarum, factus dein Canonicus Posoniensis. † 1815.

1815. Josephus Schneider, e Seminario Tyrnaviensi in pari qualitate translatus pro Vice-Rectore ad Collegium Pazmania-

num; dein 1820 Parochus et Canonicus Posoniensis; 1825 Canonicus Strigoniensis et ADiac. Sasváriensis, Abb. B. M. V. de-Valle et Rector Pazmanei. † 1830.

1820. Josephus Kunszt, e Notario S. Sedis Consistorialis factus Vice-Rector; dein Admin. Officii Rectoris, Canonicus Posoniensis, Strigoniensis, Episcopus Cassoviensis, Archi-Episcopus Colocensis; prout supra inter Rectores.

1832. Andreas Lipthay usque 1840, quando Canonicus Strigoniensis nominatus fuit; fungebatur munere Rectoris in Seminario Centrali Pestinensi; actu est Cantor Capituli Strigoniensis Electus Episcopus Ansariensis, Consiliarius Reg. ad Consil. R. Locumten. Budae.

1840. Henricus Szajbély e Praef. Stud. factus Vice-Rector, successive Canonicus, Rector, Electus Episcopus Vovadrens., prout legitur inter Rectores.

1851. Josephus Feger, e Parocho Szilincsensi Seminarii S. Emerici V.-Rector, inde translatus Viennam; honore Cubicularii Suae Sanctitatis Summi Pontificis ornatus, Regulam S. Benedicti amplexus est in Monasterio Lambacensi 1860. Scripsit opera ascetica et aesthetica.

1860. Carolus Rimely, e Cooperatore Budensi Praefectus Studiorum in Collegio Pazmaniano, hinc Professor Historiae et Juris ecclesiastici Strigonii; ab 1860 Vice-Rector. S. S. Theol. Doctor.

Series Spiritualium.

1704. Andreas Horváth, prius Rector Zagrabiensis, mox Posegam missus.

1705. Ernestus Köffer.

1706. Casparus Boboczky.

1709. Alexander Szörényi, Dr. Phil. et Theol., Professor Cassoviae, Graecii, Tyrnaviae. Rexit. Colleg. Leutschoviense, Pazmanianum et Semin. Tyrnav.; scripsit opera quaedam; obiit Tyrnaviae 1719.

1711. Samuel Timon, Dr. Phil. ac Theol., Rhetoricam Tyrnaviae, Theologiam Cassoviae praelegit. Opus Missionarii in patria prae sinistra valetudine frustra anhelans, Historiae ejus scrutandae incubuit, eamque innumeris in pagellis ad Criticam primus exegit; obiit Cassoviae 1736.

1712. Alexander Berzeviczy, Philosophiae ac Theologiae diversas partes Cassoviae Tyrnaviae et Agriae tradidit, ac diversarum Residentiarum Superior mortuus est Cassoviae 1743. — Post Pascha eodem anno

Emericus Görgei.

1713. Adamus Fitter, Dr. Phil. et Theol., a puero pravis opinionibus imbutus, sed fidem cath. amplexus eandem fortissime contra matrem ac propinquos tuitus est. Variis in locis Professor ac Rector, Eccl. serius Transsylvanicae graeci ritus regio decreto gubernator datus est, ubi 400 sacerdotes a Pontifice Romano sejunctos cum eo univit, sedem tamen Eppalem acceptare omnino renuit. Decessit ad S. Georgium prope Tyrnaviam 1741, ubi corpus ejus post 8 annos consumtis vestibus incorruptum repertum est.

1714. Carolus Mainersperg, Dr. Phil. ac Theol., Viennae Matheseos, Graecii Polemicae ac Moralis Professor. Missione indica sibi negata, Styrae, Cremsii et Lincii ad populum dixit fuitque Aug. Imperatricis Viduae Amaliae a sacris confessionibus. Obiit Viennae 1754.

1715. Franciscus Steger.

1720. Andreas Spangar, praeconem sacrum 25 annis per Hungariam egit, Collegium Ginsiense, Ungvarinense rexit, scriptisque operibus clarus obiit Rosnaviae 1744.

1722. Ignatius Choler, Professor Controversiarum.
1723. Antonius Hocke, Professor lingv. hebreae.
1724. Godofridus Wenger, mox post eum
Michael Kirchvogel, Dr. Phil., Rhetoricam Graecii, Ethicam Graecii et Viennae, Philosophiam Lincii tradidit, ac variis muneribus perfunctus decessit Trenchinii 1736.
1725. Paulus Seriess, Professor Ethicae,
1726. Josephus Haimb, Dr. Phil., Professor Clagenfurti ac Graecii; tum in Saxoniam missus in Aula Ser. Electoris simul et Regis Poloniae a sacris confessionibus fuit. Obiit Varsoviae 1737.
„ Ferdinandus Jaurics, Professor Dialecticae.
1727. Antonius Staucher.
1728. Christianus Hickl, Professor Dialecticae.
1729. Leopoldus Grueber, Dr. Phil., in Collegio Viennensi Poësim et Rhetoricam, ibidem in Universitate vero Philosophiam praelegit. Dein Viennae, Lincii, Clagenfurti varias disciplinas theologicas tradidit; tum Graecii et ad S. Annam Minister, Traunkirchii Superior, Cremsii et Clagenfurti Rector. Obiit 1773.
1730. Josephus Ritter, Dr. Phil. et Theol., diversis in locis Magister variarum disciplinarum, socius quoque Praesidis Provinciae, Confessarius Serenissimae Reginae Lusitaniae, Mariae Austriacae, demum Rector in Colleg. Passaviensi; mortuus Viennae 1761.
1731. Franciscus Dannhauser, Dr. Phil., Concionatorem Viennae ac Lincii egit, tum in Hungaria primum orator sacer, dein ad Castra in Silesiam missus ab infirmo milite peste correptus decessit Nissae 1741.
1732. Adamus Fenczl, Dr. Phil. ac Theol., utramque scientiam diversis in locis tradidit, obque Juris pontificii praecipuam scientiam ubique consultus pie obiit Clagenfurti 1759.
1734. Carolus Péterffy, e Baronum Stirpe, Dr. Phil. et Theol. Magister Tyrnaviae jam eruditis duobus opusculis rem litterariam Hungariae auxit, sacerdosque factus reliquum vitae tempus elucubrandis Hungariae rebus impendit, quippe qui e variis Hungariae tabulariis ipsaque Bibliotheca vaticana copiosa documenta eruit, supellectilemque nummariam Regum H. congessit, — praemature obiit Posonii 1746.
1735. Antonius Hallerstein, Professor Hebraeae.
1737. Franciscus Faludy, Dr. Phil. as Theol., Professor Lincii, tum Graecii; Romam subin missus, Poenitentiarium hungari-

cum egit. Redux Professor Tyrnaviae, Minister in Collegio Theresiano, Rector Ginsii, Posonii scholis inferioribus et Bibliothecae praefectus. Sublato Ordine vir conspicuus lingvam patriam adeo excoluit, ut Cicero hungaricus audiret. Lyra ejus elegans nunc quoque svavissime resonat in auribus. Obiit vir simul religiosissimus in oppido Rohonez 1779.

Antonius Popovics, Professor Hebraeae.

1738. Josephus Koller, Dr. Phil. et Theol., Professor variis in locis; tum Romae Poenitentiarius hungaricus, socius subin Praesidis Provinciae, Rector Jaurini et Posonii, dein Praepositus Provinciae triennio; vir magnae eruditionis ac pietatis, cum in Guttenbrunn prope Viennam Sacerdoti Societatis primitias celebranti assisteret, apoplexia ictus inter verba: Deus meus et omnia — repente concidit et intra quadrantem horae exspiravit 1776.

1739. Ignatius Hertl, Dr. Philosophiae, eandem Tyrnaviae et Viennae, Moralem Budae docuit, legioni Caroli Act. sacram operam praestitit biennio, mortuusque est Ginsii 1775.

„ Petrus de Halloy, Dr. Phil., scholasticus adhuc librum da familia Stahrembergiana edidit, tum variis in locis Professor, Matheseos praesertim ac Physicae diligentem operam navavit. Serius ad abolitionem usque Ordinis Residentiae Marburgensi praefuit, ibidemque obiit 1789.

1740. Michael Milkovits, Dr. Philosophiae, eandemque diversis in locis tradidit. Varasdini in uniendis Valachis cum Ecclesia Romana nulli labori pepercit. Ginsii Rector, Sopronii demum Regens Convictus destinatus, in itinere Pinkafeldae ex sangvinis vomitu mortuus est 1759.

„ Franciscus Szalbeck, per omnem vitam in patria strenuum operarium egit, ac pie obiit Udvarhelyini 1770.

1741. Jacobus Focky, Dr. Phil. et Theol., utramque Viennae docuit, tum Regens diversis in locis usque ad obitum, qui contigit 1775.

1742. Antonius Vorster, Dr. Phil. ac Theol., Viennae Hebraeam, Graecii Philosophiam et Historiam, Viennae Controversias praelegit. Cremsii dein Regens Seminarii et Collegii; sublato Ordine obiit.

1743. Valentinus Kéry, Dr. Phil. et Theol., variis in locis Professor, tum Romae Poenitentiarius hungaricus, subin Graecii et Cassoviae praelector; triennio socius Praesidis Provinciae, Rector Jaurini et Tyrnaviae, donum nomine Provinciae ad

comitia Regni Posonium profectus, ibidem operibus clarus decessit 1763.

1744. Josephus Kössler, Dr. Phil. et Theol., diversis in locis disciplinas tradidit, Rector dein Lincii, Judenburgi, tum Praepositus domus professae, denique totius provinciae. At eo non penitus perfunctus vir piissimus obiit Viennae 1771.

1745. Michael Milkovics, Professor Dialecticae.

1746. Nicolaus Schmitth, Dr. Phil. et Theol., fuit Cancellarius Tyrnaviae, rexit Collegium Jaurinense et Tyrnaviense, in patria historia praesertim celebris, operibus editis notus, obiit 1767.

1747. Ignatius Perhammer, Professor Dialecticae.

1748. Casparus Trost, Dr. Phil. ac Theol., Viennae primum Hebraeam, tum Budae ac Clagenfurti Philosophiam, Graecii ac Viennae Controversias ac Canones tradidit, ac demum abolito Ordine obiit.

1749. Dominicus Fichtl, Professor Ethicae.

1750. Paulus Csefalvay, Praefectus in Collegio Theresiano Viennae, socius Magistri novitiorum Trenchinii, aliisque muneribus functus decessit 1760.

1751. Andreas Jaszlinszky, Dr. Phil. et Theol., Tyrnaviae Ethicam, Viennae Dialecticam praelegit; item Tyrnaviae Philosophiam, Historiam et Dogmaticam tradidit. Socius subin Praesidis Provinciae et Rector Collegii Tyrnaviensis; sublato Ordine Canon. Rosnaviensis, vir eruditione ac pietate conspicuus obiit.

1752. Franciscus Kladny, Professor Hebraeae.

1753. Josephus Pintér, Dr. Phil. ac Theol., Professor Tyrnaviae, Budae, Jaurini; Cassoviae dein Cancellarius, Budae Praefectus altiorum scholarum; abolito Ordine obiit penes Agriam 1780. Post hunc eodem anno

Nicolaus Muszka, Dr. Phil. et Theol., Professor Tyrnaviae, Viennae, Jaurini; Praefectus Viennae Generalis studiorum, socius Praesidis Provinciae et ultimus Praepositus, vir apprime eruditus ac religiosus; sublato ordine Praepositus infulatus extra muros Albae-Regiae, Canonicus et Praepositus Major Neosolii, ibidemque mortuus est 1783.

1754. Joannes Urbani, Professor S. Scripturae.

1755. Franciscus Roys, Dr. Phil. et Theol., Professor Viennae, Graecii, tum socius Magistri novitiorum in Domo Annaea, rursus Viennae Ethicam, Controversias ac Dogmaticam praelegit, serius, cum vires deficerent, ad S. Annam remissus, Decisorem ibidem casum egit ac pie decessit 1768.

1756. Dominicus Fichtl, Professor Casuum.

1758. Theodorus Meyern, Professor Casuum.

1760. Ludovicus Csapody, Dr. Phil. ac Theol., primus Tyrnaviae Philosophiam e principiis Newtoni, tum Graecii Historiam, Moralem, Jus, ac rursus Tyrnaviae Dogmaticam summa cum eruditione, soliditate ac claritate tradidit. Societate soluta a M. Theresia primum Examinator Synodalis, tum Canonicus Vesprimiensis et Abbas B. M. V. de Bocconio, et demum a Francisco Imp. Praepositus Major et Episcopus tit. Scopiensis nominatus est. Denique vir insignis aeque Philosophus ac Theologus, uti scripta ejus testantur, ac zelo animarum et in pauperes, quibus 10 millia florenorum legavit, singularis, apoplexia ictus decessit Vesprimii 1801.

1761. Joannes Ivancsics, Dr. Phil. ac Theol., Comáromii concionator, Tyrnaviae Professor Historiae, tum in Universitate Viennensi Dogmaticae; postremo Tyrnaviae Praefectus generalis studiorum, ac sublato Ordine Abbas infulatus SS. Trinitatis in Siklós et Canon. Strigoniensis.

1761. Josephus Katona, prius Parochus Alistalensis, fuit Director Spiritualis a receptione Collegii e manibus Jesuitarum diebus quatuor, a 1. Nov. — 4. Novembris, subin Parochus Papensis.

1766. Ladislaus Verebélyi, e Parocho Nagyszeghiensi primus Spiritualis Director a Collegio post Barkóczium restituto.

1780. Ignatius Morócz, e V.-Praefecto et Spirituali Seminarii S. Emerici, 1781 Spiritualis in Pazmaneo, 1782 ad quietem repositus, obiit Posonii 1787.

1783. Franciscus Ostermayer, e 3ii anni Theologia in Pazmaneo fit unus e 4 Levitis in Semin. S. Stephani, dein Catecheta in Orphanotrophio Josephino Tyrnaviae, subin Spiritualis in Pazmaneo, mox Capellanus Comáromii, Praefectus Herul. Vághujhelyini, ab anno 1785 vitam privatam egit, sed non multo post Secundarius Prorector Seminarii generalis, resignat, et moritur in Ocskó 1793.

1783. Josephus Antoni, Praefectus Philosophorum in Seminario generali Cleri Hung., Parochus in Nádas, Spiritualis Tyrnaviae et in Pazmaneo, translato Collegio Pazmaniano Posonium, Spiritualis generalis Posonii, jubilatus, Parochus in Alsó-Korompa, ibique mortuus est 1790.

1802. Joannes Lochner, Cooperator Comáromii, Gútae, Localista in Duna-Szentpál, Spiritualis in Pazmaneo, ac Tyrnaviae, et qua talis obiit 1816.

1811. Georgius Ujazdovszky, ex Instituto Emeritorum Sacerdotum Director Spiritualis nominatus; obiit 1815.

1813. Jacobus Bedross, prius Parochus in Födémes.

1814. Joannes Kaprossy, a Praefecto Studiorum promotus in Directorem Spiritualem, 1818 factus Parochus Ölvedensis.

1819. Michael Kemp, ex Instituto Educ. Subl. Presbyterorum nominatus Director Spiritualis; 1827 Bibliothecarius et Archivarius primatialis, 1841 Canonicus Posoniensis, dein Strigoniensis, actu Custos Capituli et Praelatus domest. Suae Sanctitatis Pontificis, Phil. et SS. Theol. Doctor.

1827. Josephus Vankó, Cooperator in Szenicz, Admin. Parochiae Pritersdensis, Spiritualis in Pazmaneo ac Tyrnaviae, S. Sedis Consist. Assessor, obiit Tyrnaviae 1836.

1831. Paulus Gombár, prius Parochus Zsemlériensis, 1836 Vice-Rector Seminarii Tyrnaviensis, actu Canonicus Custos Eccl. Colleg. Tyrnaviensis, Praepositus S. Benedicti de Sümegh.

1836. Antonius Palsovics, Canonicus Tyrnaviensis benigne nominatus, Vice-Archidiaconus et Parochus in sancto Benedicto; 1837 Canonicus Posoniensis, successive Lector, Abbas de Valle Honesta; obiit qua Nestor Dioeceseos 1863.

1837. Franciscus Mészáros, prius in Lyceo Tyrnaviensi Philosophiae Professor, cui ad statum quietis reposito

1840. Ignatius Erős, antea Parochus Karancssághensis et Vice-Ardiaconus suffectus est; hic anno 1844, denuo Parochus Naszvadensis, successive Canonicus hon. Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis factus, qua talis obiit.

1844. Josephus Pantocsek, e Parocho Boriensi nominatus; 1861 ad Capitulum Collegiatum Posoniense promotus.

1861. Josephus Lollok, antea Professor Gymnasii Tyrnaviensis.



Series Studiis Praefectorum.

1813. Joannes Kaprossy, e Cooperatore Comáromiensi nominatus; subin Director Spiritualis et Parochus Ölvedensis.

1814. Josephus Durguth, subin factus Ceremoniarius Principis Primatis Alexandri a Rudna, 1825 Parochus Sellyensis et Vice-Archi-Diaconus, 1845 Canonicus Strigoniensis, Vicarius Generalis Tyrnaviensis et Strigoniensis, Abbas S. Georgii de Colocza, Praelatus S. Pontificis, Philos. et SS. Theol. Doctor.

1819. Josephus Godinger, prius Concionator Posonii, Praefectus Herulorum Comitis Stahrenberg, dein Praefectus Studiorum in Collegio, subin Professor Studii biblici N. F. in Univ. Pestinensi, SS. Theol. Doctor, † 1836.

1824. Franciscus Mészáros, subin Prof. Philos. Tyrnaviae; hinc Spiritualis in Collegio Pazman. uti inter Spirit. occurrit.

1827. Joannes Laky, subin Professor Philos. Tyrnaviae; Paroch. et VADiac. Vadkertensis, SS. Theol. Dr. † 1848.

1832. Henricus Szajbély e Cooperatore Budensi nominatus, subin Vice-Rector, Rector, Canonicus, Episcopus, prout inter Rectores relatum est; SS. Theol. Doctor, fuit Decanus quoque Facult. Theol. Vienn. et Commissar. penes examina Status ibidem.

1840. Joannes Simor e Cooperatore Pestinensi nominatus; subin Parochus Bajnensis; Professor Encyclopediae in Presbyterio Strigon., Secretarius primatialis, Director c. r. Subl. Presb. Educationis Instit. Viennae; Consiliarius Ministerialis ibidem, Canon. Alba Reg. Abb. B. M. V. de Széplak; actu Episcopus Jaurinensis, SS. Theol. Dr.

1842. Gabriel Kappy, e Cooperatore Muzslensi nominatus; subin Notarius S. Sedis Strigon., Parochus Párkányensis, actu Varboénsis. SS. Theol. Doctor.

1846. Georgius Schopper, e Cooperatore Posoniensi nominatus; subin Professor Theologiae Strigonii, nunc Professor Theologiae Fundam. ad Universitatem Pestinensem, emeritus Rector Magnificus, Philos. et Theol. Doctor. Officio Praefecti per duos fere annos vacante, successit.

1850. Carolus Rimely, e Cooperatore Buda-Christianpaolitano nominatus; subin Professor Theol. Strigonii, actu Vice-Rector Collegii, SS. Theol. Doctor et Commiss. penes examina Status Viennae.

1853. Josephus Danko, ex Instituto subl. Presb. Educationis translatus; actu Professor Studii biblici V. F. ad c. r. Universitatem Viennensem; Canonicus honor. Strigon., Director Instituti suprafati; SS. Theol. Doctor et Decanus, Membr. Commiss. Studior.

1858. Joannes Toldy, finitis Romae Studiis Cooperator, dein Stud. Praefectus Strigonii, et in pari qualitate Viennae; successive Professor Theologiae Dogmat. Strigonii, actu Parochus Patakensis; SS. Theol. Doctor.

1858. Joannes Mallý, e Cooperatore Schemniczieusi Membrum c. r. Subl. Presb. Educ. Instituti, hinc Praefectus Studiorum in Collegio Pazman., SS. Theol. Doctor.

Alumni Collegii Pazmaniani,

qui facti sunt S. R. E. Cardinales, Primates, Archi-Episcopi, Episcopi, Praelati Nullius.

1699. Adamus Acsády, Abb. S. Martini de Vecska, Praepositus. S. Michael. de Hanta, Episc. Vesp. R. Hungariae Cancell.

1638. Stephanus Bartok, Elect. Episc. Tinniniensis, Abb. de Pécsvárad, Praep. Maj. Capit. Strigoniensis.

1673. Georgius Bársony, Praep. Scepusiensis, dein Episcopus Magno-Varadinensis, ultimo Agriensis.

„ Georgius Berdóczyi Elect. Episcopus Rosoniensis.

1685. Joannes Bakó, Electus Episcopus Macariensis, Canonicus et Praep. Maj. Magno-Varadinensis.

1700. Paulus Bartakovics, Canonic. et Praep. Maj. Strigoniensis, Elect. Episcopus Almisiensis.

1712. Sigismundus C. Berényi, Canonic. Strigoniensis, Abb. B. M. V. de Poroszló, Consecr. Episcopus Mallensis, dein Quinqueecclesiensis.

1721. Michael Beznák, Canonic. Nittriensis, Praep. S. Nicolai de Landek, Elect. Episcopus Pharensis.

1776. Joannes Benyovszky, Canonic. Posoniensis, Strigoniensis, successive Praep. Maj., Consecr. Episcopus Lystrensis et Suffrag.

1778. Josephus Bélik, Canonic. Strigoniensis, Abb. B. M. V. de Monostra. Elect. Episcopus Pharensis, dein Scepusiensis SS. Theol. Dr.

1810. Adalbertus Bartakovics, Canonic. Strigoniensis, Vicar. Tyrnaviae, Elect. Rosoniensis, dein Episcopus Rosnaviensis, tandem Archi-Episcopus Agriensis.

1834. Alexander Bonnaz, Abb. SS. Salvatoris de Szegszárd et Canon., dein Episcopus Csanadiensis, Solio Pontificio Assist.

1690. Emericus Com. Csáky, Episc. Magno-Varadinens., dein Æpiscopus Colocensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis.

1716. Nicolaus C. Csáky, Episcopus Magno-Varadinensis, Æpiscopus Colocensis, tum Strigoniensis et Primas Regni Hungar.

1780. Ladislaus C. Csáky, Canonicus Posoniensis, tum Magno-Varadinensis et Praep. Maj., Abb. S. Crucis de Aszód, Elect. Episcopus Corczolensis.

1665. Stephanus Dolny, Praep. Maj. Strigoniensis, Episcopus Quinqueecclesiensis, tum Csanádiensis.

1804. Joannes Dertsik, Canonic. Strigoniensis, Elect. Episcopus Prisztinensis, Consil. ad Consilium locumt. hungar., SS. Theol. Dr.

1706. Emericus C. Eszterházy, Praep. Maj. Capit. Strigoniensis, Consecr. Episcopus Dorensis, dein Nittriensis.

